6
25 E
43

~~20~~

F. 5.

~~H. XXIV~~
E. XXXVI

2202

Gretſeri P. Jacobi S. J.) Conſiderationes ad Theologos
Venetos de immunitate, et libertate eccleſiaſtica
in quibus refellitur Liber F. Marci Ant. Capello; &
Doctrina Card. Bellarmini defenditur, qua abuſus
est idem Capellus. Ingolstadii 1607. Ex Adamo
Sartorio.

CONSIDERATIONVM

AD THEOLOGOS VENETOS

LIBRI TRES,

DE IMMVNITATE ET LIBERTATE ECCLESIASTICA.

IN QVIBVS PROPE AD VERBVM REFELLITVR LIBER DE HOC IPSO ARGVMENTO SCRIPTVS

A

F. MARCO ANTONIO CAPELLO, DOCTORE THEOLOGO ET METAPHYSICO PADVANO

ſimulque

ILLVSTRISSIMI CARDINALIS BELLARMINI DOCTRINA COPIOSÈ DEFENDITVR; qua F. Capellus ad nebulas imperitorum oculis offundendas peruersè abutitur.

AVCTORE

IACOBO GRETSERO SOCIETATIS IESV, S.S. THEOLOGIAE DOCTORE, ET EIVSDEM IN ACADEMIA Ingolſtadienſi Profeſsore.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM.

INGOLSTADII,

Ex Typographeo ADAMI SARTORII.

ANNO M. DC. VII.

AD LECTOREM.

OMNIA, *amice Lector*, nunc plena ſunt *conſiderationibus*, propter Eccleſiaſticas cēſuras à S.D.N. *Paulo V. Pontif. Opt. Max.* in ſereniſſimum Venetiarum Ducem, ampliſſimumque Senatum, & in totum Venetum imperium latas. Vtinam cōſiderationes, quæ paſſim circumuolitant; id eſſent, quod ipſo nomine pollicentur, nimirum *conſiderata*: & à cura & circumſpectione non modò profectæ; ſed & limatæ, &, vt ſic loquar, ad veræ rationis amuſſim exaſciatæ. Nunc pleraſque videas ita comparatas; vt *inconſiderationes* vel *ſiderationes* potiùs, quàm conſiderationes: & *inconſiderata* magis vel *ſiderata*; quàm conſideratæ appellari mereantur.

Quod planum apertumque faciunt *conſiderationes* illæ, quas quidam F. Paulus, Ordinis ſeruorum, in diploma ſummi Paſtoris aduerſus Venetos, publicauit; quibus bonum factum feceris, ſi illud beati Dauidis carmē adſcripſeris: *Conſiderat peccator iuſtum*; (ſubditus, ſummū magiſtratum, ouicula ſupremū paſtorem) *& quærit mortificare eum*: conatur oſtendere, Chriſti Vicarium, iniuſtè anathematis ſententiam pronunciaſſe. Quid ſubiungitur? Promiſſio plena ſolatij. *Dominus autem non derelinquet eum, cum iudicabitur illi: Exſpecta Dominum, & cuſtodi viam eius, & exaltabit te, vt hæreditate capias terram: cùm perierint peccatores* (& inconſiderati iſti *conſideratores*) *videbis.* *Pſalm. 36.*

 Pote-

Poterat me conſiderationis nomenclatura, ſingularis ſtudij & attentionis inſinuatrix, abſterrere, ne huic meæ lucubratiunculę *conſiderationum* appellationem inderem: & abſterruiſſet; ſi has conſiderationes, vt à me iam nunc penſiculatè conſideratas, & nō potiùs vt à lectoribus accuratè conſiderandas proponerem. Itaq; cōſiderationes inſcripſi; non quia ego, vt debui, conſiderarim, ſed quia ab aliis, vt par eſt, etiam atque etiam conſiderari velim.

Obiiciat fortè quis: me actum agere; iam enim plurima à doctiſſimis viris pro ſedis Apoſtolicæ defenſione diſputata eſſe. Atqui ego planè mihi perſuadeo, actum agere, non ſemper ſuperuacuum cenſeri poſſe: quia, vt præclarè dicit S. Proſper; *neceſſarium & vtile eſt, etiam quæ ſcripta ſunt, ſcribere, ne leue exiſtimetur, quod non frequenter arguitur: ſanum enim putant eſſe, quod non dolet; nec vulnus ſuperducta cute ſentiunt; ſed intelligant peruecturum ad ſectionem, quod habuerit perſeuerantem tumorem. Vtile eſt*, inquit S. Auguſtinus, *plures* (libros) *à pluribus fieri diuerſo ſtylo, non diuerſa fide; etiam de quæſtionibus eiſdem, vt ad plurimos res ipſa perueniat, ad alios ſic, ad alios autem ſic. Quod vtiliter exiſtimo fieri*, inquit alibi idem ſanctiſſimus Antiſtes *& propter eorum ingenia tardiora, qui putant aliud dici, cùm aliud legitur, & propter ipſam diſputationum copiam, vt non ſolùm ad diligentiores res rara perueniat, ſed quolibet modo ex multis in manus etiam negligentiores incurrat.*

S. Proſp. epiſt. ad D. Auguſt.

S. Auguſt. lib. 1. de Trinit. c. 3.

S. Auguſt. lib. de baptiſmo cōtra Petilian. cap. 3.

Accedit quod pleraque ſcripta & euulgata ſunt Italicè, pauca latinè. Vt ergo & exteri æquitatem cauſſæ Apoſtolicæ intelligant, eo itidem ſermonis genere vtendum fuit; quod per omnes Chriſtiani orbis partes quàm latiſſimè diffunditur: & vt quis noua & indicta non dicat; quid tamen vetat dicere *nouè?* Quid vetat nouo refellen-

fellendi modo aduerſariis ruborem incutere? Quod his tribus conſiderationum libellis efficere ſtudui; Nam excuſſis & conſideratis omnibus, quæ Venetæ Tragœdiæ actores ſcribunt & agunt; animaduerti, illos prorſus in hoc ſchiſmate conflando, & in hac diſcordia fouenda & propaganda, premere veſtigia VViclephi, Huſſi; & qui hos anteceſſit; Marſilij de Padua; eiusque, qui noſtræ Germaniæ peſtis, meritiſſimò audit; Lutheri, nominum & hominum damnatiſſimorum, ex eorumque Hoplotheca & armamentario, ſeu vt Venetiis loquuntur, *Arſenali*; arma aduerſus ſummum Pontificem, libertatemque Eccleſiaſticam ab iſtis, ſeu ſciẽtibus, ſeu ignorantibus, peti.

Itaque primus liber monſtrabit ſimilitudinem modi & moris, quem Huſſitæ & alij olim tenuerunt, & hodie iſti tenent. Secundus, pleraque, ſi non omnia argumenta, quibus exemptionem clericorũ oppugnant, ab hæreticis eſſe. Tertius ex eorundem officina proficiſci, quidquid iſti contra Eccleſiaſtica bona; & iuſtitiam Pontificij decreti ſcriptitant. Nec tamen committam, quin ſingulorum etiam argumentorum infirmitatem, vel vt rectius loquar, vanitatem & ſtoliditatem breuiter & compendioſè patefaciam

Mirabuntur fortaſſe Theologi iſti; cum perſpicuè viderint, in quibus caſtris verſentur, quorum auſpiciis militent, ſub quorum ſignis mereant; quos duces & anteſignanos ſectentur. Mirentur ſanè; ſed & ſanentur; quod mihi in optatiſſimis, deſinantque *indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam, minutatim diſcerpere*; & *Chriſti vineam, vulpium inſtar, exterminare.* S. Hieron epiſt. 57.

Edant profeſſionem fidei quotieſcunque volent: palamque cum illo teſtentur: *Catholicus ſum per gratiam*

F. Ant. Capel. lus in fine ſui libri.

Domini noſtri: facioq́; profeſſionē viuendi & moriendi in gremio & in obedientia ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ & ſummi paſtoris Vicarij Chriſti in terris; nec arbitror quidquam à me dictum aut factum, quod fidem aut pietatem offendat. Omnino, ſi qua ratione fidem; quod non credo, læſi, proteſtor coram Deo, totoq́; mundo, eſſe ſimplicem intellectus errorem, non voluntatis; & reuoco; irritumq́; & indictum volo, ſemperq́; offero me promptum & paratum mutare opinionem, ſi bonis rationibus contrarium mihi perſuaſum fuerit: & ſubiicio omnia mea dicta cenſuræ ſanctæ matris Eccleſiæ & ſummi Paſtoris, cuius pedes humiliter proſtratus adoro & deoſculor: publicè, inquam, hæc & ſimilia aſſeuerent & conteſtentur. Nos ſemper cum D. Hieronymo clamabimus; *Quicunque extra hanc domum* (Romanæ Eccleſię) *Agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit, regnante diluuio. Quicunq; tecum,* (beatiſſime & ſanctiſſime Pater Paule V. Pontif. Maxime) *non colligit, ſpargit:* Nam ſi iſti tecum colligunt: cur tua decreta oppugnant? cur à te excommunicati & interdicti, & à fidelium cœtu ſegregati ſunt? Si tibi obediunt, cur vocem tuam reſpuunt? Si nil fidei aduerſum ſcribunt; cur auctoritatem tuam iiſdem machinis, quibus ſectarij, labefactatum tendunt? Et quàm iſte ipſe obediens & morigerus filius ſit; intelligemus; vbi liber eius, plenus erroribus, vel à te, *ſanctiſsime pater*, vel à generali tua *Inquiſitione* proſcriptus fuerit. Vereor, ne, inſtar collegarũ ſuorũ F. Pauli; F. Fulgentij, & Marſilij, obtemperaturus ſit. Deniq; notum eſt; & ex primo libro clariſſimè innoteſcet, Lutherum & alios nõ abſimiles proteſtationes edidiſſe; & tamen non propterea innocentibus accenſeri poſſe. *Venenum ſub melle latet*, inquit S. Hieronymus; *transfigurauit ſe angelus ſatanæ in angelum lucis.*

Teſten-

Teſtentur illi ſuperos, medios, inferos, per quidquid ſacrum & religioſum eſt, iurent ac deierent; ſe Apoſtolicæ ſedis Chriſtique in terris Vicarij, Pontificis Romani, ſeruos, filios, ouiculas eſſe; & perpetim manere velle; mihi non iniuria ſummus in Eccleſia militante Dominus, pater & paſtor his ſeruis, his filiis, his ouiculis accinere poſſe videtur illud oraculum: *Filius honorat Patrem; & ſeruus Dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum: vbi eſt honor meus?* niſi fortè honor meus eſt, quod integris voluminibus iuſſa & decreta mea lancinatis & laceratis; eaque *perſpicuis & intolerandis erroribus* ſcatere clamitatis. *Et ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus?* niſi fortè indicium timoris mihi debiti illud ſit; quod contumacia & dura ceruice veſtra quidam erecti eò inuerecundiæ & audaciæ proceſſerunt; vt orationes & ſatyras in me dictent & publicent; quales vix vnquam Geneua Caluini; aut VViteberga Lutheri ſedes dedit? noſtis cuius auiculæ ſit ille cantus: *Iam paſtor ipſe maximus tumet, tonat Amore captus Imperi. Nihil ſibi non arrogat; Regum ſibi Iam cuncta iura vendicat. Mitra coronas aggerat: reliqui nihil Principibus his, aut his facit.* Egregia profectò ſunt hæc timoris, reuerentiæ & obſeruantiæ ſymbola. *Oues meæ vocem meam audiunt; & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. Alienum autem non ſequuntur: ſed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum.* Num hæ ouium proprietates & conditiones in vobis reperiuntur. Hæc & ſimilia ſi ſummus Dominus, ſummus Pater & paſtor his ſeruis, his filiis, his ouibus oggerat.

Malach. 1.

Vide orat. Anonymi: & in fine Satyrarum.

Ioan. 10.

Iure, vt opinor, agat; iure increpet, inciletq́;.

Antequam hinc abeo, duo palam teſtata volo: Primum; mihi nihil penitus negotij vel quæſtionis cũ ipſo *ſereniſſimo Principe*, & *illuſtriſſimo Senatu Veneto* vel eſſe

vel

vel fore; pro quorum incolumitate, proſperitate; & ad *Epiſcopum animarum ſuarum* reuerſione, Deo ſupplicare; preceſque aſſiduas concipere, nunquam ceſſabo; ſed totum certamen fore cum illis, qui mei ſunt ordinis & profeſſionis, videlicet cum Theologis; quorum conſilio, vix eſt quod dubitemus; leges Eccleſiaſticæ immunitati inimicas, conditas eſſe; quandoquidem iam conditas tanta contentione tueri inſiſtunt.

Alterum eſt; me nullum eorum, quæ in hos iacientur aliquando, miſſilium, miſſum iactumúe velle in ſanctiſſimos & Eccleſiæ Catholicæ fructuoſiſſimos *ordines*, quorum nonnulli exiſtis profeſſores ſeſe profitentur: quia peccata, quæ peccant; nõ ſunt ordinum; ſed ex priuato vniuſcuiuſq; ſtudio & affectu procedunt. Non ambigo innumeros eorundem ordinum profeſſores alibi terrarum degentes vberibus lacrymis genas ſuas crebrò rigare; cum vel intuentur vel audiunt; quàm pernicioſas chartas fratres eorum in vulgus extrudant; quantaque pertinacia inobedientiam erga ſummum Eccleſiæ præſulem foueant & fulciant; & quanta etiam licentia, vt modeſtiſſimè loquar, inſultent, illis religioſis; qui maluerunt amittere ditionem Venetam, quàm obedientiam; quodq; peius eſt; hæc omnia ſua auſa pietatis nomine pallient. *Dupliciter namq; puniendus venit*, ait S. Baſilius, *qui prætextu boni, quod malum eſt, facit: tum quia operatur, quòd bonum non eſt; tum quod ad peccatum perficiendum bono vtitur cooperario.*

Quæ igitur ſcribo, loquar iterum D. Baſilij verbis, *medicinæ loco ſint, ſi quiſquam ſibi malè conſcius eſt. Qui ſibi vero nihil huius eſt conſcius, ei ſint vice amuleti, quo ſe præmuniat à vitio. ſi quis autem hanc rem ſuſq; deq; fert, id quod in vobis deprehendi nolim, illi ſit pro conteſtatione. Habes tu litteras meas,*

meas, & ego tuas, aiebat S. Cyprianus Florentio Pupiano, *in die iudicij ante tribunal Christi vtraq; recitabuntur.* Vale, mi lector, qui cathedræ Petri conſociaris. *Nam qui cathedræ Petri iungitur; meus eſt.*

S. Cypr. epiſt. 69.

S. Hieron. epiſt. 58.

APPROBATIO FACVLTATIS THEOLOGICAE IN ALMA INGOLSTADIENSI ACADEMIA.

VVLGO notum exploratumq; eſt, partem pro ſalute totius; atque adeò capitis à quo totius incolumitas præcipuè pendet, ex inclinatione naturali, etiam ante omnem deliberationem; obiicere ſeſe periculo, vt à toto, vel à capite periculum depellatur, quod manifeſtè eluceſcit; cum quis impendentem ictum obiectu manus excipit; ne capiti vulnus infligatur. Eadem, quæ naturæ eſt, & virtutis propenſio; Videmus enim ciuem, qui eſt pars politici cuiuſdam *totius*; quod ciuitatem appellamus; ex politicæ virtutis inclinatione nullos labores detrectare, nullumque diſcrimen defugere, pro conſeruatione ciuitatis, cuius eſt pars; proque ſarta tecta præſtanda eius dignitate & maieſtate; qui, vt caput, Reipublicæ præſidet. Cum ergo Eccleſia ſit totum quoddam, & corpus; caputque eius, ſummus Pontifex, Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor; partes verò, ſinguli fideles; ſequitur, eandem hic quoque in partibus pro toto & capite tuendo ineſſe, atque adeo reipſa demonſtrari debere, inclinationem, cum myſticum hoc Eccleſiæ corpus eiuſque caput in diſcrimen adducitur; et improborum machinis appetitur, prout ſemper factum, quando vel Schiſmatici vel Hæretici Eccleſiam turbare; & caput eius oppugnare nefariè aggreſsi ſunt: Et vt veterum exempla deeſſent; nonne id recentiſsima controuerſia Venetos inter ſummumque Pontificem; planum teſtatumque faceret? quæ plurimos dignitate, eruditione & pietate præſtantiſsimos viros exciuit; vt ſe pro Sedis Apoſtolicæ; & ſupremi

præſulis defenſione aduerſariis intrepide obiicerent; ſuique corporis oppoſitu intentata vulnera auerterent: quorum veſtigia cum Collega noſter, *R. P. Iacobus Gretſerus*, poſt varia cum hæreticis certamina; ſequi voluerit, confectis tribus libris ad eos Theologos; qui nominis & Profeſsionis ſuæ parum memores; Apoſtolicæ ſedis auctoritatem ſcriptis publicis conuellere & labefactare moliuntur; nos Collegæ noſtri lucubrationem non potuimus non ſuffragio noſtro comprobare; vtpote quæ nihil contra fidem bonoſque mores contineat; quin potius clarè ac dilucidè patefaciat; vnde iſti nuperi Sedis Apoſtolicæ oppugnatores arma mutuati ſint; & quos in hac pugna Anteſignanos ſibi delegerint. Quocirca non tantùm hos libros fructuoſos, ſed & propemodū neceſſarios fore arbitramur, ne quis veri ignorantia deceptus; turbulentis partim hæreticorum, partim Schiſmaticorum chartis à recto ad beatitudinem tramite abripiatur.

PETRVS STEVARTIVS SS. Theologiæ Doctor, Profeſſor, Academiæ Ingolſtadienſis RECTOR & Procancellarius, Coloniæ ad SS. Apoſtolos Præpoſitus.

ADAMVS GERICK. S S. Theologiæ Doctor, Profeſſor & Decanus Ratiborienſis in Sileſia.

CATALOGVS OPVSCVLORVM, QVÆ SVPER PRÆSENTI CONTROVERSIA HVCVSQVE EDITA AD MANVS MEAS PERVENERVNT.

Pro ſummo Pontifice.

Paraneſis ad Rempubl. Venetam Illuſtriſſ. Card. Baronij.

Reſponſum Illuſtriſſimi Card. Bellarmini ad duos libros; vnum cuius Inſcriptio eſt; Reſponſio, cuiuſdam Doctoris Theologi ad epiſtolam Reuerendi ſui amici, de Breui, & cenſuris à ſanctiſſimo Paulo V. Papa, aduerſus Dominos Venetos publicatis: Alterum cuius titulus eſt, tractatus, & reſolutio Ioannis Gerſonis Theologi, & Cancellarij Pariſienſis de excommunicationis valore, quem quidam primò anonymus, poſtea nominatus in linguam Italicam tranſtulerat. Hæc Italicè à Card. Bellarmino publicata; poſtmodum Latinè prodierunt in Germania.

Eiuſdem Card. Bellarmini Reſponſum ad Tractatum ſeptem Doctorum Venetorum de Interdicto S. D. N. Pauli V.

Eiuſd. Bellarmini Refutatio Apologiæ; quam F. Paulus Seruita aduerſus eundem Cardinalem ediderat.

Refutatio Ioan. Marſilij Neapolitani. Auct. eodem Card. Bellarmino.

Tractatus Apologeticus Monitorij S. D. N. & cenſurarum quæ in eo continentur. Auctore Paulo Comitolo Societatis IESV.

Defenſio poteſtatis & immunitatis Eccleſiaſticæ Gregorij Seruantij Ord. Prædicat. Epiſcopi Treuicenſis. contra octo Propoſitiones Doctoris incogniti.

Reſponſum Theodori Eugenij Famauguſtani Cyprij ad Librum D. Antonij Quirini Senatoris Veneti.

Reſponſum Ioannis Ant. Bouij de Nouara Carmelitæ, ad conſiderationes F. Pauli Seruitæ ſupra cenſuras à S. D. N. in Venetos latas.

Ioannis Pedrezani I. C. Cremonenſis Reſponſum ad librum Doctoris incogniti, latinè.

Tractatus Bartholomæi Hugolini de iuſtitia & validitate Monitorij ac Cenſurarum Pauli V. Pontif. Max. in Ducem ac Senatum Venetum, Latinè.

Reſponſiones Bartholomæi Hugolini ad Tractatum ſeptem Theologorũ Lat.

Reſponſum Ioannis Philothei ad litteras Theologi cuiuſdam incogniti.

Repetitio celeberrimi cap. ſacris, *Ext. de his, quæ vi metuſue cauſſa fiunt. Auctore Federico Surdo, Bononienſi, lat.*

Scriptum quoddam Latinum Romæ ad me miſſum, & vt arbitror, ibidẽ excuſum; doctiſſimum & accuratiſſimum, cuius inſcriptio. Facti ſpecies cum ſuis reſolutionibus ad demonſtrandam iniuſtitiam nonnullorum decretorum factorum per Senatum Venetum contra libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam.

Epiſtola Bartholomæi Cambi de Soluthio Ordinis Minorum ad Rempublicam Venetam.

Diſcurſus Lelij Medices Placentini, Minoritæ Conuentualis, ſupra fundamenta & rationes Venetorum, quibus excuſant ſuam inobedientiam erga Sedem Apoſtolicam.

Bernardi Iuſti de Eccleſiaſtica libertate, contra quoſdã Detractores Venetos.

Dialogia ad Dominos Venetos per F. Paulum Venetianum Ordinis S. Auguſtini.

Epiſtola Gregorij Buonaiuti de Spilimbergo, ad quandam Abbatiſſam, quomodo ſe tempore Interdicti gerere debeat.

Franciſci Soſæ contra Epiſtolam incogniti Theologi Hiſpanicè.

Reſponſum Hieronymi Del bene de Monte ſancto ad Quæſtionem de controuerſia inter Paulum V. Pontif. & Rempublicam Venetam.

Rutilij Benzonij Epiſcopi Lauretani diſputationes duæ de iuriſdictione & immunitate Eccleſiaſtica. Lat.

Philoprotropia Ioannis Bertolotti Bononienſis ad Senatorem quendam Venetum.

Adami Tanneri Societatis IESV *de immunitate Eccleſiaſtica libri duo.*

Pro Venetis.

Tractatus de Interdicto Pauli V. compoſitus per ſeptem Theologos Venetos.

Epiſtola cuiuſdam Theologiæ Doctoris ad amicum ſuum de cenſuris à Paulo V. in Venetos latis.

F. Pauli Seruitæ conſiderationes ſupra cenſuras à Paulo V. in Venetos latas

Eiuſdem

Eiuſdem F. Pauli Apologia aduerſus Card. Bellarminum pro conſiderationibus Gerſonis.

De Venetorum Excommunicatione aduerſus Cæſarem Baronium diſſertatio, Nicolai Vignierij Caluiniſtæ Lat.

Defenſio octo Propoſitionum aduerſus Card. Bellarminum Auct. Ioanne Marſilio.

Tractatus de controuerſia inter ſummum Pontificem Paulum V. & Rempublicam Venetam. Auctore F. M. Antonio Capello, Minorita Conuentuali.

Declaratio controuerſiarum inter Venetam Rempublicam, & Paulum V. Pontif. Auctore Antonio Quirino Senatore Veneto.

Conſilium ſuper controuerſia vertente inter beatiſſ. Paulum Papam V. ac Sereniſſ. Rempubl. Venetam. Auctore Ventura Vincentio. Lat.

Aſſertiones Hieronymi Vendrameni. Lat.

Eiuſdem inſulſiſſimæ Diſquiſitiones. Lat.

Epiſtola F. Capelli ad P. Antonium Poſſeuinum.

Admonitio Catholica ad P. Anton. Poſſeuinum.

Epiſtola ad Paulum Papam V. per Thomaſum Bouium Veronenſem.

Proteſtationes F. Pauli Seruitæ, F. Fulgentij Minoritæ & Marſilij, cur Romam citati non comparuerint.

Ad Paulum V. Pontif. Max. pro Republica Veneta, oratio cuiuſdam anonymi tenebrionis. Lat.

Epiſtola nomine Genuenſis Reipublicæ vulgata, & ad eam reſponſio.

Anonymi Epiſtola ad Illuſtriſſ. Card. Baronium. Lat.

Antiparæneſis Nicolai Craſſi verè craſſa contra Card. Baronium. Lat.

Conſultatio Pariſij cuiuſdam de controuerſia in Pontificem & Venetos. Lat.

F. Fulgentij Brixiani Seruitæ defenſio Conſiderationum F. Pauli Seruitæ contra Ioan. Antonium Bouium Carmelitam.

Omitto minutiores tractatulos, & potius ſatyras & chartas famoſas, quàm libros vel epiſtolas, de quibus ſuo loco mentio fiet.

Nunc ex eruditiſſimo illo ſcripto Romano, cuius ſupra mentio facta; verbatim adſcribere placet Excommunicationis & Interdicti à S. D. N. contra Venetos Promulgati cauſſas; vt lector controuerſiæ fontem ac originem verè percipiat.

Facti ſpecies cum ſuis reſolutionibus ad demonſtrandam iniuſtitiam nonnullorum decretorum per Senatum Venetum contra libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam.

SVB die XXIII. menſis Maij anni M. DC. II. ſumpta occaſione, ex quadam lite, ſeu controuerſia inter Doctorem Franciſcum Zabarellam ex vna, & Monachos monaſterij de Praglia nuncupatos Ordinis ſancti Benedicti Congregationis Caſſinenſis, alias ſanctæ Iuſtinæ de Padua, in diœceſi Paduana, ex altera partibus vertente, in eorum Conſilio ſtatuerunt inter cætera, non ſolùm vt dicti Monachi tunc, aut deinceps vllo vnquam tempore, actionem, per quam ſub quouis titulo, aut colore, in bonis Eccleſiaſticis emphyteuticis à laicis poſſeſſis præſerrentur, prætendere, ac etiam iure prælationis, ſeu conſolidationis directi cum vtili dominio, aut exſtinctionis lineæ in primis inueſtituris comprehenſa, aut alia quauis cauſa bonorum prædictorum proprietatem ſibi vendicare minimè poſſent; ſed tantummodò ius directi dominij illis præſeruatum eſſet; verùm etiam, vt id ipſum, quoad cæteras omnes perſonas Eccleſiaſticas ſeculares, & regulares, monaſteria monialium, hoſpitalia, & alia loca pia in eorum temporali dominio exiſtentia, declaratum, & firmiter deliberatum cenſeretur.

Et ſub die decima Ianuarij M. DC. III. ad ſuperiora quædam conſilia ab eorum maioribus, vt etiam aſſerebant reſpicientes, quibus cauebatur, ne quiſquam, ſiue ſecularis, ſiue Eccleſiaſticus in Vrbe Venetiarum Eccleſias, monaſteria, hoſpitalia, atque alias religioſas domos, & pia loca ſine eorum ſpeciali licentia fundaret, & erigeret, in conſilio Rogatorum congregatos iterum decreuiſſe, vt id eandem in omnibus iuriſdictionis eorum locis vim obtineret: & præterea exilij; ac perpetui carceris, & publicationis fundi, venditioniſquè ædificij contra ſecus facientes pœnam edixiſſe.

Vlterius eoſdem, Ducem, & ſenatum die XXVI. menſis Martij, M. D. C. V. inhærentes alteri decreto, anno M. D. XXX. VI. ab eodem ſenatu facto, in quo (vt aſſerebant) erat expreſſè probibitum, ne quis ſub certis in illo contentis pœnis, in Vrbe Venetiarum, eiuſquè Ducatu bona immobilia ad pias cauſas teſtamento, ſeu donatione inter viuos relinqueret: aut, alio quouis titulo alienaret, ſiue ad earum fauorem vltra certum tunc expreſſum tempus obligaret (Quod in illum vſque diem, vt ibi etiam dicebatur, vſu receptum, & obſeruatum non fuerat) non modò iterum id vetuiſſe, ſed

expreſſè

expreſſè etiam probibuiſſe, ne bonorum eiuſmodi immobilium alienationes in fauorem perſonarum Eccleſiaſticarum, ſine ſenatus prædicti licentia fierent; ac inſuper decretum ipſum, & pœnas in eo contentas per vniuerſum eorum dominium extendiſſe, & per Rectores, & poteſtates ciuitatum, & locorum ſui dominij promulgari feciſſe, atque bona immobilia omnia, quæ contra præmiſſorum formam vendi, aut quouis modo alienari contingeret, vltra nullitatis pœnam publicari & vendi, eorumquê precium inter Rempublicam ipſam, Magiſtratum exſequentem, & eius miniſtros, ipſumquê denuntiatorem diuidi mandaſſe; & alias prout in decretis, & mandatis Ducis, & ſenatus prædictorum latius dicitur contineri.

Ac propterea eoſdem, Ducem, & ſenatum, Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum Foroiulienſem Abbatem monaſterij, ſeu Abbatiæ de Nerueſa Taruiſinæ diœceſis, perſonam in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutam, ob quædam prætenta crimina in ciuitate Vicentina, & alibi per illos (vt dicebatur) commiſſa, carceri mancipaſſe, & mancipatos detinuiſſe, ſub prætextu, quòd eis hæc facere liceret, inter alia ob quadam ipſis, Duci, & Reipublicæ à quibuſdam Romanis Pontificibus conceſſa (vt aſſerebant) priuilegia.

CONSIDERATIONVM

DE CONTROVERSIA INTER S. D. N. PAVLVM V. PONTIF. MAX. ET REMPVBLICAM VENETAM.

LIBER PRIMVS.

Conſideratio prima.

Quoſdam Venetorum defenſores Romam, cauſſæ dicendæ gratia, ab Inquiſitione generali vocatos, forum illud eodem modo & Spiritu declinaſſe, & eluſiſſe, quo olim id declinarunt & eluſerunt damnatiſsimæ memoriæ hæretici Huſſus & Lutherus.

EX cauſſæ Venetæ Patronis, quorum catalogum in præfatione contexui, tres, quod mihi conſtet; ab Inquiſitione Generali ritu & more ſolenni, publicè vocati citatiq; ſunt: *Frater Paulus* Ordinis Seruorum, *F. Fulgentius Manfredus*, Ordinis Minorum de Obſeruantia; & *Ioannes Marſilius* Neapolitanus, Presbyter, vt actionis contra ſummum Pontificem, Chriſti in terris Vicarium, ſuſceptæ; & libellorum, non ſine graui Chriſtianæ Reipublicæ offenſione, iniuria & nocumento, in vulgus diſſeminatorum, rationē redderent. Quid illi? Horreſco referens. Et tamē refert referre; palamq; mundo patefacere; quos iſti refractarij filij in oppugnatione ſedis Apoſtolicæ immunitatis

nitatis Eccleſiaſticę duces ſequantur;& quomodo ſchiſmatici & hæretici vno eodemque ſpiritu caleſcant & agitentur; vt turpitudine tam infamium capitum vel ab incœpto deſiſtant; & quorũ dedecus & ignominiam auerſantur, exitusque metuunt; (ſi tamen auerſantur & metuunt,) eorum itidem facta imitari ceſſent. Quod ſi ita fortaſſe pectus iam obfirmarunt, & tam ſpiſſo vallo circumſepſerunt; vt huic conſiderationi omnis ad cor aditus ſit occluſus; attamen non deerunt alij, quibus mens recta & ſana; qui iſtos valere iubeant; cum perſpicuè intelligent; quorum ſemitam calcent; & quibus Magiſtris vſi huc proteruiæ proceſſerint: vt etiam ſummo tribunali cornua obuertere audeant.

Tres igitur illi; quos paulò antè nominaui; cum Romanam citationem accepiſſent; è veſtigio contra eam exceperunt; & exceptionis ſuæ cauſſas non cauſſas, typis latinè excuſas, in vulgus euulgarunt; ſtylo & genio Lutherano Huſſiticoque tam ſimili; vt vix lac lacti ſit ſimilius; planeque ſuſpicer; his Lutherum, vel Huſſum, vel vtrunque in oculis & animo fuiſſe; vel certè eundem dictatorem, qui olim Luthero & Huſſo, illis adſtitiſſe, phraſesque & materiem ſuggeſſiſſe, cum ſchedulas illas ſuas excuſatorias conſcriberent. Id vt liquidò eluceſcat, agedum contendamus inter ſe phraſes loquendiq; formulas & agendi modum ac inſtitutum.

Lutherus initiò turbarum, quas in Germania dedit; citatus eſt Romam à Leone X. Pontifice Maximo; vt cauſſam diceret. cognitione per Pontificem ſeu Pontificis procuratorem *Fiſcalem*, Martinum de Peruſijs, demandata Hieronymo de Genucijs, Epiſcopo Aſculano, & Syluestro Prierati Ordinis Prædicatorum, palatij Apoſtolici Magiſtro. Quid Lutherus? Num Romam venit?

Vide Appell. Lutheri à Cardinal. Caietan. ad Pontificem Tom. 1. oper. Lat. VVitteb. fol. 218. edit. VVitteb. 1582.

nit? Nequaquam. *Vxorem*, aiebat, *duxi*, videlicet hęreſin, clamoſam illam & litigioſam Thaidem; ideo venire nō poſſum. curque non veniret rationes reddidit iſtas. I. *Iudices iſti & auditores mihi, ſalua ſemper eorum reuerentia, ſuſpecti ſunt, quod ipſe Reuerendus Pater Syluester aliàs contra me exacerbatam affectionem ſuam abundè oſtenderit in Dialogo, quem contra meas poſitiones edidit, in quo ſuæ opinioni plus æquo affectus, me hæreticum & inſanum, multisq; aliis nominibus criminum iudicauerit & damnauerit. Reuerendus verò in Christo Pater Dominus Hieronymus Epiſcopus &c. meritò timetur alteri collegæ ſuo adhærere &c. Hæc Lutherus.*

Quid frater Paulus? *Neq; præterea eſt, quod ego poſſim iudicium ſyncerum arbitrari, cùm inter alios ſedeat iudex Ampliſſ. Dominus Cardinalis Bellarminus, qui in libello, cui titulum fecit Italicum; Riſpoſta del Cardinal Bellarmino al trattato de i ſette Theologi di Vinetia, ſopra l'Interdetto della ſantità di noſtro ſignor Papa Paolo Quinto: & alle Oppoſitioni di Fra Paolo Seruita contra la prima Scrittura dell' iſteſſo Cardinale: ſe maximam iniuriam à me accepiſſe ex præfata Apologia apertè profitetur, & cum ſibi obiecta minimè diluat, maledictorum aceruum in me cumulat, & vndique vindictam ſpirat, atque eam ob rem ab inſtituendo contra me iudicio, vel ab interueniendo, (tanquam iudex) in inſtituto abſtinere debuiſſet, vel Dei timore, & propria conſcientia deterrente, vel ſaltem, ne cuiquam ſcandalo propterea eſſet.* Hæc ille.

Marſilius vel Marſiliani Patroni ſequētia. *Cū notoriū ſit, quod coram ſuſpectis iudicibus citatur, attento, quod notorium apud omnes eſt, quod ipſe comparens ſumpſerit defendendam quandam epiſtolam continentem octo propoſitiones in materia cenſurarum à ſanctitate ſua contra Rempublicam Venetam fulminatarum; quæ à præfatis illuſtriſſimis Dominis*

prohibita fuerunt, & contra quas illuſtriſſimus Dominus Cardinalis Bellarminus integrum edidit tractatum; valde eidem comparenti iudices præfati, ſalua ſemper illorum reuerentia, ſuſpecti redduntur.

An non agnoſcis in his Lutheri indolem; vt & in iſtis? citationem ſtatim *nullam eſſe vidi, quia de numero iudicum expreſſè ac ſigillatim non excipitur Cardinalis Bellarminus: qui contra me ſcripſit, & quem contra ego ſcripſi ſcriboque, qui meus eſt publicus & notorius aduerſarius.* Nimirum vt Lutherus Syluestrum: ita Marſilius Bellarminum ex Iudicum numero exturbare voluit. vterq; eodem iure, eademque æquitatis lege vſus.

Secunda ratio Lutheri. *Citauerunt me ad comparendum perſonaliter Romæ, in loco mihi omnium ſuſpectiſſimo, & non tuto. Atq; ſi quàm maximè Romæ omnia tuta & ſalua forent, tot tamen pericula viarum, & maximè omnium inſidiæ aduerſariorum; quæ tanta ac tam multæ ſunt, vt omnino mihi per Principes & Magnates vtriuſq; ſtatus conſultum ſit, & pro certo denunciatum, ne vllo pacto muros VVitebergæ egrederer, certiſſimò ſcilicet ſeſe noſſe, aut ferri aut veneni inſidias paratas; me excuſatum redderent.*

Huſſus poſt infectos Hæretico veneno Bohemos Romam citatus eſt à Ioanne Papa XXIII. Quid actum? Surdas aures citatio illa reperit. Dicebant enim, ipſo Huſſo non abnuente, *eum propter inſidias ſine periculo Romam proficiſci nō poſſe.* In eadem hiſtoria ſic loquitur Huſſus: *Citatus non comparui in curia Romana, tum quia inſidiæ mihi vndique poſitæ ſunt in itinere, tum quia fecerunt me alienâ periculâ cautum.*

Vide Hiſtoriam Huſſi Tom. 1. operum Huſſi Norimb. edit. fol. 83.

Huſſi Apologetes. *Libenter per ſe comparuiſſet, ſi capitales inimicitiæ non obſtitiſſent: oſtenſumque eſt, quòd Magiſter Ioannes Huſſ iniuſtè eſſet accuſatus per æmulos, quodque non*

In Narrat. de Actis Huſſi in Romana Curia Tom. 1.

que non poſſet pertranſire & venire ad Romanam Curiam, propter inimicitias capitales, quæ in viis ſibi erant præparatæ.

Frater Paulus. *Scio, ad vos* (alloquitur Inquiſitores Romanos) *acceſſum eſſe minus tutum, & intutiſſimum, &c. Et quomodo mihi omnium minimo à veſtra & veſtrorum communione abſtento tutus erit per veſtros tranſitus? tutus erit ad vos acceſſus? Nec in poſtremis ponendum eſt, quod ſereniſſimi Principis interdicto diſceſſus ex hoc Dominio Eccleſiaſticis eſt prohibitus, cui inprimis mihi obedire oportet.*

Marſilius in literis *proteſtationis, excuſationis*, &c. miſſis ad generalem Inquiſitionem. *Huic citationi ipſe comparens parere nullo modo poteſt, cum ipſe ab hac ciuitate Venetiarum ſub pœna capitis diſcedere non valeat; neque illi ad Romanam curiam pateat tutus acceſſus, neque per interiacentia loca ſecurus tranſitus.* Scilicet tot religioſi & Eccleſiaſtici, qui ex ditione Veneta diſceſſerunt, amiſſis capitibus diſceſſerunt. Vidi ex illis duos. Neuter carebat ſuo capite.

Huſſus tamen procuratores Romam miſit; in quo iſtos *comparentes* non *comparentes* longè ſuperauit; qui, miſſâ caluæ excuſationis ſchedulâ, ſe ſuo officio probè defunctos arbitrantur.

Vide Hiſtor. Huſſi Tom. 1.

Tertia cauſſa Lutheri, cur citatus Romã non venerit. *Tãti itineris prolixitas imbecillitati corpuſculi mei prorſus impoſſibilis eſt.* Hæc ille, cum in ipſo flore optimæ ætatis valentiſſimus & robuſtiſſimus eſſet. Item, *cum ſim de Ordine mendicantiũ, nihil proprij habens, & ſub obedientia alterius viuens, ipſa ſanè paupertate abunde comparere prohiberer.*

Idem Lutherus, vocatus à Carolo Miltizio, nuncio Apoſtolico, Confluentiam, oppidum Electoris Treuirenſis

renſis, in hæc verba reſcripſit. *Quomodo in tanta dubia me dabo, per tot pericula, & tam grauibus expenſis? Quas vnde habeam pauperrimus? Tot conſumpſi hucuſq; in iſta cauſſa, & feſſos feci patronos, vt pudeat plura poſtulare.* Hæc ille: qui quocunque pedem ferebat; innumeros Patronos, qui viatico, & cæteris ad iter neceſſariis literisque commendatitiis certatim inſtruerent, inueniebat.

Audi, ipſo Luthero narrante; itum eius Witeberga Heidelbergam; & reditum inde Witebergam, & miſerere miſeri Lutheri, qui adeò ab omnibus imparatus, longa itinera facere cogebatur, idq; ex ingenti inopia. *Veni curru, qui exieram pedeſter: ſiquidem cogebar à Maioribus vehi cum Nurnbergenſibus propè vſque Herbipolim: inde, cum Erfurdienſibus: ab Erfurdia verò cum Eislebenſibus: qui denique ſuis & expenſis, & equis, ad VVitenbergam duxerunt. Fui ſanè incolumis tota via, & mirè conueniebat mihi cibus, & potus: ita vt nonnullis videar factus habitior, & corpulentior: ſuſcepit me egregiè Illuſtriſſ. Princeps VVolffgangus Comes Palatinus, & Magiſter Iacobus Simler, ſed & Haſius Curia Magiſter. Inuitauit enim nos, &c. & dulci, iucundaq; conuerſatione, inuicem gaudebamus, edentes, & bibentes, & omnia ſacelluli caſtrenſis Palatini ornamenta, deinde bellicos apparatus; denique omnia fermè, quæ habet regale illud, & planè illuſtriſſimum caſtrum, decora luſtrantes. Non potuit ſatis commendare Magiſter Iacobus literas Principis noſtri, pro me datas, dicens ſua Neccarena lingua:* Ihr habt by Gott einen kyſtlichen Credentz. *Nihil deſideratum eſt, quod humanitatem deceret.* Luth. Tom. 1. epiſt. 48.

F. Fulgentius. *Qui fieri, quæſo, poteſt, vt ad aſsignatam ab ipſis* (Romanis Inquiſitoribus) *diem media hyeme hinc pauper, pedeſtris, pedeſquè nudus, non lectica, aut vehiculo, non curru, vel rheda, aut equo, & ſine pecunia, & pera, illuc me*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

conferam, transferam, vel potius tranſuolem? At ſi voluiſſet, æquè, opinor, facilè ac olim Lutherus, viam & rationem veniendi Romam inuenire potuiſſet. Et forſan, vt Lutherus Heidelberga; ſic F. Fulgentius Roma *corpulentior* rediiſſet.

In Repetit. pro defenſ. Huſſi. Tom. 1. operum Huſſi.

Aduocatus Huſſi Ioannes Ieſſenitz conqueritur Huſſo nimis breue tempus fuiſſe à Romanis aſſignatum pro *comparitione*. Eandem querelam ingeminat item voce querula F. Fulgentius. Prætendit & Lutherus negotia, quibus diſtrictus ab Academia VVitebergenſi, in qua Profeſſorē agebat, abeſſe nequiret. Hinc Academia VVitebergenſis inſtinctu proculdubio Lutheri, ad Leonem X. & ad Carolum Miltizium, Nuncium Apoſtolicum litteras ſupplices miſit; ne Lutherus cogeretur ire Romam, non enim niſi notabili Academiæ & ſtudioſæ iuuentutis damno fieri poſſe, vt Lutherus, *nobile & celeberrimum Vniuerſitatis membrum*; longius & diutius abſit.

Tom. 1. Lat. VVitteb.

Elector Fridericus ad Caietanum Cardinalem cum petiiſſet, vt Lutherum vel Romam mitteret, vel ex prouinciis ſuis eiiceret; *Non ſperauimus futurum, vt à nobis poſtularetur, vt Lutherum ſiue Romam mitteremus, ſiue ex noſtris regionibus expelleremus, &c. Pelleretur enim incommodo noſtræ vniuerſitatis Chriſtianæ & multos bonos, doctos & ſtudioſos homines habentis.*

F. Fulgentius. *Quæ amabò, neceſſitas impellit, vel vtilitas allicit; vel ratio oſtendit; aut æquitas (ne dicam charitas vrget) perſuadet me ſubtrahere panem (quod non fecit magiſter meus veritatis prædicator) hiſce confuſis paruulis petentibus, & qui eis frangat non habentibus; ſeu potius, ob vanum iſtius interdicti timorem, aut forſitan aliquam exinde (licet in reliquis illud non ſeruent) exſpectationem, non audentibus,*

veluti

vel vti mutis canibus latrare non valentibus, effectis, & ſic relinquere Verbum Dei, quod ſpiritus ſancti ope, per os meum tanta cum præclara huius Catholicaque vrbis Venetæ neceſſitate egreditur, tanta auiditate eſuritur, tanta attentione auditur, manſuetudine ſuſcipitur, ac vtilitate retinetur? Volunt fortaſſis, vel cupiunt Paſtores hunc alius populum Catholicum, piumque ſacris priuatum, pabulo etiam verbi priuari? Itaque, *Luc. 14.* vt ille ad cœnam magni Regis inuitatus, aiebat; *Iuga boum emi quinque, & eo probare illa; rogo te habe me excuſatum*: Ita & F. Fulgentius; *concionari*, inquit, debeo, *eamque ob rem Romæ comparere non valeo:* fulgentior vtiq; futurus; ſi obedientiæ, quàm voluntatis ſuæ amantior & ſtudioſior eſſet.

Clamitat vbique Lutherus, ſe paratiſſimum rationem reddere *in partibus, in loco tuto; in loco non ſuſpecto; coram iudicibus non ſuſpectis; coram aliquibus viris doctis, probis, & honeſtis.* *Luth. in ſua appellat.* Fridericus Elector Epiſt. ad Cardinalem tituli S. Georgij ad velum aureum, *Doctor Martinus nunquam non obtulit ſe coram æquis, commodis; non ſuſpectis & prudentibus iudicibus, fide publica munitum, obedienter compariturum.* *Exſtat hac epiſt. Tom. 1. Lat. VVitt.*

De Marſilio ſcheda appellationis. *Paratus eſt, ad quæcunque loca ſibi non ſuſpecta, & coram non ſuſpectis iudicibus comparere, & fidei ſuæ rationem reddere.*

F. Paulus. *Quod ad me attinet, paratus ſum cuicunq; fidei meæ rationem reddere, & quibuscunq; iudicibus nō ſuſpectis reſpondere.* Suſpecti autem omnes illi erunt & ſunt fratri Paulo, qui aliter, quàm ipſe velit, decernunt, aut decreturi veriſimiliter exiſtimantur. Eadem mens erat olim Luthero in ſimili citationis negotio.

Huſſus citationem Romanam precibus effugere *Huſſ. epiſt. 1 ad Colleg. Cardin.* tentabat. *Veſtras clementes reuerentias inuoco flexis poplitibus*

tibus ſupplicando, quatenus pietatis oculis me pauperem dignarentur reſpicere, & à perſonalis comparitionis & cæteris ad comparitionem dependentibus grauaminibus, gratioſo iuuamine liberare. Innocens etenim ſum in his, teſte IESV *Chriſto Domino, in quibus aduerſarij me accuſant.*

F. Paulus *Vos per aduentum maximi & tremendi iudicis obteſtor, ne in vermem aut canem mortuum, perſecutionem intentetis, ſed exceptiones meas contra iudicum iudices & locum admittatis, & de iure facta pronuncietis. Vermis* iſte & *canis mortuus* reuocant mihi in memoriam humilitatē & profundiſſimam ſubmiſſionem Lutheri, qua ad Leonem X. ſcribens, vſus eſt: *Beatiſſime Pater cogit iterum neceſſitas, vt ego fex hominum, & puluis terræ ad beatitudinem tuam, tantamq; Maieſtatem loquar.* Quid humilius? Quid ſubmiſſius?

Tom. 1. Lat. Vueb.

Huſſus Romam citatus petiit, vt ſibi cauſſæ dicendæ poteſtas fieret in Academia Pragenſi; cuius pleroſq; ciues in ſuam factionē traduxerat: & apud auditores ſuos. *Paratus ſum coram alma vniuerſitate Pragenſi, omnibusq; Prælatis, omniq; populo mei auditorij, ad quod me refero, de fide quam corde teneo, verbo & ſcripto profiteri.*

Lutherus in appellatione ſua. *Paratus ſum omnia mea ſubiicere, inprimis iudicio ſanctæ Eccleſiæ Romanæ; deinde illuſtribus ſtudiis Baſileenſi, Friburgenſi, Louanienſi; ac ſi opus eſſet etiam antiqua illi ſtudiorū parenti, & in Theologicis rebus, vti florentiſſima, ita Zeloſiſſimæ Vniuerſitati Pariſienſi.* Eodē artificio iſti noſtri forū Romanū declinare ſtudēt.

F. Fulgentius. *Si per me malè actum, vel non rectè probatum quid eis relatum ſit, quod monitione, correctione aut etiam punitione indigeat; aut dignū, quod per inquiſitionē corrigatur, puniaturq;: nōne adeſt hic inqſitionis officiū & tribunal, & Generalis huius ſtatus Catholici Inquiſitor, adſiſtentib: ceterisq;*

teriſq́ officialibus, quibus, ter q́ per hebdomadam congregantur, reſident & munus exercent? A quibus à ſua initio inſtitutionis ad præſens vſq́ cauſa fidei, eaq́ grauiſſimæ pertractari, in illiſue procedi, atque definitiua etiam ſententia terminari conſueuit. Quod quidem neque hoc ipſo controuerſiarum (quæ haud fidei ſunt) tempore non eſt intermiſſum, aut remiſſum, nedum corruptum, aut ſublatum.

Marſilius in formula proteſtationis ſuæ, &c. *Cum in ciuitate Venetiarum adſit Sancti Officij Inquiſitionis tribunal, in quo ter in hebdomada illius Officiales conueniunt, reſident & ius dicunt, quod etiam conſueuit à tempore ſuæ inſtitutionis, vſq́ in præſens cauſſas fidei cuiuſcunque generis tractare, in illis procedere &c.* nil opus eſt vt nouus iſte Marſilius Romam abeat.

Huſſus & Lutherus Romam citati, alios etiam Principes, ſubornarunt, qui apud Pontificem agerent; ne Romam ire cogerentur.

Hiſtoria Huſſi. *VVenceslaus Romanorum & Bohemiæ Rex (* iam ab Huſſo ineſcatus *) flagitante etiam id coniuge ſua Sophia, (*ſimiliter ab Huſſo decepta*) deinde vniuerſa nobilitate Bohemiæ.* (falſum, niſi addas, *Huſſitica) quibus acceſſerunt preces totius (* non ſimpliciter, ſed Huſſiticæ) *vrbis & vniuerſitatis Pragenſis, Legatos ſuos Romam miſit, vt hoc iudicio Ioannem Hus liberaret*; hoc eſt, ne cogeretur perſonaliter Romæ comparere. Eandem ob cauſſam ſcripſit Academia Witebergenſis pro Luthero ad Carolum Miltitium, Nuntium Apoſtolicum, & ad Leonem X. Pontif. Max. Et ipſe Elector Fridericus ad Cardinalem Caietanum, & alios. *Exſt. Tom. 1. Lat. VVit.*

In horum veſtigiis pedes ſuos ponens Marſilius opem Inquiſitionis Venetæ implorauit; oblato ſupplice libello, vt cum Romana Inquiſitione ageret;

ne porrò de perſonali comparitione moleſta eſſe pergeret.

Huſſus & Lutherus Regum, Principum, nobilium, & popularis multitudinis fauore freti citationes Romanas aſpernabantur, & perpetuis proteſtationibus, prouocationibus, exceptionibus, appellationibus eludebant. Idem faciunt & iſti; vereor, ne eodem ſpiritu; *Quis* *Huſſus lib. de Eccleſia ca. 21.* *ergo color,* inquit Huſſus (quem vel ſcientes, vel neſcientes iſti ſtrenuè imitantur) *vel quæ ratio obedientiæ, vt perſona citata per CCC. milliaria, Papa incognita, ab inimicis delata, tam anxiè vadat per inimicos, & veniat ad inimicos iudices, & teſtes; conſumat bona pauperum ſumptuosè; vel, non habens ſumptus, vadat miſerè & in ſiti, & eſurie; & quis fructus comparitionis? Certè laboris à Deo iniuncti negligentia, quoad propriam ſalutem, & aliorum. Et, nec ibi docebitur benè credere; ſed, litigare, quod non licet ſeruo Dei. Ibi ſpoliabitur in conſiſtorio, in moribus ſanctis refrigeſcet, ad impatientiam per oppreſſionem incitabitur; &, ſi non habuerit dare, condemnabitur, etiam habens iuſtitiam. Et, quod grauius eſt, compelletur Papam, vt Deum, flexis genibus adorare, &c.*

Ex iam dictis recolligo, quòd excommunicatio me non afficit prætenſa, ſiue non ligat. quia inimici iudices, & teſtes reſident Romæ; & iudicem principaliter tangit cauſa. Eſt mihi diſtantia longa inimicis Teutonicis vndique circumſepta; non video comparitionis fructum, ſed negligentiam plebis in verbo Dei. Spero, quod præmuniuit me Chriſtus, dum dixit Matth. 10. Ecce ego mitto vos ſicut oues in medio luporum, &c.

Hæc ex Huſſo exſcribere libuit tum quia iuuat videre & annotare ſimilitudinem morum inter illos; qui à ſedis Apoſtolicæ obedientia ſeſe ſubtrahunt; & Chriſti vicario oblatrant; tum quia F. Paulus & ſocij forſan denuo publicabunt ſchedas ſui expurgandi gratia; cur Ro-

mam,

mam, licet vocati, non veniant. Vt igitur nouam formam, quam ſequantur, habeant; hanc ex Huſſo attexui.

Ne autem F. Capellus mihi obiectet; quod Theologis Italicis in ſuo libro obiecit; vnde ſciam illorum agendi modum, argumenta & firmamenta eſſe ex Huſſo, Wiclepho, Marſilio de Padua & Luthero deprompta; cum horum libri ſint prohibiti; nouerit; me & horum & eiuſdem claſſis aliorum damnatas & peſtiferas lucubrationes euoluiſſe; iuſſu, permiſſu, & conceſſu ſuperiorum, quibus ius & facultas huius poteſtatis faciendæ; eo fine; vt Catholica fides ab Hæreticorum impreſſionibus & calumniis aſſeratur. Quo in munere pro ingenij mei tenuitate iam aliquot annos, Deo bene adiuuante, poſui; & porrò itidem, eadem diuina gratia fretus, ponam. *Legimus aliqua, ne legãtur*, inquit S. Ambroſius, pręfat. in Lucam *Legimus, ne ignoremus. Legimus, non vt teneamus; ſed vt repudiemus, & vt ſciamus qualia ſint in quibus magnifici iſti cor exaltant.* *Fol. 157.*

Interim quod olim ſapientiſſimè monuit doctiſſimus Cardinalis Caietanus Fridericum Electorem, Lutheri Patronum; ſub cuius tutela mortalium ille audaciſſimus deliteſcens, omnes Romanas citationes perfricta fronte ſpernebat; aliquis id non iniuriâ potentiſſimo principi & ſenatui, ſub cuius alis iſti recubantes, fulmina Romana vilipendunt; in aures inſuſurret; *Iterum atque iterum rogo, vt Dominatio veſtra illuſtriſſima, non permittat ſe decipi à dicentibus: Nihil mali continent fratris Martini Lutheri* (F. Pauli, F. Fulgentij Minoritæ, F. Fulgentij Seruitæ; F. Capelli Conuentualis, Marſilij, ſimilium) *dicta, nec ponat maculam in gloriam maiorum ſuorum, & ſuam, propter vnum fraterculum; vt toties promi-* *Ext. Tom. 1. Operũ. Luth.*

 ſit.

ſit. Ego loquor puram veritatem, & ſeruabo Ieſu Chriſti regulam. A fructibus eorum cognoſcetis eos. Hæc pauca manu propria.

E. V. & illuſtriſs. D. ad obſequia,

Thomas S. Sixti Cardinalis, Legatus Apoſtolicæ Sedis

O monitum verè aureum. cui ſi obtemperatum fuiſſet; quàm felix & beata Germania hac tempeſtate eſſet; nec ſolum Germania; ſed & alia non pauca regna. Imponamus iam finem huic primæ conſiderationi, ne nimium excreſcat.

SECVNDA CONSIDERATIO.

Eiuſdem argumenti cum Priore.

PERGAMVS conſiderare ſimilitudinem eorum, qui nunc Romano præſuli ſeſe contumaciter opponunt; cum peſtilentibus hæreſiarchis Huſſo & Luthero. Iſti vt legitimi tribunalis ſententiam euitarent, vel moras, rei ſuæ gerendæ neceſſarias inuenirent, ad *appellationes* confugerunt. Cum Sbinco Archiepiſcopus Pragenſis, libros VViclephi, lectu pernicioſiſſimos proſcripſiſſet; & publicè concremandos, edita sãctione decreuiſſet; Huſſus ab edicto Archiepiſcopi ad Sedem Apoſtolicam appellauit; non animo parendi; ſed vt interea temporis venenatiſſimi illi libri latius diſſeminarentur, cauſſæque Huſſiticæ plures patronos progenerarent.

Tom. 1. operum Huſſi fol. 89. In tenore Appellationis.

Cum Alexander Papa hoc nomine Quintus anno Domini 1409, prohibuiſſet, ne in Bohemia vllis in locis

conciones

cõciones inſtituerẽtur; *niſi in cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, aut Monaſteriorũ Eccleſiis*, Huſſus, qui in neſcio quibus *Capellis* populum ſeducere conſueuerat; prohibitionis huius impatiens, *ab ipſo mandato*, (verba Huſſi vſurpo) *ad ipſum Alexandrum pro meliore informatione appellauit.* Hoc exſtincto, appellauit ad Ioannem XXIII. Cum neque hac via Huſſus optatum finem conſequeretur; noluit appellare ad futurum Concilium, ratus hoc *nimis eſſe longum*, & *incertum in grauamine auxilium*: ſed appellauit ad Dominum Ieſum Chriſtum. *Huſſus lib. de Eccleſia ca. 18.*

Huſſi morem egregiè expreſſit in pleriſque Lutherus. Nam citatus Romam venire noluit; alios Iudices poſtulauit. Datus eſt Cardinalis Caietanus. Num acquieuit Lutherus Caietani admonitionibus & inſtructionibus? A Caietano, hoc eſt, vt ipſe loquitur, *à Leone Pontifice malè informato, ad melius informandum appellauit*; adhibitis Notariis, omnique apparatu, qui ex Iuris præſcripto adhiberi ſolet. Cum Leo, improbitate nefarij hominis probè perſpecta, apud Germanos inſtaret; vt hunc tanta ſcelera auſum & auſurum exterminarent; Lutherus derepentè à Papa ad Concilium futurum prouocat. In quo à ſuo Magiſtro Huſſo diſcrepat; qui ad hoc, vt vocat, *auxilium inceſtum*, confugere noluit; ſed ad Deum iuit; etiam ſine *Apoſtolis*, abſque quorum comitatu, quid mirum, ſi non eſt admiſſus? Lutherus, vt Germanos naſo ſuſpenderet; & vires interea maiores ſibi compararet, ad Concilium futurum prouocauit; tam parum de proſequenda appellatione cogitans, quàm parum antea cogitarat de proſequenda appellatione ad Leonem X. Pontificem: ſed omnia hæc diuerticula, nil erant niſi technæ & ſtrophæ.

Quid noui noſtri pacis & religionis turbines? Marſilius, *proteſtatur de nullitate omnium & ſingulorum, quæ in eius abſentia, agentur (*à Romana Inquiſitione*) aut tractabuntur, &c. & ſi quidquam contra huiuſmodi ſuam proteſtationem attentatum fuerit, ex nunc, prout ex tunc, de iniuſtitia, & de grauamine, & de illorum nullitate proteſtatur, ac ab eis, & ab illorum quocunque (*ergo etiam à Papa*) ex nunc prout ex tunc prouocat; de nullitate dicit, & appellat ad illam, ſiue ad illos, ad quem vel ad quos, ac ex nunc, prout ex tunc, Apoſtolos petit, non ſe adſtringens, &c.* Et, quo tandem iſte *appellans* cum ſuis *Apoſtolis* ibit? Num ad ſanctiſſimum Dominum noſtrum *Paulum V. Pontif. Max.* & Eccleſiæ Dei vniuerſalem Paſtorem? Vix credo. Cedet in hac re Huſſo & Luthero: & quod ipſi, maximè Lutherus, hypocriticè duntaxat egerunt; Marſilius iſte nouus *ex nunc, prout ex tunc*, facere non audebit; quia nimis aperta; & vel cæco perſpicua, hypocriſis eſſet.

Forſan ibit cum Luthero ad futurum concilium. Et *tunc prout ex nunc* fortaſſis Paulum V. gregis Chriſtiani fideliſſimum paſtorem ſalutabit illis verbis, quibus Lutherus Leonem X. omni ſcilicet obſeruantia refertiſſimis & abundantiſſimis. Adſcribam in gratiam Marſilij. *Inter monſtra huius ſeculi, cum quibus mihi iam in tertium annum res, & bellum eſt, cogor aliquando & ad te ſuſpicere, tuique recordari, Leo, Pater beatiſſime: imò cùm tu ſolus, mihi belli cauſa paſſim habearis: non poſſum vnquam tui non meminiſſe. Et quanquã impiis adulatoribus tuis, in me ſine cauſa ſæuientibus, coactus fui, à ſede tua, ad futurum prouocare Concilium, nihil veritus Pij, & Iulij tuorum prædeceſſorum vaniſſimas conſtitutiones, id ipſum ſtulta tyrannide prohibentium: non tamen vnquam interim animum meum à tua*

Luth. Tom. Epiſt. Lat. Epiſt. 166.

tua beatitudine ſic alienaui, vt non totis viribus optima quaque tibi, ſedique ſua optarim, eademque ſedulis, & quantum in me fuit, gemebundis precibus apud Deum quaſierim, &c. Credat Iudæus Apella, non ego.

Forſan Marſilius ad Deum cum Huſſo appellabit. Si hoc animo ſedet; tum videat; vt ſolemnem appellandi ad Deum formulam non negligat. Neſcio num legerit opera Huſſi, deque ſtudio & induſtria faciat, quæ ille fecit; an caſu, & fortuitò. Ne tamen erret; placet adſcribere concepta verba huius Appellationis: non omnia, ſed magis neceſſaria, Tu aures fac vacuas.

Quia Dominus omnipotens vnus in eſſentia, trinus in perſonis, oppreſſorum eſt primum, & vltimum refugium, & Dominus cuſtodiens veritatem in ſeculum, faciens iudicium iniuriam patientibus, propè exiſtens omnibus inuocantibus eum in veritate, &c. Et, Chriſtus Ieſus verus Deus, & verus homo, in anguſtia Pontificibus, Scribis, & Phariſeis, ſacerdotibus, iniquis iudicibus, & teſtibus circumdatus per mortem grauiſsimam, & turpiſsimam à damnatione perpetua electos ante mundi conſtitutionem Dei filios volens redimere, hoc præſtantiſsimum exemplum reliquit in memoriam ſuis ſequacibus, &c. Ecce iſti ſacratiſsimo, & fructuoſiſsimo innixus redemptoris exemplo, ab oppreſsione graui, iniqua ſententia, & excommunicatione prætenſa Pontificum, Scribarum, Phariſæorum, & iudicum in cathedra Moyſi ſedentium, Deum appello, commitens ſibi cauſam meam, &c. qui nec timore concutitur, nec munere curuatur, nec falſis decipitur teſtibus, optóque, vt omnes Chriſti fideles, & præſertim Principes, Barones, Milites, Clientes, & cæteri regni noſtræ Bohemiæ incolæ ſciant, & compatiantur mihi per excom- Hiſt. Huſſi Tom. 1.

excommunicationem prætenſam oppreſſo grauiter, &c. Vnde manifeſtum eſt me non incurriſſe notam contumaciæ, cum non ex contemptu, ſed ex cauſis rationabilibus citatus non comparui in Curia Romana: tum quia inſidiæ vndiq; poſitæ ſunt mihi in itinere: tum, quia me fecerunt aliena pericula cautum, &c. Hanc appellationem offero ego Ioannes Hus Domino meo IESV CHRISTO, iudici iuſtiſſimo, qui noſcit, protegit, & iudicat cuiuſlibet hominis iuſtam cauſam. Sic Huſſus.

Quem forſan Marſili, imitandum propoſuiſti. Sed quos tecum deferes Apoſtolos? Certè ſanctus Petrus tecum non ibit. Nec ſanctus Paulus. Neque vllus ex Apoſtolorum legitimorum cœtu. citius in ſocietatem & defenſionem tuam adſciſces illum, qui in Epiſtola *Fundamenti* apud ſanctum Auguſtinum hoc habet elogium: *Manichæus Apoſtolus IESV CHRISTI*; Aut illum, quem Otto Brunfelſius, ſanctiſſimi Ordinis Carthuſiani deſertor turpiſſimus, vocat *Apoſtolum Dei*, in Epiſtola; qua huic nouo *Apoſtolo* opuſcula quædam Huſſi inſcribit. Scis, quis ille? Veniamus ad Fratrem Fulgentium, qui & ipſe appellat his verbis. *A quocunque ex tunc, prout ex nunc, de nullitate dico, deq́ue grauamine, & iniuſtitia appello ad quem, vel ad quos ex nunc, pro vt ex tunc, iudicium rectum, non ſuſpectum ſpectat, ſpectabitq́ue; in nullo, ad nullumq́ue me adſtringens.*

Quorſum iſte appellans tandem tendet? Fortè ad Conſiſtorium Geneuenſe vel ad Anglicanos Epiſcopos. Fortè cum Donatiſtis ad Imperatorem. Forſan' ad ſequentem Pontificem. At iſte vita necdum functus eſt; vtq; quàm diutiſſimè ſuperſtes ſit; hoſtesq; ſuos *duplici contritione contritos* videat; omnes ſedis Apoſtolicæ amantes

amantes & reuerentes vouent,& toto pectore exoptāt. Et vt maximè ad ſucceſſorem appellaret, alius euentus non ſequeretur, quàm is, quo Huſſus ab Alexandro V. appellauit ad Ioannem XXIII. Neque enim iſti appellant,vt obediant;ſed vt tempus extrahant; ſeque interea vel multitudinis, vel principum tutela præſidioque aduerſus iuſtitiam muniant.

Huſſus & Lutherus perpetuò proteſtabantur per ſe, perq; ſuos aduocatos *de nullitate* citationum,proceſſuū aduerſus ſe inſtitutorum; & cenſurarum, quas ſibi vel iam inflictas videbant; vel aliquando inflictum iri proſpiciebant: Indeſinenter de iniuſtitia & vi quiritabantur & calumniabantur tam ſuo,quam ſuorum ore & calamo. Poſtquam *Auctor narrationis de Actis Ioannis Huß in Curia Romana*, multipliciter mentitus & variis ſycophantiis Romanos proceres inſectatus fuerat;hæc ſubiungit. *Ipſe Dominus Cardinalis contra omnem iuſtitiam, & iuris ordinem mandauit eis,vt à modo non procurarent in dicta cauſa,nec à modo veniren tad ipſum, quia nollet eos amplius audire, aſſerens,quòd hoc haberet à Domino noſtro Papa in mandatis. Poſtea, dum ipſi Procuratores adhuc ſemper inſtarent pro miniſtranda iuſtitia,& audientia exhibenda.quidā ex ipſis Procuratoribus ſunt crudeliter incarcerati, & rebus variis ſpoliati. Item, Procuratoribus ſic,vt præmittitur,incarceratus;& poſt,à Curia propter infeſtationes recedentibus,ipſe Dominus Card. de Brancatiis ad inſtantiam æmulorum in cauſa vlterius proceſſit,& de mandato,vt aſſerebat, Domini Papæ,proceſſus Domini Cardinalis de Columna grauari præcepit, ex qua aggrauatione, proceſſus exorbitantes contra iuris ordinem,& contra generalia Concilia emanarunt.* Hæc barbarus Huſſi hyperaſpiſtes.

Ipſe Huſſus in *Appellatione ſua* ab Epiſcopo Pragenſi

ad Papam, vocat proceſſus aduerſus ſe & ſuos aſſeclas, inſtitutos, *friuolos, nullos, expreſſè errorem in ſe continentes*, Bullam Martini V. nominat *ſubreptitiè impetratam*. Itaque *nos Magiſtri*, inquit Huſs, *Baccalaurij & ſtudentes ſubſcripti, cum omnibus nobis adhærentibus, & adhærere volentibus, ſentientes nos multipliciter fore grauatos, & vehementer timentes, in poſterum durius poſſe grauari, à prædictis ſententiis, proceſſibus, & cenſuris, friuolis, iniquis, & nullis ſuper importatione, & combuſtione librorum prædictorum, & inhibitione prædicationis verbi Dei: nec non omnibus, & ſingulis grauaminibus, & perturbationibus ſupra dictis, illatis vel inferendis, & ab aliis, quæ inde ſequi poſſent, quomodo libet in futurum; in Dei nomine ad ſanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominū Dn. Ioannem, diuina Dei prouidentia Papam XXIII. & eius S. ſedem Apoſtolicam, quam ſemper corde, ore, & opere profitemur, & contra ipſum Dominum Sbynkonem prædictum Archiepiſcopum, prouocamus & appellamus in ſcriptis, &c.*

Lutherus in ſua Appellatione à Caietano ad Papam, *A præfato ſanctiſſimo Domino noſtro Papa, non bene informato, eiuſq; prætenſa commiſſione, ad ſupra dicti Domini Procuratoris Fiſcalis inſtantiam, (vt præfertur) ſignata, ac à prætenſis Iudicibus, & citatione ſupra dicta, ac prætenſo Proceſſu, contra me forſitan inſtituto, & inſtituendo, & omnibus inde ſecutis, & ſecuturis, & quolibet ipſorum, nec non à quolibet futuro grauamine, quod mihi ex eo venire poterit, ad ſanctiſſimum Dominum in* CHRISTO *Patrem, & Dominum noſtrum, Dominum* LEONEM, *diuina prouidentia Papam Decimum melius informandum prouoco, & appello in his ſcriptis, &c.*

Idem Lutherus in Appellatione à Leone X. ad Cōcilium. *A præfato ſanctiſſimo Domino noſtro Leone non rectè*

conſul-

conſulto, ſupraq́ dictis prætenſis commiſſione, & iudicibus, & eorum citatione, ac proceſſu, & omnibus inde ſecutis, & ſecuturis, & quolibet ipſorum, ac à quibuſuis excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicti ſententiis, cenſuris, pœnis, & mulctis, atque aliis quibuſdam denunciationibus, & declarationibus, (vt prætendunt) hæreſis, & apoſtaſiæ, per eos, vel alterum eorum, quomodolibet attentatis, factis, & molitis, attentandis, faciendis, & moliendis, ipſarumq́ nullitate (honore, & reuerentia ſemper ſaluis) tanquam iniquis, & iniuſtis, merè Tyrannicis, & violentis: nec non à quolibet futuro grauamine, quod mihi ex eo venire poterit, tam pro me, quàm pro omnibus, & ſingulis mihi adhærentibus, & adhærere volentibus, ad futurum Concilium legitimè, ac in tuto loco, ad quem ego, vel Procurator per me deputandus, liberè adire potero, vel poterit: Et ad illum, vel ad illos, ad quem, ſeu quos de iure, priuilegio, conſuetudine, vel alias mihi prouocare, & appellare licet, prouoco, & appello, in iis ſcriptis, &c.

Hæc & ſimilia Huſſus & Lutherus; quos paſſibus æquis affectans Marſilius; *Suprapoſita*, inquit, *denunciatio contra me publicata fuit, qua declaratus ſum in excommunicationem maiorem latæ ſententiæ, atque alias pœnas, vt ibi,* &c. *incurriſſe, tantum ob non paritionem, planè (quod ſalua reuerentia dictum ſit) contra omnia iura diuina, atque humana. nam quis cum euidenti, certoq́ periculo mortis parere tenetur literis citatoriis, ad reſpondendum de fide?*

Notetur illa phraſis: *Salua reuerentia*; qua & Huſſus & Lutherus vſi tunc, quando audaciſſimè & flagitioſiſſimè calumniabantur, & mentiebantur. Quaſi verò criminationes & pſeudologiæ, illæsâ reuerentiâ, fundi queant. Perinde faciunt; ac ſi quis alterum probroſo *nebulonis* cognomento afficiens; adderet: *ſalua tamen reuerentia.*

F. Fulgentius de ſua citatione Romam. *Citatorias & monitoriales literas, rationi diſſonas, iuri omni contrarias, à veritate alienas, nullam continere iuſtitiam, nullam ſeruare legem, nullam prorſus redolere Chriſtianam caritatem perſpicuum ſit intelligentibus, atq; illorum verſutias, & calumnias, calumniatorumq́;, & accuſantium malignorum depoſitiones non conuenientes, falſasq́; agnoſcentibus.*

Idem Fulgentius. *Si non attenderint* (Generales Inquiſitores ad excuſationem) *ſed aliquid indebiti, & iniuſti contra meipſum ſic abſentem, & obedientem, Catholicumque credentem, ac catholicè docentem, attentauerint; prout extunc coram vobis & tota Eccleſia proteſtor de iniuſtitia, grauamine ac nullitate, &c.* Eandem citationem vocat *Tyrannicam:* & tandem Cardinales Inquiſitores, & in his Summum Pontificem, cuius vices gerunt: ſic *ſalua* ſcilicet *reuerentia*, Huſſiticè prorſus & Luthericè perſtringit. *Vtinam ſibiipſis & vniuerſo gregi attenderent, & non ſpiritibus erroris: nec intenderent mandatis hominum auertentium ſe à veritate; ſed neq; fabulis, & genealogiis interminatis, quæ quæſtionem præſtant magis, quàm ædificationem Dei, quæ eſt in fide.* Profectò Huſſus, & Lutherus (liceat liberè vera fateri) vix atrociora ſuis in proteſtationibus, & appellationibus eructarunt.

Modeſtius paulò frater Paulus; qui ſub velo agit; quod alter in aperta ſcena. Ait: *Sicut huius ſacræ, & ſanctæ rei vſus eſt apprimè ſalutaris, ita inter omnia abuſus eſt maximè peſtilens, ac pernicioſus, dum innocentibus eo prætextu cōtra omnia diuina, & humana iura quandoq; inuidia concitatur, & indefenſi odiis onerantur, & opprimuntur, & ſana doctrina profligatur, qua mundus, & Reſpublica iuxta Euangelica, & Apoſtolica inſtituta, reguntur, & conſtant.* Quibus inſinuat, Romanos Inquiſitores poteſtate ſua abuſos,

idque peſtiferè & perniciosè; contra diuina & humana iura; innocentemque & indefenſum ab ipſis oneratum & oppreſſum; & ſanam doctrinam profligatam. Hic certè ſenſus exiſtet, *ſi* generalem illam F. Pauli theſin ad hypotheſin reuocare velis.

Idem Inquiſitores alloquens. *Si aliter à vobis factum fuerit*, (hoc eſt, ſi exceptionibus & excuſationibus meis locum non dederitis) *coram Deo & ſancta Eccleſia de nullitate veſtri decreti & vlterioris cuiuſcunque proceſſus dico, & diuinæ protectioni me committo &c. Quod ſi à veſtra communione ſeparatus fuero, contra omnem diuini ac humani iuris diſpoſitionem, æquo animo ferre paratus ſum.*

Quid dicam de ipſo Pontificio diplomate & interdicto aduerſus Dominos Venetos? Quis horum non proteſtatur plenis faucibus de illius *nullitate, honore & reuerentia ſemper ſaluis*, aiebat Lutherus. Ex quorum numero quidam, qui ſe Sacerdotem Theologum & Sancti Mauricij Venetiarum *plebanum* nominat; iam etiam occaſione harum turbarum in lucem prorepens, Theſes publicauit, inter quas decima ſexta ſic habet. *Hæc* (deliramenta theſibus antegreſſis effuſa) *veriſſima cum exiſtimem, Summus Pontifex propter nullum horum debuit, ſed neq; potuit, anathemate deſæuire contra Rempublicam Venetam.* Theſis decimaſeptima. *Ipſumq; anathema, ob cauſſas ſupra expoſitas; latum nullum atque inane eſſe. Nec vllo modo timendum.* Quæ omnia iſti, *ſalua*, cum Luthero & Huſſo, *reuerentia* Pontifici debita ſe agere profitentur. Interim, *Saluâ hac Huſſitica & Lutherana reuerentia*, religionem florentiſſimis & ampliſſimis in prouinciis funditus euerſam oculis noſtris partim quotidie intuemur; partim ex illis, qui intuentur, in dies ſingulos cognoſcimus. O ſi conſiderarent iſti Theologi diuinam illam &

conſideratione digniſſimam D. Ignatij præclariſſimi Epiſcopi & Martyris orationem, quæ exſtat in Epiſtola ad Magneſianos; abſque mora pedem referrent, & ſaniora conſilia caperent. Adſcribam pro coronide huius conſiderationis.

Decet & nos obedire Epiſcopo (ſi cuiuis, quanto magis primo?) *& in nullo illi refragari. terribile namq́; eſt, tali contradicere. nec enim hunc fallit, qui videtur, ſed inuiſibilem fallere nititur, qui non poteſt à quoquam falli. Nam, ſi id ſit, non*
1.Reg.8. *ad hominem, ſed ad* DEVM *redit contumelia. Samueli namq́;*
Ex.6. *dicit* DEVS; *Non te ſpreuerunt, ſed me. Et Moſes inquit; Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra* DEVM. *Nec enim legi contradixerunt Dathan, & Abiron, ſed Moyſi; & viui in*
Num.16. *infernum præcipitati ſunt. Core autem, & qui cum illo conſpirarunt, ducenti quinquaginta numero exuſti igne ſunt. Abſa-*
2.Reg.18. *lon parricida factus, cùm ex arbore penderet, per cor, praua il-*
2.Par.26. *la conſilia machinatum, lanceis traiectus eſt, &c. Ozias lepra*
1.Reg.13. *percutitur, auſus quid tentare contra ſacerdotes & ſacerdotiū. Saul honore priuatur regio, non exſpectans ſummum ſacerdotem Samuelem. Oportet itaque & nos reuereri præſtantiores: decetq́;, non modò vocari Chriſtianos, ſed eſſe. Nec enim dici, ſed eſſe, beatos facit. Si qui Epiſcopum appellant, & ſine eo omnia faciunt: huiuſmodi dicet ipſe, qui verus; & primus Epiſcopus eſt: Quid me vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico? Tales enim, non bona conſcientia mihi præditi eſſe videntur, ſed eſſe ſimulatores, & perſonati.* Oracula hæc diuini Martyris in intima præcordia demittenda ſunt.

CON-

CONSIDERATIO TERTIA.

Rurſus, de Huſſi Lutheriq; notis & inſignibus in Veneta cauſſa patronis reſplendeſcentibus.

VT Huſſus, & Lutherus imperitis fucum facerent, profeſſionem fidei publicè edebant; clamitabantq;, ſe nihil prorſus contra Romanam Catholicam Eccleſiam aut agere, aut egiſſe aut acturos eſſe: paratos pro defenſione & gloria eius: ſanguinem effundere.

Huſſus: *Hic fictor mendacij magnam nobis facit iniuriã dicens, & ſcribens in memoriam poſteris, quod ſimus à fide, quaſi totius Chriſtianitatis extraneantes. Re vera, ſi hoc ego de me, & de meis fratribus in Chriſto confiterer, eſſem ſimilis ſibi mendax. ſpero enim ex* DEI *gratia, quod ſum Chriſtianus ex integro, à fide non deuians, & quod potius vellem pati diræ mortis ſupplicium, quam aliquid vellem præter fidem aſſerere, vel tranſgredi mandata Domini Ieſu Chriſti. Et idem ſpero de mihi adhærentibus multis &c. Vnde, opto hodie, quòd fictor oſtendat mihi vnum punctum Scripturæ ſacræ, quem non teneo, & paratum me inueniet ad tenendum; & ſi alicubi docuerim, quod non debui, humiliter reuocandum, ſed ſpero, quod prius ambo ad tribunal Chriſti ſtabimus, antequam vnum iota legis Domini inueneris me negare. Et cum addit, quòd ſumus extraneantes in doctrina ſacra Rom. Eccleſiæ, matre totius Chriſtianitatis, par priori mendacio accumulat mendacium. quia, ſuum affirmare, vt dixi, non eſt aliquid liquidè probare, adhuc nec vnum punctum oſtendit, in quo à doctrina totius Chriſtianitatis extraneamus.* Huſſ. in Reſpõſ. ad ſcripta M. Ioan. Paletz.

Lutherus. *Inprimis ego Frãter Martinus Lutherus pteſtor me co-* In Actis Aug. coram Cardin.

Caietano To. 1. operum Luth. *me colere, & ſequi S. Romanam Eccleſiam in omnibus meis dictis, & factis, praſentibus, prateritis, & futuris. Quod ſi quid contra, vel aliter dictum fuit, vel fuerit, pro non dicto haberi, & habere volo. &c. Hodie proteſtor, me non eſſe mihi conſciũ aliquid dixiſſe, quod ſit contra ſacram Scripturam, Eccleſiaſticos Patres, aut decretales Pontificum, aut rectam rationem, ſed omnia, qua dixi, hodie quoq; mihi ſana, vera, catholica eſſe videntur.*

Marſilius in litteris excuſatoriis ad Romanam Inquiſitionem miſſis *proteſtatur, quod ſemper tenuit ac in praſentiarum tenet, ſanctam fidem Catholicam Sancta Romana Eccleſia, qua continetur in profeſſione fidei, ſancta memoria, Pij IV. quam ſape emiſit, & paratus eſt vſque ad effuſionem ſanguinis confiteri.* Quo ore pronunciabit, aut olim pronũciauit illã formulæ? *Sanctam Catholicam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum matrem, & magiſtram agnoſco; Romanoq; Pontifici, beati Petri, Apoſtolorum principis, ſucceſſoris, ac IESV Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo ac iuro.* Vbi nunc hæc ſponſio? vbi hoc iuramentum?

F. Fulgentius dicit, ſe neſcire cur Romã vocetur ad hæreticæ prauitatis Inquiſitores, *cum fidem à Chriſto & Apoſtolis eius traditam, à Sanctis Patribus & Doctoribus expoſitam, perq; eoſdem à Spiritu Sancto in generalibus Conciliis declaratam & decretam, ſemper integram, illaſam, incontaminatamq; conſeruarit; eiuſdemq; profeſſorem & defenſorẽ ſemper & vbiq; ſe profeſſus fuerit, tam dicendo, quàm ſcribẽdo.* Idem dicebant Huſſus & Lutherus. Num verè? Num ideo iniuſtè Romam citabantur?

Lutherus adeo nihil ſe cõtra Eccleſiam Romanam quoque ſe docere ferebat; & inſolentiſſimè iactabat, vt omnia pro honore Eccleſiæ Romanæ, & Summi Pontificis

tificis egiſſe videri vellet. Nam cum apud Pontificem accuſatus eſſet, quaſi Eccleſiæ dogmata labefactare inſtituiſſet: Sic reſcripſit ad Leonem X. *Ego iſta audiens plurimum dolui, officioſiſſimum officiũ meum tam infelix eſſe, vt, quod pro tuendo honore Eccleſiæ Romanæ ſuſceperam, in irreuerentiam etiam apud ipſum verticem eiuſdem Eccleſiæ, ac plenam omnis mali ſuſpicionem venerit. Nunc, beatiſſime Pater, coram Deo, & tota creatura ſua teſtor, me neque voluiſſe, neque hodie velle, Eccleſiæ Romanæ, ac Beatitudinis tuæ poteſtatem vllo modo tangere, aut quacunque verſutia demoliri. Quin pleniſſimè confiteor huius Eccleſiæ poteſtatem eſſe ſuper omnia, nec ei præferendum quidquam ſiue in cælo, ſiue in terra, præter vnum* IESVM *Chriſtum Dominum omnium. Nec Beat. tua vllis malis dolis credat, qui aliter de Luthero hoc machinantur.* Tom. 1. operum Luth.

Quid amplius à Luthero deſiderare potuiſſet, is, qui fraudes, ſtrophas & technas Lutheri ignoraſſet? cuius ingenium non obſcurè Patroni iſti Eccleſiæ æmulari, hac etiam in parte, videntur, dum quod gerunt, ſtudio Eccleſiæ iuuandæ & amplificandæ, & ab erroribus conſeruandæ, ſeſe gerere dictitant: tametſi Romanam Eccleſiam vix nominare audent; probè ſibi cõſcij, quod talia machinamenta, quibus ſuis in libellis hactenus vſi, non plus faciant ad Romanæ Eccleſiæ incrementum & honorem; quàm Lutheri labor, quem tanta verborũ pompa apud Leonem X. decantat. Hinc *Plebanus* ille, cuius ſupra mentio facta, putat orthodoxos ſcriptores ad libertatis Eccleſiaſticæ defenſionem tantummodo excitari, vt Pontifici *adulentur, ſeque ſpecioſos exhibeant.* Quæ ſunt ipſa propemodum Lutheri ad Leonem X. verba. Ait ipſe ab *adulatoribus Leonis coactum appellare ad Concilium.* Rogat, vt *adulatoribus iſtis frenum iniiciat-* Luth. epiſt. 164.

Impudentiſſimè his verbis affatur Pontificem: *Nullis crede, qui te exaltant, ſed qui te humiliant.*

Poſtquam Lutherus Indulgentias & poteſtatem clauium virulentiſſimè concutere, & publicis diſputationibus conuellere ingreſſus eſt; non defuerunt ex Catholicorum numero, qui ſcriptis oppoſitis nefariæ impietati obuiam irent. Quid Lutherus? Hos veritatis propugnatores apud Leonem X. & alios inceſſere non erubuit; tanquam *hæreticos, impiiſſima hæreticaq́ dogmata palam docentes, in grauiſſimum ſcandalum & ludibrium Eccleſiaſticæ poteſtatis.* Qui alibi eundem Pontificem ſic compellat. *Illi, illi, heu beatiſſime Pater, hanc Eccleſiæ Romanæ intulerunt iniuriam, & penè infamiam apud nos in Germania, quibus ego reſtiti, id eſt, qui inſulſiſſimis ſuis ſermonibus, ſub nomine Beatitudinis tuæ non niſi deterrimam auaritiam coluerunt, & opprobrio Ægypti contaminatam, & abominandam reddiderunt ſanctificationem: Et, quaſi id non ſatis fieret malorum, me, qui tantis eorum monſtris occurri, autorem ſuæ temeritatis apud Beatitudinem tuam inculpant.*

Luth. præfat. in Reſolut. Indulgent.

Luth. epiſt. ad Leonem X. To. 1. Lat. VViteb.

Luth. epiſt. 84. Tom. 1. Lat. epiſt.

Idem Lutherus alibi. *Sciant ſeſe errare, quando me à Romana Eccleſia alienum clamant: qui puriſſimè diligo, non modò Romanam, ſed totam Eccleſiam CHRISTI.* Qui etiam ſubtiliſſimo commento, inter Romanam Eccleſiam & Romanam curiam diſcrimen ſtatuit cum in epiſt. 166. ad Leonem X. tum in hac ipſa, quam modò citauimus. *Longiſſimè*, inquit, *latiſſimè, profundiſſimè diſtinguo inter Romanam Eccleſiam & Romanam Curiam: illam ſcio puriſſimum eſſe thalamum CHRISTI, matrem Eccleſiarum, Dominam mundi, ſponſam CHRISTI, filiam Dei, victoriam carnis, & quid dicam? cuius ſunt omnia. Hæc verò ex fructibus ſuis cognoſcitur,* &c. Neſcio, quæ ſit nouorum Theologorum circa hanc Lutheri diſtinctionem mens; cum

Luthero certè non verentur accuſare non modò doctiſſimos quoſque, ſed & illuſtriſſimos ſcriptores, qui ſe contra nouellam temeritatem pro domo DEI opponunt.

Marſilius: *Multi libelli partim tacitis, partim ementitis, partim propriis prapoſitis nominibus in lucem editi fuerunt. In quibus plerique viri docti, atque catholici prater multas propoſitiones ſuſpectas de hareſi, erroneas, temerarias, ſcandaloſas, ſeditioſas, calumnioſas, de iure, & de facto manifeſtò falſas, nonnullas etiam hareticas: quarum oppoſita expreſſe leguntur in ſacra Scriptura, ab ipſis auctoribus minus fortaſſe conſideratè prolatas fuiſſe animaduerterunt.*

Plebanus templ. Mauriciani præfat. in ſuas Theſes *Cum calamitoſis hiſce, Chriſtiana Reipublica temporibus; quibus Eccleſia Dei, ac religio ipſa protegi, à religioſis viris, atque ab ipſiſmet Eccleſiaſticis deberet: ab iiſdem in dies magis, atque magis diſpergi, atque labefactari videatur. Qui commentationibus, nunquam antea auditis, ſcripturis deterrimis, atque omni mendaciorum genere refertis, Summo Pontifici tantùm vt adulentur, ſeque ſpecioſos exhibeant; Venetorum religionem, atque integritatem, maiorem certè, quàm forſan in ipſis Romana vrbis collibus, vix eſt reperire: proh ſcelus, non ceſſant aſſiduè inſectari, atque laceſſere: quod dum efficiunt, Eccleſiam ipſam euertunt, atque laceſſunt.* An non hîc vides Lutheranum genium? progrediamur.

Subiiciebat Lutherus omnia ſua Leoni Pontifici. Audi ſubiectionem: *Beatiſſime Pater, proſtratum me pedibus tua beatitudinis offero cum omnibus qua ſum, & habeo. Viuifica, occide, voca, reuoca, approba, reproba, vt placuerit: vocem tuam, vocem CHRISTI in te praſidentis, & loquentis agnoſcam; ſi mortem merui, mori non recuſabo.* Idem ad Caietanum Cardinalem. *Edito libello Reſolutionum, me &* *præfat. in Reſolut.*

 omnia

omnia mea ſub pedibus ſuæ ſanctitatis proieci, exſpectans acceptur uſq́, quidquid ſiue damnanti, ſiue approbanti viſum fuerit: & planè nihil me omiſiſſe mihi conſcius ſum, quod ad debitum obedientemq́ Eccleſiæ filiũ pertinere poſſit. Magna profectò Lutheri obedientia; qualem nec in Adria reperio. Nullum inuenio, qui ſe & ſua omnia pedibus beatiſſimi Patris noſtri *Pauli Quinti*, tam diſertis verbis ſubiiciat, niſi fortè F. Capellum in his numerare velis. Quod tamen pro candidioris animi argumento duco, quàm fuerit in Luthero, cui tota illa ſubiectio, & oẽs verborũ præſtigiæ naſcebantur non in corde, ſed in ore. Quis enim cuiquam ex iſtis fidem haberet, ſi ſe omnia ſanctiſſimo *Patri noſtro Paulo V.* ſubiicere profiteretur; cum euidenter & ipſi & alij ſciant, ea ab illis fieri, quæ Paulus V. vniuerſalis Eccleſiæ Paſtor vigilantiſſimus, execratur & anathematizat.

Vociferabatur inſolentiſſimè Lutherus; *inſtruar, erudiar, audiar, conuincar erroris ex ſcriptura, cedam; enotentur falſæ propoſitiones ex meis libris: verbo Dei redarguantur. cedam.* Lutherus epiſt. ad Fridericum Electorem poſt comitia Auguſtana. *Damnent, doceant, interpretentur, vel Reuerendiſſimus Dominus Legatus, vel ipſe Summus Pontifex. Non autem dicant ſolùm: Errasti, malè dixiſti, ſed in ſcriptis ſignent errorem, probent, malè dictum. Rationem, quam debent, reddant: diſſoluant ſcripturas à me inductas. Doceant, ſicut iactant verbis, ſeſe feciſſe. Inſtruant doceri cupientem, petentem, volentem, exſpectantem, quæ nec Turcus homo mihi negaret. Videro aliter intelligenda, quàm intellexi: ſi tunc non reuocauero, & me ipſum non damnauero, Illuſtriſſime Princeps, tua Celſ. ſit prima, quæ perſequatur me, expellat me, obruant me viri Academiæ noſtræ. Denique cælum & terram contra me inuoco: perdatq́ue me ipſe Dominus*

minus meus IESVS *Chriſtus. Loquor & ego ex certa ſcientia, & non ex opinionibus. Nolo mihi Dominum Deum ipſum, nolo vllam creaturam Dei mihi fore propiciam, ſi edoctus meliora, ſecutus non fuero. Mira res eſt; quod erraſſe arguor, & obtinere non poſſum (nec per tantum Principem) in quibus, & quare ipſi me erraſſe putent.*

Iterum ego quoque atque iterum, & tertiò iterum rogo, Illuſtriſſ. Dominatio tua non credat iis, qui dicunt Fratrem Martinum malè dixiſſe, antequam audiatur, & doceatur malè dixiſſe. Errauit Petrus, etiam poſt acceptum Spiritum Sanctum: etiam errare poteſt vnus Cardinalis, quantumlibet doctus. Conſulat igitur Illuſtriſſima Dominatio tua honori ſuo, & conſcientia ſua, non mittendo me ad vrbem. Homo enim non habet hoc mandare Illuſtriſſima Dominationi ſua; cùm ſit impoſſibile me tutum fore in vrbe. Et id nihil aliud eſſet, quàm Illuſtriſſ. Dominationi tua mandare, vt traderet ſanguinem Chriſtiani, & fieri homicida, vbi nec ipſe Summus Pontifex ſatis tutò viuit. Habent papyrum, & calamos, & atramentum in vrbe, habent infinitos Notarios. facilè erit papyrum ſignare, in quibus, & quare errauerim. Poſſum leuioribus expenſis doceri abſens per literas, quàm perdi per inſidias praſens.

In Actis Auguſtanis: *Nihilominus tamen ſum homo, potens errare. Submiſi me, & etiam nunc ſubmitto iudicio, & determinationi legitima S. Eccleſia & omnibus melius ſentientibus.*

AcademiciWitebergenſes ad FridericumElectorem pro Luthero: *Rogauit, atq; impetrauit, vt apud illuſtriſſimā tuam Celſitud. intercederemus, & impetraremus: Quatenus Illuſtriſſ. tua Celſitudo dignetur ad eundem Reuerendiſſ. Dn. Legatum, vel ipſum Summum Pontificem ſcribere, & gratioſè interuenire, vt in ſcriptis ſibi ſignarentur articuli, & puncta*

errorum ſuorum; & adderentur vel rationes vel autoritates, quibus cognoſceret ſeſe erraſſe, & ſic reuocaret. Nec antea cogeretur damnare ſententias, quàm cognoſceret eſſe damnandas, quum ſic antiqua fuerit Eccleſia conſuetudo, & Patrum ſic doceant exempla, vt datis rationibus, & autoritatibus, ad emendationem erroris vrgerent. Non autem nuda ſua aſſertione, & poteſtate damnarent vllius dicta.

F. Paulus. *Eam obſeruantiam, obedientiam, ac fidem, quam ante vobis detuli, integram ſeruabo,* &c. *Ac vos obnixè deprecor, ſi quas ſententias, & propoſitiones in ſcriptis meis reprehendendas duxiſtis, illas excerpi, & ſuis nominibus notari iubeatis.*

Qui longa oratione oſtendere molitur ſententiam Inquiſitionis Romanæ fuiſſe nullam; quod ſingulæ ſententiæ ſeu propoſitiones ſtigmate inurendæ non fuerint ſpeciatim deſignatæ, & excerptæ; & ſuo quæque titulo exornatæ; ita vt determinatè indicaretur, quæ nam eſſent *temerariæ*, quæ *ſcādaloſa*, quæ *ſeditioſa*, quæ *ſchiſmatica*, quæ *hæretica. Cum nullo ſeruato Iuris ordine,* (en temeritatem) *libelli priuati auctoribus inauditis, interdicti, & prohibiti fuerint, nec ex illis excerpta ſint, & ſignata, ac cenſuris propriis per ſingulas notatæ ſententiæ, & propoſitiones, vt cuiuſmodi eſſent, & viderentur, manifeſtum per ſingulas fieret, quemadmodum olim & in Conſtantienſi Concilio præſertim fieri mos obtinuerat; ſed & nouo, & inaudito more, artificioſaq; oratione, in illis contineri plurima temeraria, calumnioſa, ſcandaloſa, ſeditioſa, ſchiſmatica, hæretica reſpectiuè pronunciatum fuerit. ita vt ob orationis obſcuritatem, & aduerbij interminatam limitationem non appareat, an illis nominibus omnibus, omnes libelli prædicti damnati fuerint,*

velquo nomine quilibet dignus cenſeatur, atque eius rei gratia, id factum fuerit, vt quandocunque, & quidquid libitum fuerit, & futurorum negotiorum rationes ſuaſerint, de illis dicere liberum, & integrum reſeruaretur, neque interim ſua auctoribus defenſio occurrere poſſet, &c. *Poſt tantum præiudicium mihi inaudito illatum, nunc contra me iudicium aliud, tanquam re integra conſtitui*, &c. *nullo iure decet.*

Quaſi verò integer liber damnari nequeat, ſed inde ſummas excerpere neceſſe ſit. Excerpſerunt aliquando Catholicæ fidei antiſtites ex Sectariorum monumentis propoſitiones damnationis nota inſigniendas; nominatim ex operibus Wiclephi, Huſſi, Lutheri; at hoc abſolutè non eſt neceſſarium; quia liber proſcribi & interdici poſſet; licet vnam duntaxat aſſertionem hæreticam aut ſchiſmaticam contineret: vt patet ex Indice librorũ vetitorum; qui profectò in molem ingentem excreſceret; ſi ex ſingulis compendiũ noxiarũ propoſitionũ conficiendũ eſſet. Itaq;, ꝙ Romani Inquiſitores vel F. Pauli, vel alterius cuiuſcunque integros tractatus proſcripſerunt, id non eſt factum contra Iuris ordinem; niſi fortaſſis cõtra Iuris ordinẽ pleriq;, quorũ nomina exſtant in Indice prohibitorum voluminum, condemnati ſunt; quia plerique eorum ROMÆ nunquam fuere auditi. Satis auditur auctor in libro. *Ex cantu auis, ex oratione vir cognoſcitur.* Verba ſunt mentis ſymbola. Quid opus ad condemnationem libri, audire auctorem præſentem; ſi liber pernicioſa auctoris conſilia manifeſtè prodat & pandat? Quid opus excerpere propoſitiones, vbi nil ſanum; vbi omnia ad ſchiſmata & ſeditiones compoſita? Ridiculus foret, qui

lepra

lepra toto corpore obſitus, lepram ſibi ſignatè monſtrari poſtularet. An non totus lepra es, & lepræ aliquid tibi oſtendi flagitas?

Mitto dicere, quòd iſti, Lutheri exemplo, plerunq; ita comparati ſunt; vt licet euidentiſſimi, & vel cæco aſpectabiles errores in os & faciem ingerantur, ipſi tamen pertinaciſſimè errores eſſe inficientur; qui ſimiliter faciunt, ac ſi fur vel adulter in furto, vel adulterio manifeſtario deprehenſus, furti vel adulterij ex ipſo vtriuſque definitione & notione; factique euidentia argueretur, ille autem vultu duro, quin & ferreo, obſiſtens, diceret: *Nego eſſe furtum. Nego eſſe adulterium. Conuincar ex ſcriptura. Proba, & manus dabo.* Quid agas? Quidquid attuleris, id ſtrenuè repudiabitur. Eodem prorſus modo egit Lutherus.

Luth. lib. cōtra ordin. Epiſcop. Interim ſimulatoriè ſe ſubmittit; hypocriticè inſtrui, & ſaniora edoceri cupit: imò lamentatur nullum inueniri, qui cupidiſſimo obſequatur: ſed poſtea, vbi ſe omnia impunè aggredi poſſe vidit, ſtylum vertit, & longe aliam cantilenam cecinit: nempe iſtam; *Vobis nunc palam ſignifico, me de cætero non tantum honoris habiturum vobis, vt me aut meam doctrinam veſtro, aut vllius Angeli de cœlo iudicio ſubiicere digner.*

Lutherus cenſuras Romanas ne vnius quidem aſſis æſtimauit; ſeque neſcio qua ſingulari protectione numinis vaniſſimè ſolatus eſt. (Exſtat Tom. 1. Lat. VViteb.) *Sicut non mereor*, inquit in epiſtola ad Caietanum, *ita nec timere habeo cenſuras. Et ſi ego DEI gratia talis ſim, vt cenſuras longè minus timeam, quàm errores, & malam in fide opinionem, ſciens, quod cenſura non nocet, imò prodeſt, ſi ſana fides, & veritatis ſenſus mecum fuerit.* Et ad ſuum Staupitium. (Tom. 1. Lat. VViteb.) *Res nec habeo, nec cupio. Famam, & honorem ſi habui, aſſiduò nune perdit,*

perdit, qui perdit. Vnum ſupereſt imbecille, & aſſiduis fatigatum incommodis corpuſculum, quod ſi qua vi, vel dolo abſtulerint, (in obſequium Dei) fortè vna, vel duabus vitæ horis me pauperiorem facient. ſufficit mihi dulcis redemptor, & propiciator Dominus meus Ieſus Chriſtus, cui cantabo quàm diu fuero.

F. Paulus. *Comminatæ infamiæ perpetuæ pœna minus concutior* (iuxta illud ſcilicet, *Curam habe de bono nomine.*) *Sed quod pro exponendis, ac defendendis iuribus, Catholicæ, ac potentiſſimæ, & toti orbi venerandæ Reipublicæ infamia notandus ſim, non erubeſco. Pœnas priuationis officiorum, & dignitatum, quas vltra excõmunicationem comminamini, nihil moror. Nulla officia, nullas dignitates aut volo, aut etiam oblatas ſum recepturus. In qua vocatione me Deus conſtituit, diuino ſeruitio incumbere decretum eſt. huiuſmodi illi, qui eas pœnas putant, commoueantur. Ego, maximum puto officium, maximam dignitatem, in hoc humili, & infimo gradu perpetuò viuere.*

F. Fulgentius. *Priuationis pœnam, infamiæ notam, atque excõmunicationis ſententiam, quas minitantur mihi, non formido, aut timeo; cum omnibus, necdum rebus, ſed affectibus ob Chriſti Domini ſequelam ſponte priuatus priuari, niſi Dei gratia, (quæ ab hominibus ſicut non datur, ita non aufertur) non timeam: neque per infamiam, & bonam famam aſſuetus, vt ſeductor & verax, infamari, niſi peccato poſſim; quod ſolùm facit infamem; & ſine quo excommunicatio infligi non poteſt, &c.* Nihil ſupererat, quàm vt cum Luthero cãtaret, *illud Reuchlinianum: Qui pauper eſt, nihil timet; nihil poteſt perdere.* Vel cum Huſſo. *Hus gaudet, quod nominatur & excommunicatur; ſperans, quod illa excommunicatio eſt paſſiua eius benedictio.* Scilicet violatio grauiſſimi interdicti, & inductio tam verbo quàm exemplo, vt ab aliis pariter viole-

Luther. Epiſt. ad Staupit.

Hus li. contra Steph. Paletz.

tur;& contumacia erga ſummum magiſtratum, & chartarum peſtilentium diſſeminatio, ſtyliq́ue & linguæ in ſummi Paſtoris iuſtiſſimum & æquiſſimum factum; nullum apud iſtos Theologos peccati culpæq́ue mortiferæ rationem habet. nec ad ſe forſan pertinere arbitrantur illud D. Ignatij monitum, *Subiecti eſtote Epiſcopo, Preſbyteris & Diaconis*, præſertim Cardinalibus. Neque illud: *Hortor, vt hoc ſit omnibus ſtudium, in Dei concordia omnia agere, Epiſcopo præſidente Dei loco*, (An nō Romanus Pontif. actionibus noſtris Dei loco præſidet?) *& presbyteris loco ſenatus Apoſtolici; & Diaconis, vt iis; quibus commiſſum eſt Ieſu Chriſti miniſterium.* Hoc diuini & inuicti Martyris ſaluberrimo mandato in poſtremis habito, intrepidè iſti ſummo Epiſcopo; Presbyteriſq́ue & Diaconis Cardinalibus obſtrepunt; & ad iuſſa capeſſenda aures occludunt.

S. Ignat. Epiſt. ad Philip. Et ad Magnes.

Huſſus & Lutherus vitæ morumq́ue teſtimonia Romam mittebant; ne *perſonaliter* comparere cogerentur, morumq́ue integritatem & innocentiam ſuam, immaculatam ſcilicet & intaminatam, grandibus tibiis decantandam curabant, vt conſtat ex Hiſtoria de Actis Huſſi, & ex litteris Academiæ Wittebergenſis ad Leonem X. & ad Fridericum Electorem. Neſcio quid iſti fecerint, Scripta & acta ſimile quid factum arguunt Marſilius in Proteſtatione à Veneta Inquiſitione ad Romanam deſtinata, luculentè laudatur. F. Fulgentius ſua in Exceptione hoc ſibi elogium in ipſo veſtibulo poſuit; & quidem literis propemodum vncialibus. FRATER FVLGENTIVS NATIONE ITALVS, PATRIA VENETVS, gente Manfredus, Fide Chriſtianus Catholicus, RELIGIONE OBSERVANS FRANCISCANVS, ORDINE SACERDOS, profeſſione ſacer Theologus,

logus, officio Prædicator veridicus, & veræ Euangelicæ doctrinæ propugnator acerrimus, atque Apoſtolicæ vitæ ſectator humillimus.

Magna præconum inopia hunc laboraſſe oportuit; cum ſuas laudes propria auena tam ſonorè, & ſuauiter demodulatus eſt, iuxta illud: *Laudet te alienus, & non os tuum; extraneus, & non labia tua.* Præconium hoc tam magnificum aliquantulum mihi videtur redolere illud: *Martinus Lutherus, Dei gratia Eccleſiaſtes VVitebergenſis, Appello me,* inquit, *Eccleſiaſten Dei gratia, & titulo inſigniui me ipſum. Et ſi Euangeliſtam etiam me Dei gratia nominarem, citius eſſem oſtenſurus, me hoc iure facere, &c. certus enim ſum Chriſtum ipſum me ſic nominare, & pro Eccleſiaſte habere, qui meæ doctrinæ magiſter eſt.* *Prouerb. 27.* *Luth. li. contra ord. Epiſcop.*

Huſſus, & Lutherus, quo magis in contumacia, & obſequij detrectatione proceſſerunt, eò magis conuicia in Romanum Pontificem; in Cardinales, & in vniuerſum ordinem Eccleſiaſticum petulantiſſima lingua iaculati ſunt: ita vt liber Huſſi *de Eccleſia*, & alius *de mēbris Antichriſti*; & pleraque Lutheri opera, nil aliud ſint, quàm conuiciorum, calumniarum & criminationum exaggeratiſſimæ moles ac ſtrues. Eſt enim ſpiritus hæreticus & ſchiſmaticus calumniator, criminator, ſycophanta; & cum in alicuius animo inſedit; ſibi ſimiles fædos & fætidos fætus progignit. Nil opus exemplis. Inſpiciat quis duntaxat Huſſi & Lutheri Tomos. Fatebitur vix quidquam maledicentius poſt hominum memoriam exſtitiſſe. Spiritus conſimilis in iſtorum chartis non rarò ſpirat. Quam dentatus & aculeatus eſt F. Paulus, & Marſilius cum in alios, tum in illuſtriſſimum Cardinalē Bellarminūm. Quot iam famoſæ & criminatrices chartæ in Pontificem; & in duos inuictos Pontificiæ cauſſæ propugnatores Baronium & Bellarminum in

vulgus euulgatæ ſunt. Quis Spiritus dictauit F. Fulgentio illa verba? *Ad hæc verò, quis Fiſcalis? vel ad quid pro eis Fiſcus? cum non de prædiis ampliandis, aut poſſeſſionibus acquirendis, domibus conſtruendis, aut ſupellectilibus poſſidendis, de quibus, proh dolor, & pudor, potiſſimùm concertatur, per quaue cultus diuinus minuitur, ſpiritualiũ cura negligitur, & animarũ ſalus periclitatur) ſed de rebus fidei tantùm ſpiritualibusdeq; ſpiritibus ipſis, animab⁹, inquã, agatur, & pertractetur inquiſitio ſine fiſcali, correctioq; ſine fiſco fieri debeat.* Qualis calumnia in Romã Inquiſitionem propter procuratorẽ *Fiſcalẽ*, cuius opera vti ſolet: quaſi non multis in locis Vicarij & Officiales Epiſcoporum dici ſolẽt *Fiſcales*. fiſciq; nomen ab Eccleſiaſticis rebus & foro penitus alienum ſit, neque vel Huſſo vel Luthero hæc de Fiſcali calumnia vnquam in mentem venit.

Reliqua omnia phraſin & indolem Lutheranam olent: quid enim Luthero frequentius in ore & calamo erat, quã ab Epiſcopis nõ quæri animas; ſed prædia, amplaſque fortunas? Omnia Lutheri, vt & Huſſi, volumina his lœdoriis & pſeudologiis ſcatent. Marſilius optat vt tandem tollatur *Babylonica confuſio, & temporalia à ſpiritualibus ſecernantur.* Quid aliud Lutherus crepuit, & crepat, quàm *Babylonicam confuſionem* in Eccleſia Romana? Illud verò ex intimo Lutheri penetrali, & ex ipſa *Babylonica captiuitate* deſumptum eſt. *Conſiderent* (Chriſti fideles) *an iugum noſtrum factum ſit importabile magis illo, de quo dixit Petrus; quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus. Quis hæc videre monſtra, quis pati queat?* Clamat Venetus Satyricus. *Iam nullus eſt ergo pudor? Non, non ferentur hæc, reor, diutius. Iam Rector ipſe cælitum, hanc deprimet potentiam, &c.* Plebanus Mauricianus ait Venetiis *maiorem forſan religionem & integritatem reperiri, quàm in*

ipſis

ipſis Romana vrbis collibus. Vtinam verè hoc affirmaretur. quod tamen orthodoxo difficile creditu accidet, quamdiu Veneti potius audiunt Fratrem Paulum, quàm Paulum V. Pontificem Maximum.

Cum actiones ipſa ſua habeant pramia, inquit S. Ignatius, *& obedientia proponitur vita, mors autem inobedientia: & ſinguli, qui aut hoc, aut illud elegerunt, in eius, quod elegerunt, locum abituri ſunt, fugiamus mortem, & eligamus vitam. In hominibus enim geminas notas inuenire dico; & hanc eſſe veri numiſmatis, illam verò adulterini. Pius homo, numiſma eſt à Deo cuſum: impius, adulterinum, & ſubaratum, non à Deo, ſed à diabolo effectum. Non quòd velim dicere, duas eſſe hominis naturas, ſed vnum eſſe hominem; qui iam Dei, iam diaboli ſit. ſiquis pietati ſtudet, Dei homo eſt: ſi impiè agat, diaboli eſt: non id factus per naturam, ſed animi arbitrium. Infideles imaginem referunt Principis malitia; & fideles, imaginem ferunt Principis Dei Patris, & Ieſu Chriſti, &c.* *S. Ignat. Epiſt. ad Magneſianos.*

Cùm Lutherus ſuam tragœdiam auſpicaretur, omnia plena erant tractatulis, & ſatyris plusque Menippeis in contemptum Eccleſiaſtici ſtatus & ordinis, præſertim Romanæ Eccleſiæ & curiæ, & Romanarum cenſurarum conſcriptis, & vndequaque diſperſis. Gloſſabantur gloſſis, vt ridiculis, ita & impiis, Bullæ pontificiæ tam ab ipſo Luthero, quàm à Lutheri aduocatis Scribebatur audacter; & poſtea etiam furioſiſſimè, contra edicta Eccleſiaſtica: cuius ſacrilegæ impietatis pleraque pars adhuc in Tomis Lutheri ſupereſt; digna quæ ad orcum demergatur. Non diſſimili pede proceſſum eſt in Bohemia, cum Huſſus os ſuum in blaſphemias reſoluere inciperet. An non iam quoq; libelli Satyrici & æquo dentatiores circumuolitant, abſque auctoris, typographi, lociq́ue deſignatione? Quid ſibi vult illa charta, cuius

inſcriptio? *Auuertimento & Ammonitione Catholica Al Padre Antonio Poſſeuino Gieſuito.* cuius auctor fingitur Wolffgangus Hoffman, Vratislauienſis; qui fortè nunquam hunc mundi ſolem vidit; quippe nunquam natus. Quid Satyricoteron illo profano ſcripto; cuius titulus: *Riſpoſta di Maeſtro Paſquino cittadino Romano à quanto gli ſcriue il Gobbo di Rialto, ſopra la ſcommunica publicata contra la ſereniſſima Republica di Venetia du Papa Paolo V. Et, le ſcritture delli Cardinali Baronio, è Bellarmino.* cui aſſimile illud cuius hæc in frontiſpicio. *Lettera del deuotiſſimo Padre fra Gio. Battiſta Palmerio, Romito, alli Fedeli Sudditi del Dominio Venetiano.* vt taceam, craſſiſſimam *Craſſi* Antiparæneſin, & orationes Anonymas ad Paulum V. Pontif. & librum peſtilentiſſimum & maledicentiſſimum, qui inſcribitur; *Chriſtianorum Reipublicæ Venetæ Ciuium & amicorum ad Antichriſtianam Cardinalis Baronij Paræneſin Reſponſio*; in qua iſti *ciues* & *Amici* Reipublicæ Venetæ his in ipſo prope libri veſtibulo calumnioſiſſimis Pſeudologiis lectorem excipiunt: *Eſt ſanè lippis & tonſoribus notum, nullum Romæ ſacræ Scripturæ vſum eſſe; niſi inter ſcommata & dicteria: nullam Chriſti mentionem, niſi inter blaſphemias: locum ei nullum, niſi in hiſtrionico illo dramate, quod vel in quotidiana Miſſa agitur, vbi ille ad magicum ſacrificuli murmur, inſtar Iouis Elicij, ſiſtere ſe cogitur; & ſacra ipſius cœna, in profanam, ac turpiſſimam ſcenam transformatur: vel in anniuerſario illo ludicro, quo res maximè ſeria, ipſius ſcilicet Chriſti, cum morte, & inferorum poteſtatibus colluctantis, agon, mimicis geſticulationibus, rituque prorſus thymelico, in templo, tanquam in theatro, exhibitus, popelli ſannis & ludibriis obiicitur.* Num craſſius & pinguius hoc in genere mendacium ex Caluini Lutheriue officina vnquam prodiit?

Num

Num ſceleratiora conuicia vnquam ex vllo vllius hæretici fonte fluxerunt, quàm ſint hæc eorundem *ciuium & amicorum*; non modò inciuilia & inimica, ſed prorſus Tartarea maledicta: *Si nullo alio documento oſtendi poſſet, Eccleſiam illam, cuius laudes tam ineptè ebuccinas*, Cardinalem Baronium affantur) *pridem in profanam Monarchiam, imò in Antichriſtianam tyrãnidem, ab illo ſiue Caiphâ, ſiue Calipha tuo conuerſam eſſe; vt neque vola, neque veſtigium appareat eius, quod ſub Cepha in ea viguit, regiminis; ſatis ſuperquè id oſtenderet, nouum illud Edictum, ſiue Interdictum; cui ne tui quidem, quibus paulò ſanius eſt ſinciput, adſcribere ſuſtinent. Bonum factum. Nempe ſi Deo militaret; ſi Chriſti, qui ne herciſcundæ quidem familiæ arbitrium officio ſuo congruere exiſtimauit, in militantis Eccleſiæ caſtris ſupremus legatus, ac ſingularis vicarius eſſet: eiuſmodi negotiis ſeſe implicaret? ſic ſeſe τῷ στρατολογήσαντι approbaret? Scilicet Pauli illius, qui negat arma militiæ ſuæ eſſe carnalia, ſucceſſor eſt Paulus iſte; qui armatus in prælia fratribus, ſubiectiſquè vniuerſa propemodum Europa feralibus, & furialibus bellorum facibus non Camarinam, ſed ipſum iam Acheronta mouet? Certè non Petri, gladium in vaginam recondere iuſſi; ſed Pompeÿ Sullaturienſis, & armatas equitum peditumq́; copias, ſupploſione pedis ex ipſis terræ viſceribus excire geſtientis. in Papâ ſpiritum experimur, eundémque vtriusq́; exitum opperimur. Detracta iam eſt larua magnæ meretrici; & quæ cæcas mortalium mentes tot iam ſecula obſederat.*

Scindit ſe nubes, & in æthera purgat apertum.

Nequicquam illa fœcundum concutit pectus, & nouas technas corruſpatur:

Cum bene ſe tutam per fraudes mille putauit;
Omnia cum fecit; Thaida Thais olet.

Sed noua ſcilicet, & inaudita Venetorum crimina delata ſunt

ad

ad hunc Patrem patratum, vt patrandis cædibus ſceleribuſqúe cælum terræ miſcere ius faſqúe ſit illi, & non ſine magna ratione inſaniat. Nimirum quia ſereniſsimus Princeps noſter, facto ſenatuſconſulto, vrbem hanc, plus ſatis κατείδωλον, *nouis idoleis augeri vetuit: quia, quod reliquum eſt ciuibus ſanguinis, ab harpyiis & hirudinibus veſtris exſugi noluit; quia ſicarios, parricidas, inceſtuoſos, magos, veneficos (quos Sacerrimus Pontifex veſter, ſimul ac vnguento illo meretricio delibuti fuerint, ſacroſanctos eſſe iubet.) cauſam dicere, conuictoſqúe duci iuſsit: atque vt rem in pauca conferam; quia Princeps noſter, cum Senatu ſuo, tandem aliquando ſapere cœpit, neque deinceps Romani Briarei vngues ſibi cum Dandulo pertimeſcendos, ſed excuſſo veterno, poculiqúe Babylonici temulentia, gladium diuinitus acceptum, in ſceleratiſsimum illum, non Chriſti præconem, ſed Chriſtiani orbis prædonem ac Tyrannum, legitimis Principibus, tanquam canibus inſultantem, ſtringendum ſtatuit.*

Ad hoc decretum quaſi hippomanes hauſiſſet, Paſtor ille Paſtorum, ſed potius Alecto illa, Gorgoneis infecta venenis

——ſtabuli de culmine ſummo
Paſtorale canit ſignum, cornuq́; recuruo
Tartaream intendit vocem.——

Hinc bullas, ampullaſqúe ſuas, lolliginis ſucco, imò antiqui ſerpentis veneno turgidas, in nos, tanquam auſos immane nefas, effundit, nos ex conſortio fidelium, ex numero hominum, è finibus humanæ naturæ exterminandos eſſe vociferatur. Scilicet non ſatis laxè, neque vt hominem ſe habitare putat, Monſtrum illud hominis: niſi, vt olim Nero ex vrbe Roma priuatam domum facere cœperat; ſic ex vniuerſo orbe Romano, templum ſibi extruat perditionis Filius; in quo ſedens, ſupra omne Numen elatus & inflatus, adorandum ſe præbeat. tametſi

iam

iam pridem adeò exundauerit illa Idolomania lerna, vt plures viſantur ædes ſacræ, quam profanæ; nec Veios modò, ſed ipſos etiam Indos occupauerit huius Veiouis fanum; totquè diuorum, velut apum è caſis iuuencis, paſſim erumpant examina, vt de Antichriſti Synagoga, omnium ſuperſtitionum colluuie, verius dici poſſit, quam de Ethnica Roma τῆς οἰκουμένης ἐπιτομῆ: tam præſentibus plenam eſſe numinibus, vt facilius ſit Deum inuenire quàm hominem, &c. Hæc & plura talia prorſus Turcica & Scythica conuicia euomunt *ciues* iſti & *amici* Reipublicæ Venetæ in ſummum Pontificem.

Dicite mihi; tu F. Paule; tu F. Capelle; Tu gemine F. Fulgenti Seruita & Minorita; iſtos ne tam ſacrilegos & nefarios ſycophantas & Eccleſiæ Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Calumniatores atrociſſimos pro *ciuibus* & *amicis* Reipublicæ Venetæ ducitis? Bone Deus; ſi iſti ſunt *ciues* & *amici* veſtri; & in iiſdem caſtris commilitones, funditus periiſtis & occidiſtis; nec quidquam reſtat, niſi, vt cum Luthero veſtem religioſam in togam *Prædicanticam* commutetis.

Dic mihi, Tu *ſereniſſima & potentiſſima Reſpublica* Veneta, ſunt ne iſti *ciues* & *amici tui*; qui tibi decretum conſtitutumq; aiunt; auitam & patritam religionẽ; in qua nata, educata; & ad tantam gloriam & maieſtatem educta es; deſerere; & ad nouitias Nouatorum partes tranſire; abiecta obedientia Chriſti Vicario debita? Sunt ne iſti tui *ciues* & *amici*, qui tantis mendaciorum portentis celeberrimum tuum nomen lancinant; & infamant; quaſi defectionem à Catholica fide non modò molita fueris; ſed & iam reipſa peregeris? Ego quò minus hos vera canere credam; faciunt iſti ipſi commentitij tui *ciues*

& *amici* laruati; qui Epiſtola quadam ad Paulum V. Pontif. excuſa Phinopoli; noua ciuitate, quam nuper in maleſano ſuo cerebro condiderunt; hæc palam ſcripſerunt; *Reſpublica nunquam deficiet à Religione Catholica, & à communione ſanctæ Eccleſiæ Apoſtolicæ Romanæ.* Mentiuntur ergo cum in Reſponſo ad Baronianam Parænesin dicunt; Principem & Senatum Reipublicæ tandem aliquando ſapere id, eſt, *Caluinizare* & *Lutherizare*, cœpiſſe; hoc enim iſtis eſt *ſapere.*

In eadem Epiſtola ad Pontificem hæc recitant ex litteris Principis ad ſubditos Venetos verba. *Eſſendo deliberatione noſtra fermiſſima, di volere continuare nella ſanta ſede Cattolica, & Apoſtolica, & nella oſſeruanza della ſanta Romana chieſa, ſi come li maggiori noſtri, dal principio della fondatione di queſta Città, ſino al preſente, per Diuina gratia hanno continuato, &c.* Hoc eſt. *Cum nobis decretum conſtitutumque ſit, in ſancta fide Catholica, & Apoſtolica, atque in obſeruantia erga ſanctam Romanam Eccleſiam perſiſtere, quam maiores noſtri à prima Ciuitatis origine hucuſque diuina comitante gratia, & ſine vlla intermiſſione coluerunt, &c.* Qua fronte igitur iidem in Reſponſo ad Parænesin ita triumphant; quaſi iam vrbs Veneta ſit conuerſa in Geneuam aut Wittebergam? Qua fronte tot maledicentiſſimis conuiciis in Romam; Romanam Eccleſiam, Romanumque Pontificem furioſiſſime tonant & debacchantur idque velut ex communi iam ſenſu & aſſenſu Reipublicæ Venetæ?

Sciſcitabitur fortè quiſpiam, vnde mihi conſtet, *ciues* & *amicos* iſtos Reipublicæ Venetæ, qui Diabolica prorſus nequitia & maledicentia Baronianam Parænesin inſectati ſunt; eſſe Auctores illarum Epiſtolarum ad Paulum

Paulum V. Pontificem Maximum? Reſpondeo, id liquere ex ſtylo & genio, qui vtrobique prorſus idem eſt; nec Menæchmi tam ſimiles fuere; quàm hic ſpiritus ex vtraque Inuectiua ſpirans: vt ſileam eundem planè typum; idem inſigne ſeu emblema frontiſpicio impreſſum; ſerpentem videlicet in orbem circumactum, & extremam corporis ſui partem ore apprehendentem & tenentem; ſertoque cinctum laureo. At ſatis in præſenti de his *amicis*.

Nec religioni duxit F. Paulus edere *conſiderationes* ſupra Cenſuram ſanctiſſimi D. N. Pauli V. Nec vel hunc vel alios conſcientia & reuerentia ſupremo Præſuli ex ipſa religioſi ſtatus & Theologicæ profeſſionis conditione debita abſterruit; quo minus palàm interdictum Pontificium refutarent; extruſo in vulgus libro hac inſcriptione. Trattato dell'interdetto della ſantità di Papa Paolo V. &c. compoſto dalli ſotto ſcritti Theologi. Ven. 4. Quid chartarum iam non eſt perditum in oppugnando Pontifice; & defendenda contumaci inobedientia, non ſine opprobriis in illos, qui maluerunt ſedem; quam fidem ſedi Apoſtolicæ obſtrictam mutare. Nec fabula recto talo ſtaret; niſi in Ieſuitas, tanquam in anathematis huius auctores, culpa transferretur. Scilicet Ieſuitæ Pontifici ſunt à conſilio; dimiſſoque iam Cardinalium ſenatu, cum Ieſuitis Papa conſultat; in quos *Excommunicationis* & *Interdicti* cenſuris animaduertere debeat.

Lutherus Indulgentias & poteſtatem clauium oppugnare ingreſſus, inuerecundo prorſus vultu aſſerebat; *nullum à ſe dogma fidei peti; nullum ſuis diſputationibus tangi. Quæ diſputaret, in opinionibus conſiſtere. Rem exigui ponderis eſſe.* Iſti quoque mirantur ſe citari Romam; cum

controuerſia Venetos inter & Pontificem *non ſit fidei*; vt aiunt; nominatim Frater Fuglentius in ſua appellatione. Quaſi verò res fidei non ſit, obedientiam ſummo paſtori præſtandam, & iuſſa eius capeſſanda eſſe. Dices. *Si iuſta ſint; non ſi iniuſta; iniuſta autem eſſe; quæ Paulus V. mandet.* Idem occinebat Huſſus: idem Lutherus. Quidquid Pontifex mandabat; id iniuſtum videbatur, quia nihil pro iuſto habebant; niſi cum illorum appetitione & opinione congrueret. An non eſt res fidei libertas & immunitas Eccleſiaſtica; quæ palam hic oppugnatur; & poteſtas Pontificia; quæ audacter & pertinaciter conculcatur? An non eſt res fidei ſummo Pontifici ius fasque eſſe; errores ſubditorum caſtigare; & circumſpicere; ne quid detrimenti capiat Eccleſia?

Huſſus & Lutherus reſecti per Cenſuras ab Eccleſia, ſuauiter ſibi blandiebantur; *quaſi tum demum à Deo in ipſum diuinum gremium recepti eſſet.* Idem & iſti faciunt. vana ſpe ſeſe lactantes ac paſcentes. Quî verò in ſinum Dei recipiatur; qui Ethnici & Publicani loco ab hominibus haberi iubetur? Quaſi verò Deum habeat Patrem; qui Eccleſiam detrectat habere matrem. Egregiè obſeruant iſti Præceptum illud Apoſtolici viri Ignatij. *Reueremini Epiſcopum ſicut Chriſtum, quemadmodum nobis præceperunt Apoſtoli. Qui intra altare eſt, mundus eſt: quare & obtemperat Epiſcopo, & ſacerdotibus. Qui verò foris eſt, hic is eſt, qui ſine Epiſcopo, Sacerdote, & Diacono quidpiam agit; & eiuſmodi inquinatam habet conſcientiam, & infideli deterior eſt. Quid enim aliud eſt Epiſcopus, quàm is, qui omni principatu, & poteſtate ſuperior eſt; &, quoad homini*

S. Ignat. Epiſt. ad Trallian.

mini licet, pro viribus imitator Chriſti Dei factus? Quid verò ſacerdotium aliud eſt, quàm ſacer cætus, conſiliarij & aſſeſſores Epiſcopi? Hæc S. Ignatius.

Quid Marſilius? *Nihilominus me* (excommunicatum, præciſum, ſchiſmaticum) *in Catholicorum ſcriptorum numero, atque adeo in Eccleſiæ communione retineant* (Fideles) *qui pro veritate tuenda hæc patior.* Idem Stentoreis vocibus clamitabant Huſſus & Lutherus. Num ideo innocentes? Non aduertit nouus iſte Marſilius, ſe repugnantia poſtulare. Cupit in Catholicorum numero & in Eccleſiæ communione retineri. Num hoc fieri poteſt, poſito, quod, vt es, Apoſtolico gladio ab Eccleſia præciſus & defectus es? Quomodo membrum iam abſciſſum retineri poteſt in corpore? Redi prius ad vnitatem; & vbi ſeriò redieris, retineberis. Iam enim de retentione agendi non eſt tempus; ſed de regreſſione. Iam extra es; quia ſchiſmaticus es. At negas. Etiam Hus & Lutherus fortiter negabant; An ob hanc negationem non ſunt & fuêre extra Eccleſiam? Etiam Græci ſchiſmatici inficiantur ſe viuere extra Eccleſiam. Num ideo non ſunt extra? Et in cuius tandem Eccleſiæ communione retineri cupis? Nos nullam nouimus; niſi eam, quæ Romano Pontifici, tanquam ſuo capiti, ſubeſt. In hac ſi retineri cupis; reuertere prius & tum retineberis; redique ſalutarem ſubiens pœnitentiam ob hanc ſchiſmaticam tuam audaciam. Si autem in alia, quàm Romana Eccleſia retineri cupis; tu videris, quæ nam illa; & vbi ſit; niſi fortè nouam in Adriatico mari exſtruere cogitas, ſed memineris Catholicam Eccleſiam non eſſe ædificatam

ſupra mare; ſed ſupra petram, & rupem immotam; nulloq́; rerum turbine commouendam.

Pro clauſula huius conſiderationis aureum hoc D. Auguſtini dictum iſtos conſiderare volo. *Nullo modo poſſunt dicere, ſe habere charitatem, qui diuidunt vnitatem.* Cui adiungant & hoc non minoris pretij, ſanctiſſimi Martyris Cypriani. *Scire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; &, ſi qui cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe; & fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum ſacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt: quando Eccleſia, quæ Catholica vna eſt, ſciſſa non ſit, neque diuiſa, ſed ſit vtique connexa, & cohærentium ſibi inuicem ſacerdotum glutino copulata.*

S. Auguſt. tract. 7. in Euang. S. Ioann.

S. Cyprian. Epiſt. 69. ad Pupian.

QVARTA CONSIDERATIO.

Plures expenduntur ſimilitudines, in quibus cum Huſſo & Luthero Venetiani Theologi conformantur.

Hiſt. Huſſi. Tom. 1.

HVSSVS Romam citatus, cur non compareret, hanc præter cæteras cauſſam reddidit; *quod Canonum exſtet diſpoſitio, vt iudices loca viſitent, in quibus crimen eſt commiſſum, ibiq́ue inquirant contra infamatum vel accuſatum obiectionem criminis ab illis, qui ex conuerſatione habent notitiam accuſati.* Scilicet Alexander V. & Ioannes XXIII. Et tota Inquiſitio Romana Pragam in Bohemiam proficiſci debebat; & ibi Huſſo diem dicere; dicamq́ue ſcribere.

Marſilius ſui purgandi gratia dicit: *non eſſe morem, vt ab Inquiſitione Romana vlla litteræ citatoria aut monitoriales ad ciuitatem Venetam mittantur; omnia dubia Venetiis expediri; & per definitiuam quoque ſententiam terminari.* Si ergo, vt vi-

vt video; Lutherus tragœdiam ſuam Venetiis exorſus fuiſſet; nefas fuiſſet Inquiſitioni Romanæ Lutherum litteris citatoriis Romam euocare. An ſupremæ & generali totius orbis Inquiſitioni neminem aliunde euocare licet? Quis, obſecro, hanc ei poteſtatem ademit? Nam ſi fortè nullus antea citatus eſt Venetiis Romam; non aliam ob cauſſam id factum arbitror, quàm quia Inquiſitio Veneta officio ſuo legitimè & ſtudiosè fungebatur. Nunc poſtquam & ipſa ſe coniunxit cum pacis & charitatis turbatoribus, ridiculum profectò foret; ſi Romana Inquiſitio ei ius & arbitrium in Marſilium & ſocios permitteret.

Idem Marſilius. *Quis trahi poteſt extra tribunal loci, in quo habitat, in prima inſtantia, Romam, cum alibi fieri id commodè poſſit?* Commodè id fieret pro Marſilio. At non commodè pro iuſtitia; nec pro rei æquitate. Commodè pro Marſilio, quia Venetiis iudices ad ſtomachum ſuum reperiret; qui ſcilicet non eſſent *maleuoli, vel inimici accuſati vel delati hominis; ſed honeſti, non criminatores, ſed legis Chriſti feruidi zelatores*; quales optabat Huſſus; hoc eſt, ſibi ſimiles; & ſecum in omnibus ſentientes. Et quando Huſſus vel Lutherus non ſubiiſſent alacriter iudicium; ſi cauſſa apud Huſſitas vel Lutheriſtas diſcutienda fuiſſet? Mirum quoque à Leone X. ex Saxonia Lutherum Romam euocatum; & à Caietano Cardinale, Auguſtam, extractumque extra tribunal loci, in quo degebat; & hoc in prima etiam *inſtantia*. Si Luthero Marſilius præceptor & inſtitutor obtigiſſet, facilè citationes iſtas declinaſſet; & VVitebergæ in Saxonia apud æquiſſimos illos Minoas & Rhadamanthos, Melanchthonem; Iuſtum Ionam; Ambſtorffium, & ſimiles cauſſam dixiſſet.

Huſſus.

Huſſ. lib. de Eccleſia cap. 22.

Huſſus. *Nunquam aliquis Iudex poteſt aliquem ſic excommunicare, niſi ipſe per crimen prius excommunicet ſeipſum.* Marſilius ſpiritu Huſſitico inſtinctus. *Si quis dixerit aliquem à Chriſto aut à Catholica eccleſia communione ſeparari, niſi prius ipſe ſe ſeparauit; eſt hæreticus.* Senſus eſt is, quem Huſſus clarius expreſſit: neminem poſſe excommunicari; niſi prius excommunicetur à Deo; cuius ſimile quiddam dixit Gerſon conſideratione tertia, ex illis; quas Frater Paulus in Italicam linguam vertit, quaſque Cardinalis Bellarminus accuratius diſcuſſit, ne ſimplicioribus imponerent. Ait enim Gerſon. *Eum, qui peccat mortaliter à Deo excommunicari, ſeu excommunicatum eſſe.* Quod, vt rectè monet Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, verum non eſt; propriè loquendo de excommunicatione: aliâs peccatores abſque nouo peccato non poſſent intereſſe Miſſæ, aut aliis diuinis officiis; quod falſum eſſe omnibus conſtat. Sed admittamus intellectum ſeu ſenſum, quem Marſilius innuit; neminem maiore excommunicatione plecti poſſe, niſi prius à Deo per peccatum mortale receſſerit, atque adeo eatenus gratia & amicitia Dei ſe priuauerit; an Marſilius exiſtimat; id cuius cauſſa Principi & Primatibus Venetis excommunicatio maior inflicta fuit; non eſſe peccatum mortale? An tam latæ & ſpatioſæ eſt conſcientiæ, vt cum factum illud contra Pontificis diploma tuetur; cumque libros ſcandalo & offenſione plenos diſſeminat; & Dominos Venetos, ne Pontifici ſe ſubiiciant; incitat & irritat; & cum ipſe, tempore interdicti, diuina peragit; aliosq́;, vt peragãt; exemplo, & verbo inuitat & impellit; cumque pertinaciſſimè Inqui-

& Summo Pontifici & generali Romanæ Inquiſitioni ſe opponit; & oppoſito ſuo alios ad ſimilem audaciam promptos & faciles efficit; an inquam, cum hæc omnia agit; ſe in lethalem culpam, dignam plecti excommunicatione incurrere non arbitratur? Si quis Dathan, Core & Abiron ſchiſmaticos illos veteres, omniumq́; ſchiſmaticorum imagines & paradigmata, à mortali ſcelere vindicare poteſt; is vbi conatus iſte feliciter ceſſerit, tũ etiam ad vindicationem Marſilij à tanta noxa accedat. Quid aliud ſpirant omnes Marſilianæ & ſodalium chartæ: quàm illud ſchiſmaticum. *Non venimus. Nunquid parum eſt tibi, quod eduxiſti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, vt occideres in deſerto, niſi & dominatus fueris noſtri?* *Num. 16.*

Pergit Marſilius. *Si quis dixerit aliquem ſine ſua culpa excommunicatum, hoc tantum quia non auditur Pontifex, vel eius miniſtri non audiuntur, cum audiri nec poſſunt, nec debent, verè & validè excommunicatum eſſe: Eſt hæreticus, ac proinde ipſe eſt excommunicatus.* Sit hæc tua propoſitio loco Maioris. Ego ſubſumo. *Sed Princeps Senatusq́; Venetus; item Marſilius, F. Paulus, F. Fulgentius & alij excommunicati ſunt, ideo tantùm quia non audierunt Pontificem, & eius miniſtros, cum audiri nec poſſent, nec deberent.* Nego minorem; quam quo tãdem fulcro fulciet Marſilius? Quia omnes iſti & poterant & debebant Pontificem Summũ, & Inquiſitionem generalem Romanam audire; æquè ac olim Huſſus, Lutherus & ſimiles: at non audierunt, & contumaciter audire reſpuerunt; Iure igitur & validè coram Deo & hominibus excommunicatione percuſſi ſunt.

Poſtquam Huſſus explicauerat effectus maioris Excommunicationis, ſubiunxit: *Et iſta Excommunicatione me nunc in proceſſibus, & in denunciationibus notant, ab om-*

ni humana participatione ſecludentes. Sed benedictus ſit Deus, qui non dedit tantam vim illi excommunicationi, quod poſſet homini iuſto virtutem, vel iuſtitiam auferre, dum humiliter patitur: nec peccatum poteſt ſibi inferre. Non abſimiliter Marſilius. *Certus ſum,* inquit, *cum Apoſtolo, quod nemo ſit, qui poſſit me ſeparare à charitate Chriſti & Eccleſiæ, niſi prius ipſe me ſeparauero, quod certè nõ effeci.* Pulchrè. Quaſi Chriſtus Petro non dixerit: *Quodcunque ligaueris ſuper terram; erit ligatum & in cœlis:* Sed, *quodcunque homo prius ligauerit; & tu poſtea etiam ligaueris, illud erit ligatum in cœlis.* Nec *quodcunque ſeparaueris* (hoc enim eſt, quodcunque ligaueris) *erit & ſeparatum in cœlis;* Sed, *quandocunq; ſe homo ſeparauerit, & tu etiam ſeparaueris illum; tũc pariter erit ſeparatus in cœlis*: Quaſi verò excommunicatio, hoc eſt, ſeparatio ab Eccleſia, eo modo, quo quis per excommunicationem ab Eccleſia ſeiungitur; ab ipſo ſeiuncto pẽdeat; vt ſi ſeiungi nolit, ſeiungi non poſſit; poſito crimine, & quidem mortali, & loquendo de Excommunicatione maiore; à quo, vtinam tam verè ſe purgaret Marſilius, quàm id facit ſtudioſè & anxiè. Nemo quidem, niſi volens, ſeparari poteſt à gratia & charitate Chriſti; ſuppoſito tamen mortali peccato, etiam nolens poteſt ab Eccleſiæ communione ſeparari; & neſcio quid de Marſilio ſuſpicari debeam; qui hoc totum in ipſius nocentis arbitrio conſtituit: quaſi nullus poſſet ab Eccleſia ſeparari, niſi ipſe velit, quod etſi verum ſit reſpiciendo ad cauſſam, propter quam excommunicatio infligitur; non eſt tamen verum, ſuppoſita hac cauſſa; quia etiam inuitus & reluctans, ligari & ſeparari poteſt (ſicut accidit Marſilio & ſociis) & præterea pœnitens, in pœnam peccati antegreſſi; & in cautelam aliis, ne ſimilia incœptent. Hinc fieri poteſt, vt excommunicatus per

veram & ſeriam contritionem in gratiam cum Deo redeat; & tamen Eccleſiæ communione priuatus maneat; donec ab hoc vinculo per Eccleſiam exſoluatur; quia Chriſtus nunquam dixit: *quidquid ſolutum erit in cœlis, illud etiam ſolutum erit in terris:* ſed vice verſa: *quidquid ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis.* Nec eſt neceſſe; vt etiam ad ſaniora conſilia redeunti, Eccleſia ſtatim pacem & communionem reddat.

Hinc Marſilio, F. Paulo, & id genus aliis Pontifex dicere poteſt; quod olim S. Cyprianus dixit Florentio Pupiano. *Si Maieſtatem Dei, qui Sacerdotes ordinat, cogitaueris: ſi Chriſtum, qui arbitrio & nutu, ac præſentia ſua, & præpoſitos ipſos, & Eccleſiam cum præpoſitis gubernat, aliquãdo reſpexeris; ſi de innocentia ſacerdotum, non humano odio, ſed diuino iudicio credideris; ſi temeritatis, & ſuperbiæ, atque inſolentiæ tuæ agere, vel ſerò pœnitentiam ceperis; ſi Deo, & Chriſto eius, quibus ſeruio, & quibus puro & immaculato ore ſacrificia, & in perſecutione pariter, & in pace indeſinenter offero, pleniſſimè ſatisfeceris, communicationis tuæ poterimus habere rationem, manente tamen apud nos diuina cenſura reſpectu, & metu,* &c. S. Cypr. epiſt. 69.

Vix autẽ mirabilius quidquam mihi accidit, quàm ꝙ in *Tractatu ſeptem Doctorum*, inter quos & F. Paulus, propoſitione 19. legi; vbi Huſſum propè ad verbum exſcribunt; ita vt Huſſus ſibi de his diſcipulis, poſt tot annos, gratulari poſſit; ſi quis gratulationi locus eſt, eo in loco, vbi nunc Huſſus habitat. Vt Huſſus Interdicti cenſuram eleuaret, & in contemptum apud Bohemos Interdicto ſubiectos, adduceret; nouitatem obiecit. Exſcribam eius verba, vt cum Venetis comparari queant: *Poſt millenarium, ſoluto Satana, & clero impinguato mundi ſtercoribus, & eleuato in voluptate, ſuperbia, & impa-* Huſſus lib. de Eccleſ. cap. 23.

tientia; interdictum cœpit originem. Nam Hadrianus Papa qui cœpit anno Domini M. C. LIV. propter vnius Cardinalis vulnerationem, totam Romam ſuppoſuit interdicto. O quàm patiens fuit iſte Papa, non tamen vt Chriſtus, Petrus, vel Paulus, vel Andreas Apoſtolus. Poſtea & Alexander III. qui cœpit anno Domini M. C. LIX. interdixit regnum Angliæ, de ſponſalibus cap. 2. Non eſt vobis. Papa Celeſtinus III. qui cœpit Anno Dom. M.C. LXXXII. dicit aliquid de interdicto, in cap. Quæſiuit, de maioritate, & obedientia: Poſtea Innocentius III. qui cœpit Anno Domini M.C.XCIX. publicauit interdictum per multas Decretales, vt in cap. in Concil. Lateranenſi de præbendis lib. 3. Decretalium. Poſtea Bonifacius VIII. Innocentius IV. & Clemens V. in ſexto, & Clementinis interdicta huiuſmodi dilatarunt. Et ſic continuo Clero exardeſcente in auaritia, pompa ſeculari, & in impatientia, multiplicantur talia interdicta. Hæc Huſſus.

Nunc audi, quid ſcribant illi Theologi. *Interdictum eſt cenſura noua in Eccleſia, & ſi debita diſcretione & moderatione non vſurpetur, notabilis eſt Eccleſiæ deſtructio.* Poſtea; more Huſſi, munerant Pontifices, qui interdictis vſi, niſi quod Huſſus paulò altius interdicti originem repetit. nam iſti ab Alexandro III. auſpicantur, cum Gregorius VII. centum annis Alexandro prior in Poloniã Interdicti cenſuram tulerit; idq́; non tunc primùm cœpta, ſed antea etiam recepta conſuetudine. Exemplum perſonalis interdicti ſuppeditat: Cap. *Miror*, 17. q. 4. deſumptum ex D. Auguſtino; cuius temporibus, ſi perſonale interdictum in vſu fuit; quid ni & de locali idem ſentiamus: cum, vt perſona, ita & locus Interdictum mereri poſſit. Nec mirum videri debet: ſi creſcente cõtumacia & inobedientia ſubditorum; Eccleſia temporis progreſſione etiam de nouis remediis circumſpexit;

quia

quia nouitas morborum deſiderat quoque pharmacorum nouitatem.

Nam quod præterea addunt iſti, *nec vocem nec rem ſignificatam Interdicti in ſacris litteris contineri*; id etiam Huſſum olet, qui dicit; *ſe ſemper optare fundamentum vel rationem Interdicti generalis*. Quæſo, quid ſibi vult illud? *dabo tibi claues regni cœlorum*. An clauis tantum ſeruit aperiendo, non autem occludendo? Quid Interdictum; niſi quædam occluſio; non ad perdendum; ſed ad ſanãdum? Quid ſibi vult illud? *Quidquid ligaueris ſuper terram*, &c. Quid interdictum; niſi ligatio? Quid paſtoris officium toties in ſcriptura deſcriptum exigit? An non & caſtigationem? Si in ſpecie non exprimit, id nil refert: quia hoc Eccleſiæ ſeu Paſtoris Summi iudicio permittitur. Implicitè igitur, quidquid iſti contrà tendant, continetur in ſcriptura *Interdicti* cenſura.

Cùm Huſſus excommunicatus eſſet; & loca, in quibus moraretur, *Interdicto* ſubiecta; ſeuereque prohibitum, ne quis poſthac verba ad populum faceret, in *capellis* ſeu *ſacellis*, vt fecerat Huſſus in ſuo *Bethlehem* nuncupato; vbi auditores peſtilentis doctrinæ toxico per plures annos infecerat; Huſſus multas epiſtolas, cum ad alios, tum ad Pragenſes ſcripſit; cohortans illos, ne excommunicatione, vel interdicto à cœptis abſterrerentur; *Deo magis, quàm hominibus obedientiã praſtandam. Cenſuras iſtas eſſe iniuſtas & impias, pabulum diuini verbi Dominico gregi nequaquam debere ſubtrahi*. Et in libro de Eccleſia cap. 20. hanc ponit concluſionem. *Non obſtante excommunicatione pratenſa, minata, vel iam lata, debet Chriſtianus exequi Chriſti mandata*: Hoc eſt, concionator debet concionari; ſacerdos Miſſas dicere; Sacramenta adminiſtrare, & alia peragere; quorum executio per cen- *Vide epiſt. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. Huſſi Tom. 1.*

ſuram prohibetur. Hinc paulò poſt ſubiungit Huſſus. *Cum quilibet prædicantis officium de mandato accipiat, qui ad ſacerdotium accedit, patet, quòd illud mandatum debet exequi, prætenſa excommunicatione non obſtante. Vnde ſi Papa mandat ſacerdoti non prædicare, non debet obedire. Vnde iſti innixus mandato Domini non ſuſcepi de non prædicando mandatum Papæ Alexandri, & hinc humiliter excommunicationem tolero; confidens, quod mihi conſequar benedictionem Dei mei*, &c. Hæc & talia infinita Huſſus.

Quid aliud toto ſuo octo propoſitionũ libello (quẽ Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus refutauit) efficere inſtituit Marſilius; quàm in diuinis officiis celebrandis alacriter pergendum eſſe; non obſtante interdicto Pontificio: neque obſtantibus aliis cenſuris? Quo alio fine Frater Paulus *Conſiderationes* Gerſonis in linguam Italicam conuertit; & præfatione exornauit; & poſtea aduerſus præſtantiſſimi Cardinalis Bellarmini reſponſum tueri audaciſſimè tentauit? Quem alium ſcopum ſibi præfixerunt ſeptem illi auctores tractatus de Interdicto contra Venetos, (quem itidem doctiſſimè Bellarminus profligauit) quàm vt Clerum & Populum ditionis Venetæ ad ſpernendum Summi Pontificis Interdictum excitarent; ouibusque ad ſupremi Paſtoris vocem aures obturarent: Hinc ſæpiſſimè inculcant; *iniuſta præcepta non eſſe obſeruanda*; *iniuſtum eſſe, vt populus Venetus per interdictum à ſacris arceatur*; *minui cultum diuinum per interdicti cenſuram*; & centena talia: mirorque omiſſum ab illis illud Huſſi; *Si Papa præciperet mihi fiſtulare, turres ædificare, ſarcire vel texere veſtimenta, & farcire farcimina, nunquid non deberet mea ratio iudicare, quod ſtultè præciperet Papa?* Talia non pauca Huſſus immiſcet, vt ſuorum animos aliò abducat: cum de his nulla ſit quæſtio vel

Huſſ. lib. de Eccleſ. cap. 21.

dubi-

dubitatio. Et tamen iſti noſtri etiam multa philoſophantur quatenus Pontifici obediendum ſit: Et ex cathedra ſua definiunt, *iniuſta præcipienti morem non gerendum.* Quod nulla probatione eget. Sed ſemper negatur id, quod S. D. N. PAVLVS QVINTVS hiſce Theologis & aliis imperauit, eſſe iniuſtum; addimuſque in dubio quoque (cui hic nullus locus) & cum de obedientia agitur, ad ſuperioris ſententiam ſemper potius, quàm ad alterius priuati, etiam docti, iudicium accedendum eſſe.

At minuitur per interdictum cultus diuinus. Ita eſt: ſed minuitur, vt poſtea magis creſcat. Minuitur, vt auferantur ſcandala & offendicula, quæ Interdicto occaſionem præbuerunt: Minuitur; vt valetudo in illis, qui ſecantur & vruntur; cuius ſectionis, & vſtionis alius non eſt finis, quàm ſpes melioris & firmioris valetudinis.

Recenſent ſepteni iſti Theologi aliquot Interdicta non obſeruata: Et hanc quaſi conſequentiam nobis texendam offerunt: *aliqua Interdicta non fuère obſeruata: ergo neque hoc à* PAVLO *V. obſeruandum eſt.* Cur non concludunt potius? *Aliqua Interdicta fuère ſtrictè obſeruata* quorum exempla profert Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus; *ergo & hoc obſeruandum.* Multò certè dignior fuiſſet hæc conſecutio Theologis, quàm illa prior. Si tamen adeo ſe tuentur Interdictis non obſeruatis, id eſt, alienâ contumaciâ & inobedientiâ; tunc adiiciant, per me licet, alia neglecta Interdicta, vt quæ à Pontificibus Romanis in cauſſa Huſſi extiterunt; & illud Leonis X. vehementiſſimum in cauſſa Lutheri: ex quibus nullum eſt obſeruatum. Hinc hoc argumentum conficere licet. *Leo X. Pontifex Maximus ſubiecit interdicto ciui-*

Exſtat hæc Bulla Leon. X. To. 2. Lat. VVitteb.

ciuitates, dominia, terras, caſtra, villas, comitatus, fortalitia, oppida & loca, cathedrales, collegiatas, & alias Eccleſias, Monaſteria, Prioratus, domus, conuentus, & alia loca religioſa vel pia, ad qua Lutherus diuerteret; quamdiu in iis moram traheret, & poſt receſſum per tres dies: & hoc Leonis X. Interdictum non eſt in Saxonia, & alibi terrarum obſeruatum; ergo neque Interdictum Pauli V. Venetis indictum obſeruari debet. Subtile argumentum; & ex intimis Lutheri, Huſſique Tomis depromptum.

Hic mihi vel nolenti occurrit F. Paulus; qui in ſchedula *proteſtationis ſuæ* vocat *nouum & inauditum morē, & artificioſam orationem*, quod Romana Inquiſitio in condemnatione libellorum, quos contra Pontificem frater iſte extruſit in vulgus; dixit: *in illis contineri, plurima temeraria, calumnioſa, ſcandaloſa, ſeditioſa, ſchiſmatica, hæretica reſpectiuè*, F. Paulus aduerbium iſtud *reſpectiuè* ferre non poteſt: accuſat *orationis obſcuritatem*, additque; *non apparere aduerbij interminatam limitationem*; Et in fine conqueritur; ſuas lucubrationes cum *ambiguo aduerbio* damnari.

Cæterum cum F. Paulus in eodem ſcripto commemoret ſe inſeruire ſereniſſimæ Reipublicæ Venetæ pro Theologo & Eccleſiaſtici Iuris conſulto, mirari ſubit; quo pacto fiat, vt hoc aduerbium *reſpectiuè* adeo non intelligat; cum in Pontificum diplomatis, vix quidquam frequentius occurrat. Vel Leonis X. contra Lutherum Bullam inſpexiſſet; in ea hæc verba repeririſſet. *Qui quidem errores reſpectiuè, quàm ſint peſtiferi, quàm pernicioſi, quàm ſcandaloſi, quam piarum & ſimplicium mentium ſeductiui, quàm denique ſint contra omnem charitatem*, &c. Vbi peſtilentiſſimus & furioſiſſimus gloſſator Vlricus Huttenus, impudentiſſimè: *Hoc reſpectiuè quid eſt? Dic apertè, vt te*

vt te capiamus. Ego mecum exputare nequeo, cur hoc *aduerbium Reſpectiuè* Huttenicam caliginem F. Paulo offuderit.

Duo vbi addidero, hanc conſiderationem terminabo. Primum eſt, an non quilibet ex oppugnatoribus iſtis Interdicti S. D. N. Pauli V. hoc elogium Huſſi in Epitaphio ſuo ſibi adſcribendum curaturus ſit. *Confidens in Domino, & in Chriſto IESV, qui potenter, & ſapienter ſuæ veritatis profeſſores protegit, & præmio remunerat gloriæ ſempiternæ, Bullæ Papæ Alexandri V. reſtiti, quam anno Domini M.CCCC.IX. Dominus Sbinco Archiepiſcopus Pragēſis acquiſiuit, in qua mandat, ne per aliquos, etiamſi ſint ſuper hoc Apoſtolico, vel alio quouis indulto muniti, prædicationes, aut ſermones ad populum fiant, niſi in Cathedralibus, collegiatis, Parochialibus, aut monaſteriorum Eccleſiis, ſiue eorum cœmeteriis. Iſtud etiam mandatum factis, & verbis Chriſti, & ſuorum Apoſtolorum contrarium non eſt Apoſtolicum,* &c. *Eſt hoc mandatum in detrimentum Eccleſiæ in alligando verbum Dei, ne currat.* Ego ſuſpicor iſtos ſimile encomiū mereri velle; alioqui tanta contentione non contenderent, interdictum Venetum in cultus diuini imminutionem & opprobrium vergere. Huſſ. lib. de Eccleſ. cap. 18.

Alterum eſt, an aliquando hunc S. Proſperi verſiculum conſiderauerint:

Qui paſtorem ouium lædere vult, lupus eſt.

Quis iam eſt ſupremus paſtor ouium, niſi ſanctiſſimus D. N. Paulus Papa V? An non iſti probroſis ſuis ſcriptis paſtorem hunc lædere inſtituunt? Negant. Sed facta aliud teſtantur. Perinde faciunt, ac ſi quis, impacto alteri colapho, negaret, ſe, eius lædendi gratia, alapam impegiſſe. Quęſo, quorſum ſollicita illa ſeptem Doctorum diſquiſitio; *num Papa ſit ſupra Concilium; an Conciliū ſupra*

Papam? An neſciunt, quæ iam ſententia Chriſtianis animis communiter inſederit? An neſciunt, quantis præiudiciis, & quidem iuſtiſſimè, opinio illa prægrauata ſit, *qua Concilium ſupra Pontificem extollit?* Sed hæc omnia faciunt, vt aliquando cum Luthero ad Concilium appellandi viam ſibi muniant. Tunc occinemus illud Leonis X. aduerſus Lutherum; vbi cum multa dixiſſet de multiplici Lutheri citatione Romam; ſubiungit. *Sed obaudiuit ſemper, & prædicta citatione, omnibusque, & ſingulis ſupra dictis, ſpretis, venire contempſit, ac vſque in præſentem diem contumax, atq; animo indurato, cenſuras vltra annum ſuſtinuit. Et, quod deterius eſt, addens mala malis, de citatione huiuſmodi notitiam habens, in vocem temerariæ appellationis prorupit ad futurum Concilium, contra conſtitutionem Pij II. ac Iulij II. prædeceſſorum noſtrorum, qua cauetur, taliter appellantes, hæreticorum pœna plectendos.* Et vt ad Concilium veniretur, ſententia non magis ſecundum vos pronunciaretur; quam pronunciata fuiſſet ſecundum Lutherum; ſi appellationẽ ſuã ad Conciliũ proſequi voluiſſet.

CONSIDERATIO QVINTA.

Proponuntur Theologis Venetis varia capita conſideratione digniſſima.

S. Ignat. Epiſt. ad Philipp.

AVSPICABOR à verbis beatiſſimi Martyris Ignatij, qui hæc ad Philippẽſes; & ego ad iſtos Theologos. *Affectus, quem erga vos habeo, fratres; hæc me ſcribere compulit, ad DEI gloriam vos cohortantem; non quaſi aliquid ſim, ſed, vt frater. Subiecti eſtote Epiſcopo, Presbyteris, & Diaconis.* Cui Epiſcopo, niſi ſupremo? Quibus Presbyteris & Diaconis, niſi qui ſupremo Epiſcopo à Conſiliis? Cardinalibus nimirũ, ne anſam detis gentibus, inquit alibi S. Ignatius, (& hæreticis)

ciſ)*vt propter paucos inſipientes ſermo & doctrina culpetur. Decet enim ſingulos veſtrũ, & præcipuè Presbyteros*(& Theologos, quales ſalutari cupitiſ) *refocillare Epiſcopum* (obediendo) *in honorem Dei Patris; in honorem IESV Chriſti & Apoſtolorum.* Cùm accuratius hoc negotium Venetum conſidero; multa cõſideratione perquam digna animo meo ſeſe obiiciunt; quæ quemlibet orthodoxum, præſertim Theologum, & religioſæ vitæ Profeſſorem permouere, imò & abſterrere deberent, ne, ſicut Iannes & Mambres; Moyſi reſiſteret; cumq́; Core, Dathan, & Abiron, ſchiſmaticorum anteſignanis, ſtudia ſua coniungeret. Nam inprimis totam hanc tragœdiam eo propemodum pede progredi video; quo olim proceſſit tragœdia Lutherana. Vnicus erat, vt à celeberrimo Card. Caietano appellatur, *fraterculus, immemor habitus*, inquit Leo X *profeſſionis q́ ſuæ, quæ in humilitate & obedientia conſiſtit*; qui audacia, temeritate, ſimulata pietate; & fictitio religionis amplificandæ deſiderio armatus & velatus; mox plures ſui non abſimiles Sodales ſibi adſciuit; eorumq́; opera adiutus, telam, quam meditabatur, exorſus eſt; quam poſtea, principum & inconditæ multitudinis fauore ſubfultus, reclamante toto Catholico mundo, pertexere inſtituit, ducto exordio ab inobediẽtia & præfracta contumacia; nemini cedere conſueta; & tamen omnibus meliora docentibus ceſſionẽ polliceri ſolita.

S. Ignat. epiſt. ad Trallian.

Leo X epiſt. ad Frid. Elect. To. 1. Lat. VVitteb.

Dices, iſtos noſtros Catholicam fidem profiteri; palamq́; teſtari; ſe quidquid agunt, id ab ipſis agi, pro Eccleſiæ Catholicæ bono, honore, gloria; & cõſeruatione; pleroſq; illorum eſſe Monaſticæ vitæ ſectatores; Theologiæ Doctores; ipſum Principem & Senatum Venetum eſſe Chriſtianiſſimum; auitæ fidei retinentiſſimum & amantiſſimum. Audio; ſed interim video, ipſum etiam Lutherum, palam ſæpiſſimè teſtatum; omnia

K 2 ſua

ſua cœpta & cogitata non aliò pertinere, quàm ad Eccleſiæ Catholicæ, etiam Romanæ; vtilitatem & emolumentum longè maximum. Imò huc effrenatæ petulantiæ progreſſus fuit; vt Leoni X. perſuadere conaretur; ſe ſolum eſſe verum & legitimum Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ defenſorem; Et cum ad reuocationem à Leone X. Caietano Card. & Carolo Miltitio, Nuncio Apoſtolico, vrgeretur; reſpondit, ſe morem gerere non poſſe; *quod illa reuocatio in detrimentum & dedecus Romanæ Eccleſiæ redundaret.* Hinc in Epiſtola, quā Aldenburgo 3. Martij. anno 1519. ad Leonē X. dedit; ſic beſtia ſcripſit: *Si Romanam Eccleſiam volo honorare, id mihi quàm maximè curandum video, ne quid vllo modo reuocem; nam iſtud reuocare nihil fieret, niſi Eccleſiam Romanam magis ac magis fœdare, & in ora omnium hominum accuſandam tradere,* &c. *Id vnicè à me quæſitum eſt, ne auaritia aliena fœditate pollueretur Eccleſia Romana, mater noſtra, neue populi ſeducerentur in errorem,* &c.

Exſt. Tom. 1. Lat. Vviteb.

Etiam in caſtris Lutheri cerno Monaſticam vitam profeſſos, Staupitium, Lincum, Langum; & Theologiæ Doctores; & Licentiatos, Ambſtorphium; Carlſtadium; Ionam; alios, tum extra, tum intra Wittebergam. Fridericus Elector nulli Principum pietate ſecundus erat. Palæſtinam luſtrauerat, Monumenta ſalutis noſtræ reuerenter & religioſè adorauerat. Academiam Witebergenſem fundauerat; Templum omnibus cælitibus conſecratum adiecerat; Reliquias ex vniuerſo propemodum orbe comportarat, & in Eccleſiam illam ſuam excellenti pietatis ardore importarat; Idem Fridericus hæc ad Cardinalem S. Georgij ſcripſerat. *Ex animo mihi doleret, mea hac ætate errores in ſancta fide Catholica ſuboriri, atque exiſtere. Hocq; moleſtius mihi eſſet, errores à me prouehi.*

Aqua

A qua impietate, me Deus clementer præſeruet intaminatum.

Et ad Card. Caietanum. *Non libenter permitteremus nos in errores pertrahi; neq; vt inobedientes à ſancta Sede Apoſtolica inueniri.* Et ad Valentinum A Dietleben ſuum in Romana Curia Oratorem. *Verè affirmare poſſumus, nec nobis quidquam triſtius, & acerbius accidere poſſe, quàm nobis viuentibus, & noſtro patrocinio aliquos pernicioſos errores ſpargi, & confirmari, vt hanc noſtram mentem datis literis ad Reuerendiſſ. Dn. Cardinalem S. Georgij, Dominum, & amicum noſtrum copioſius expoſuimus.* Hæc Princeps ille inſigni religionis teſtificatione. His tamen omnibus non obſtantibus, vidimus paulò poſt palliatæ huius; & in ſpeciem ſpecioſiſſimæ Actionis triſtiſſimam cataſtrophen; Quapropter parum moueor, licet audiam iſtos, *Eccleſiam, Eccleſiam, falli & fallere neſciam*, ingeminare; & Marſilium arbitrari; *ſe labore ſuo pro Venetis ſuſcepto cum ipſi Pontifici, tum vniuerſæ Eccleſiæ ſine dubio præſtare obſequium*; Nam quia Lutherus non modò ſimilia; ſed & his longè maiora crepabat, & turgidis buccis intonabat: Præclarè S. Auguſtinus. *Vt dent venenum, addunt mellis aliquantum; vt, per id, quod dulce eſt; lateat, quod amarum eſt, & bibatur ad perniciem.* Ego quando hos & ſimiles obſequium ſuũ & patrocinium prædicantes audio, cum Beato Dauide cantare ſoleo: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & vltorem*, hoc eſt, *Hæreticum*, inquit Commentarius D. Hieronymo adſcriptus (adde tu & ſchiſmaticum) *qui eum nequitia ſua impugnat Eccleſiam, defendere tamen eam aſsimulat.*

Exſtat Tom. 2. Lat. VVitteb.

S. Aug. tract. 7. in Euang. S. Io.

Quàm beata florenſq; erat Germania; quàm fortunata omnibus rebus inſtructa Bohemia; priuſquam à Sedis Apoſtolicæ communione auellerentur; illa per Lutherum, hæc per Huſſum; quorum ſchiſma & pernicioſa

ſecta, vtriq; prouinciæ tantum cladis & vaſtitatis intulit; quantum nulla ætas ſatis deplorare; multoq́; minus reſarcire poterit. In nullo animo facilius & citius hæreſes inſident, quàm in ſchiſmatico; & à cathedra Petri auulſo. Teſtimonio ſunt cum alij, tum Donatiſtæ & Græci. Nam mens pacis, concordiæ & vnitatis expers, Diabolicis Zizaniis ſuſcipiendis patentiſſima & aptiſſima eſt.

Dicat quis: Etiam olim in Eccleſia grauiſſimis ſchiſmatis laboratũ eſſe; nec tamen ſemper inde enatas hæreſes: nominatim ſub Henricis & Fridericis Imperatoribus. Reſpondeo, alia nunc eſſe tempora propter hęreticorum multitudinem; à quibus vix vlla regio prorſus immunis & intacta reperitur: & propter facilitatem & propenſionẽ mortaliũ ad ſectas, hoc ęuo longè maiorẽ, quàm olim. Quamobrẽ merito timere deberent Theologi; qui nunc potentiſſimæ Reip. diſſidium à Sede Apoſtolica fouent & tuentur; ne tam ipſi, quàm clientes in hæreſeos immenſam voraginem præcipitentur; præſertim, cum non deſint flabella, quibus volupe, ignem hunc nutrire; ſemperq́; magis ac magis accendere. Neq; hoc ignorant Germaniæ & aliarum regionum ſectatij. Propterea Theologos Venetos tantopere cõmendant, & laudibus euehunt; quod Põtifici in faciem palam reſiſtunt: & qui Nouatoribus nil niſi *aſini*, *ſtipites*, *trunci*, *bardi*, *porci* eſſent, ſi Pontificis cauſſam propugnandam ſuſcepiſſent; (his enim elogiis quotidie exornãt orthodoxos Scriptores) ij nũc ſunt Theologi *eximij*, *præſtãtes*, *excellentes*; vno verbo; *ſupra laudem*. Qua de cauſſa? Quia aduerſantur Pontifici & Cardinalibus. Hæc ſola ratio efficit illos in ſchola hæreticorum eximios, præſtantes, excellentes. Hinc eorum opuſcula cudunt & recudunt, & in Germanicam linguam vertunt; vt Germani videãt, in Italia quoq; Saxonico Euãgelio aliquam ianuam patefactam

tefactam eſſe; Deoq́; ob hoc beneficium gratias agant. Hinc hæretici noſtri operas ſuas cum his Theologis iungunt;& copulatis viribus Pontificẽ aggrediuntur: quod præter alios fecit nuper Caluiniſta quidam Vignierius Gallus, in ſua ad Card. Baroniũ diſſertatione: Quis tam cæcus eſt; qui non videat perfectũ Caluiniſtam vel Lutheriſtam eſſe; qui ſub nomine *ciuium & amicorum Reipublicæ Venetæ* refutationem Baronianæ Parænesεos; vel potius infernalem quãdam ſatyram nulli ſtatui, nulliq́; ordini Eccleſiaſtico parcentem inſtituit? Quis adeo obeſi naſi fuerit, qui non è veſtigio odoretur, ex qua officina proceſſerint articuli pacificationis inter Pontificem & Venetos, nuper in Germania euulgati hoc titulo: Pacifications Artickel/oder bewögliche fürgeſchlagene conditiones deß Bäpſtlich Geiſtlichen Rahts/ Conſiſtorij zu Rom/vnd heiligen Inquiſition in Hiſpania/auch der Herrſchafft Venedig hierüber vngefehrlich erleutter: vnd Erklärung. Vbi impudentiſſimo mendacio ipſa prima libelli pagella inſignitur; *Hæc pacis ineundæ capita*; *Romæ primum typis excuſa fuiſſe*; cum nihil aliud ſint, quàm profligatiſſima Caluiniſtarum & Lutheriſtarum figmenta; quibus Venetorum à ſede Petri ſeiunctio perpetua in optatiſſimis eſt; & quia tam ardenter eam deſiderant; continere ſe nequeunt, quò minus publicis chartis ſpargant; iam Venetos Romanæ Eccleſiæ multam ſalutem dixiſſe; Lutheroq́; vel Caluino fores pãdere decreuiſſe.

Prætereo alios hæreticos, qui vt oua à F. Paulo & aliis poſita; excluderent; accurrerunt: & apertè irruerunt; quo iſti Fratres digitum intenderunt. Quàm honorificum eſt Theologis, qui ſe Catholicos ſalutari cupiunt; Caluiniſtas & Lutheriſtas in militia, quã militant, commilitones habere. Mihi tam honorificũ videtur; quã ſi Chriſtiani Catholici cum Turcis in ſubſidium adſcitis aduerſus orthodoxos dimicarent. Ad-

Admodum ſtomachantur F. Paulus, & Marſilius; quod opuſcula, quæ ediderũt, proſcripta ſint & interdicta ab Inquiſitione generali Romana. At nõ eſt, ꝙ iſti alia iudicia, etiã à poſteritate exſpectent. Si famæ ſuæ cõſultum volunt; abſtineant ab his chartis conſcribendis. Siñ minus, alio non locabuntur loco; quàm quẽ merentur Sedis Apoſtol. hoſtes & oppugnatores. Ioan. Marſil. Neapolitanus in catalogo librorũ vetitorũ comes ſemper hęrebit damnatę memorię Marſilio de Padua, F. Paulus non paucos ſibi cognomines reperiet, cum quibus cõiugetur. Quantã labem ingenio ſuo intuſit Occamus; ob dialogos, & opus nonaginta dierum aduerſus Pontificiã auctoritatẽ? Non eſt cur iſti aliquid honorificentius ſibi polliceãtur apud Orthodoxos poſteros, cũ iam quoq; non modo Romana Inquiſitio, & pleriq; Italiæ Epiſcopi; ſed & Hiſpanienſis iſtorum lucubrationes nigro carbone notarint. teſte Illuſtriſſ. Cardinale Bellarmino in libro cõtra F. Paulum, ſi rectè memini; vel certè in libello cõtra Marſil. Reuerentiores ſint oportet, venturæ ætatis; ſi bene apud illam audire velint. Cui nunc placẽt libri Marſilij de Padua; Dialogi & opus nonaginta dierum Occami; Petri de Vineis Epiſtolæ; niſi hæreticis, & Sedis Apoſtolicæ oſoribus? Idem fatum manet iſtorum libellos. Eſt certè huiuſmodi controuerſiarum & calamitatũ, quæ inde oriuntur, culpam præcipuã ſuſtinent huiuſmodi malè feriata ingenia, quibus vetuſtas odio; & nouitas cordi. Quis Henricos & Fridericos Imperatores, armis, quàm literis inſtructiores, in Apoſtolicam Sedem exaſperauit; præter quoſdam, qui grande eruditionis nomen præ ſe ferebant; quibus inclyti illi Imperatores in omnibus fidem habebant, rati quidquid dicerent; id ex ipſis veri adytis proficiſci? Quis

tranſuerſum egit Ludouicum Bauarum, pietatis alioqui ſtudioſiſſimum, præter Occamum & Marſilium de Padua;quarum lucubrationibus valde oblectantur Nouatores.

Quapropter *Defenſorem pacis* (Rectius appellaueris, *Turbatorem pacis*)à Marſilio olim ſcriptum; nuper Caluiniſta quidam elegantibus typis, & copioſis ad margines ſcholiis adiunctis, euulgandum curauit; nimirum vt tantus theſaurus diutius in tenebris non deliteſceret. Idem Caluiniſta publicauit conſultationes & reſponſa matrimonialia eiuſdem Marſilij de Padua & Occami data ſuper ſententia ſeparationis inter Magaretam Duciſſam Carinthiæ, & Ioannem Regis Bohemiæ filium. Idem de diligentia futurorum hæreticorum iſti Theologi ſibi polliceri poſſunt;ſi quãdo opuſcula,quę nunc publicant; puluere & ſitu obducantur; & in bibliothecarum angulis cum blatis depugnent. Non deerunt; qui manum porrigant; & fugientes chartas in lucem retrahant;vt Marſilio Patauino aliiſq́ue accidit, ſtudio & induſtria Nouatorum; quibus tales quiſquiliæ ſuper aurum & topazion arrident.

Forſan Lutherani bona ſpe iam pleni mittent Confeſſionem Auguſtanam Italicè conuerſam, ad Patriarcham Venetũ;aut ſede Vacante ad Vicarium eius Generalem;ſexque alios Theologos, qui tractatum de Interdicto Pontificio nouendecim Propoſitionibus diſtinctum in vulgus ſparſerunt; vt dextras iungant,& fraternitatem ineant;eo pacto, quo olim eandem ſuam Confeſſionem miſerunt; eodem fine & conſilio, ad Patriarcham Conſtantinopolitanum;quamuis exiguo, vel potius nullo,effectu: niſi fortè magis allubeſcit Confeſſio aliqua Anglicana,vel Geneuenſis,vel Tigurina.

Forſan & Græci arrepent, ſpe rei bene gerendæ; præcipuè cum Vignierius Caluiniſta ſcribat; *Venetos Græcorum diuturna conſuetudine valde expolitos eſſe*; nam & olim Huſſitas Bohemos ad ſuas partes inuitarunt, miſſa ad eos Epiſtola Anno Chriſti 1451. quam edidit Illyricus Hæreticus, in Catalogo teſtium veritatis; & quidam Caluinianus inter Hiſtoricos Bohemos: in qua Epiſtola his mellitiſſimis verbis Huſſitas ad ſuam ſynagogam pelliciunt; *Omnes ſitientes venite ad aquas: venite & emite abſque vlla commutatione, vinũ ſobriæ lætitiæ & lac ab vberibus conſolationis eius, &c.* At paulò poſt, venit Turca, totumque Græcorum Imperium faſtumque euertit & excidio tradidit: cuius immanitas & tyrannis, vt & hæreticorum inſolentia & ferocitas, omni modo impellere & poterant & debebant iſtos Theologos, vt sereniſſimo Principi & ampliſſimo ſenatui perſuaderent; vt leges Eccleſiaſticæ libertati aduerſas vel nunquam ferrent; vel latas, Pontificis monitu, refigerent. Imminent Germaniæ vtrinque Turcæ & hæretici. Perniciem minantur auitæ religioni, auitæ, inquam, Catholicæ, Romanæ; quæ Pontificem Maximum veneratur & ſuſpicit; & quiſquam eſt; qui ex altera parte, vbi hactenus omnia erant ſalua, intacta, & illibata, ignem accendat; accenſumque, ſubminiſtratis nutrimentis foueat; animumque Turcis & ſectariis addat; vt quod reliquum eſt in Germania, depaſcant; & ad alia depaſcenda viam ſibi ſternant. Abſit hæc mens ab omni Chriſtiano; præcipuè à Theologo. Pax, pax & vnio cũ capite Eccleſiæ omnibus curæ ſit ac ſtudio: alioqui D. Cyprianus occinet nobis

S. Cypr. Epiſt. 69. ad Pupian.

illud: *Apes habent Regem, & ducem pecudes, & fidem ſeruant latrones, mancipi, obſequio pleno humilitatis obtemperant. Quanto ſimpliciores, & meliores vobis ſunt bruta pecudes*

des, & muta animalia, & cruenti licet, ac furentes, inter gladios, atque inter arma prædones? Præpoſitus illic agnoſcitur, & timetur, quem non ſententia diuina conſtituit; ſed, in quem factio perdita, & nocens caterua conſenſit. Conuertamur, fratres, ad ſupremum paſtorem & Epiſcopum animarum noſtrarum: *Inde enim*, vt iterum S. Cypriani verbis, *ſchiſmata, & hæreſes* obortæ ſunt, & *oriuntur, dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo, dignatione Dei honoratus, indignus hominibus iudicatur.*

Schiſma ſummum malum eſſe, inquit Optatus, alloquens Donatiſtas, *& vos negare minimè poteritis*; *quod*, vt idem Auctor pulchrè dicit; *ſparſo coagulo pacis, diſſipatis ſenſibus generatur, liuore nutritur, æmulatione, & litibus roboratur, deſerta matre Catholica, impij filij, dum foras exeunt, & ſe ſeparant, vt vos feciſtis, à radice matris Eccleſiæ, inuidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt.* Opt. lib. 1.

In Germaniæ Catholicis Academiis, qui Doctoralia Theologiæ inſignia recipiunt; iuramentum edunt, ſe Apoſtolicæ ſedis honorem contra quoſcunque aduerſarios propugnare velle. Hinc & Lutherus, more ſuo, prorſus *Cynicè*, ad Leonem X. ſcribens, dicit; ſe, tanquam Magiſtrum Theologiæ, auctoritate Apoſtolica, diſputationem de Indulgentiis ingreſſum eſſe. *Indignantur*, inquit, *me vnum, auctoritate tua Apoſtolica Magiſtrum Theologiæ, ius habere in publica ſchola diſputandi, &c. Neque tamen moueor, quod hanc poteſtatem mihi inuideant, à tua beatitudinis poteſtate conceſſam, &c.* En adeò agnouit Lutherus ſe auctoritate pontificia Doctorem creatum, eo fine, vt Pontificis auctoritatem tueretur; vt etiam id, quod directè in Pontificis Romani contumeliam vergebat; diceret, ſe pontificis defendendi gratia, & ex Luth. præfat. in Reſolut. Indulgent.

Matth. concione 1. de Luthero.

auctoritate Pontificia agere. Et Matheſius, rerum à Luthero geſtarum buccinator, dicit; *Lutherum, auctoritate Pontificia, Cæſarea, & vi iuriſiurandi præſtiti ad verbi Dei inſtaurationem acceſſiſſe.* Neſcio num iſti Doctores Theologi iuramenti ſui, ſi quod præſtiterunt, memores ſint; aut num fortaſſe cum Luthero exiſtiment; ſe nunc, cum Pontificiam auctoritatem & poteſtatem maximè ſuffodere & labefactare conantur, eandē quàm maximè & validiſſimè tueri. Verùm *non his auxiliis, nec defenſoribus iſtis tempus eget.*

Nec eſt, quod Marſilius vllo modo arbitretur, ſibi per *Doctoratū* factam copiam; vt quaſi in honorem ſedis Apoſtolicæ enotet illas propoſitiones, & tanquam falſas & ſcandali plenas traducat. *Prima eſt: Principes ſeculares nullam habere poteſtatem ſupra clericos habitantes in ſuis dominiis, neq; de iure diuino, neq; de iure humano. Hæc propoſitio,* inquit, *habetur, in Reſponſione Bellarmini ad octo propoſitiones, propoſitione prima,* §. *1. &c.* Omninò hæc propoſitio Bellarmini eſt, & omnium rectè ſentientium: & contradictoria huius, quæ tibi arridet; non ad gloriam, ſed ad ignomiam ſedis Apoſtolicæ & probrum cleri pertinet; nec quidquam efficiunt ſcripturæ teſtimonia à te prolata; & ab Huſſo, Luthero, Marſilio Paduano ſimilibuſque emendicata; vt ſuo loco patebit.

Secunda propoſitio. Poteſtatem Principis ſuper laicos non eſſe de iure diuino. Hæc habetur in Reſpons. Bellarmini ad Propos. 5. §. vltimo. Sed iſte iniuriam facit illuſtriſſimo, & in Eccleſia Dei celeberrimo Cardinali Bellarmino; non enim abſolutè dicit; hanc poteſtatem non eſſe à Deo; ſed, non eſſe à Deo *immediatè*, vt hic, vel ille Princeps, hos vel illos ſubditos habeat; id quod veriſſimum eſt; cum iſta poteſtas immediatè ex humanis titulis exſi-

ſtat

ſtat. Quanquam Bellarminus minimè inficiatur, alia quadam ratione dici poſſe hanc poteſtatem *immediatè* à Deo proficiſci; vt patet ex illis, quæ in Refutatione primæ propoſitionis diſſerit; & ex libello aduerſus Fratrem Paulum de conſiderationibus Gerſonis.

Tertia propoſitio eſt. Poteſtatem, quam Chriſtus dedit Petro, & ſucceſſoribus eius, tanquam Vicariis, eſſe illimitatam, & abſolutam. Habetur hæc Propoſitio in Reſponſione Bellarm. ad propos. 4. §. 1. cuius oppoſita ſunt omnes illa, in quibus eſt ipſius poteſtatis limitatio: videlicet, exemplum dedi vobis, &c. Ioan. 13. Reges gentium dominantur eorum, Luc. 22. &c. Hæc cenſura nil aliud eſt, quàm calumnia: quia Bellarminus per *poteſtatem illimitatam* intelligit poteſtatem abſolutionis à peccatis & iuriſdictionis; & quidem ampliſſimam; etiam ratione perſonarum; non autem nudam poteſtatem abſolutionis; quam ſolam Auctor illius libelli concedere videbatur Pontifici ſummo; Minimè autem vult Bellarminus Pontificem *illimitatè*, arbitratu ſuo, quidquid lubeat, in Eccleſia gerere poſſe: quia poteſtas iſta non eſt ad deſtructionem ſed ad ædificationem.

Quarta propoſitio, ſanctū Paulum fuiſſe prædicatorem gentium, & non Chriſti Vicarium. Hæc habetur in libello illo famoſo, edito, ementito nomine Ioannis cuiuſdam Philothei, &c. Grande piaculum: & dignum, in quod nouus iſte Marſilius tanto impetu incurrat. Sanctus Paulus Vicarius Chriſti non fuit ſtrictè ita, vt poteſtas eius eſſet independens à quocunque ſuperiore in huius vitæ ſtatu; cum priuilegio eandem poteſtatis plenitudinem ad ſucceſſores tranſmittendi; quo pacto ſolus Petrus fuit Chriſti Vicarius: tametſi alia quadam notione omnes

Apoſtoli, imò omnes, qui aliis præſunt, Vicarij Chriſti appellari poſſint; & hoc duntaxat voluit Philotheus ille Bononienſis, quem Marſilius immeritò inceſſit.

Quinta propoſitio. Qui Hoſtiam à ſacerdote interdicto conſecratam adorant, eſſe idololatras. Habetur in multis manuſcriptis inſtructionibus à quibuſdam profugis religioſis, ſuis pœnitentibus relictis. ô Marſili, vt fides tibi habeatur; pluribus & euidentioribus teſtimoniis opus eſt. Marſilius de Padua facit, vt tantum dicenti fides non habeatur. Profer publica, & typis excuſa monumenta; & tum de fide tua iudicium faciemus. Nunc appellare ad chirographa; quàm vaſta, & lata eſt latebra? Ex qua quando tandem extrahereris? Libenter renouares litem, quæ erat ſub Gregorio VII. *de Sacramentis Excommunicatorum.* Ne dubita. Fatemur te, quamuis *interdictum irregularem*; nominatim *excommunicatum*, & ab Inquiſitione Romana Generali grauiſſimis pœnis affectum, validè conſecrare. ſed viderint illi; qui tuo ſacro interſunt. Etiam Huſſus celebrabat, tametſi interdictus, & excommunicatus: & irregularis, & à planta pedis vſque ad ſummum verticem cenſuris notatus; vt & hìc Marſilij cum Huſſo ſimilitudinem agnoſcere queas.

Ferè fugiſſet me quod vel inprimis obſeruatum oportet. Cum Lutherus ope ſuorum veteratornm omnia vetera nouare inſtituiſſet; non tantùm libris & libellis, ſed & picturis agendum; nouoque Euangelio fores pandendas exiſtimauit; hinc omnia plena erant infamibus planè & ſatyricis picturis, Papam, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos & Moniales, totumque ordinem Eccleſiaſticum ignominiosè prorſus, & ad riſum imperitæ multitudini excutiendum, odiumque ingenerandum

randum aptiſſimè repræſentantibus. Vix etiam vllus edebatur libellus ſiue Latinus, ſiue Germanicus, cuius veſtibulum ridiculo quopiam emblemate non inſigniretur; vt lector prius propemodum Papam, vel Monachos odiſſe; quàm librum euoluere inciperet.

Fallor, an & hic ſpiritus in cauſſæ Venetæ aduocatos immigrauit? Miris iconiſmis propylæa ſuarum chartarum exornant. De ſingulis dicere, nimis longum foret. Vnum pro omnibus dabo.

Aſpice ſis *Frontiſpicium* eius libri, quem nuper contra doctiſſimum virum Ioannem Antonium Bouium, Carmelitam, Italicè edidit pro ſuo Fratre Paulo; Frater Fulgentius, non ille, qui Romam citatus venire noluit; ſed alius, Brixianus; Seruita. Nonne primo intuitu aſpicis ſalutis noſtræ hoſtem, *Diabolum*, in excelſo monte cum Chriſto diſſertantem; & extento ad ſubiectas vrbes, arces, propugnacula, loricas, mitras coronaſque pontificias, imperatorias, & regias, Regumque ſceptra, digito, illud Chriſto inſuſurrantem; *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Et ſi Diabolum illum propius contemplari velis; videbis; capite cornigerum, pedibus vngulatum; reliquo habitu religioſum, & quidem Ieſuitam:

Vbi malè ſanæ mentis & ſpiritus hæretici in hoc homine multiplex argumentum elucefcit. Nam primò Lutherani & Caluiniani Dæmonem cum Chriſto in monte diſceptantem, plerumque efformant *cucullatum*; ſpecie Monachi vel Eremitæ; *Roſario* de Zona, vel è manibus dependente. Iſte Ieſuitam ſubſtituit; ſed tamen abſque Roſario; quod miror omiſſum; cum, quo ſpiritu effinxit Ieſuitam, eodem etiam *Roſarium* addere potuerit. Il-

rit. Illud mihi nec inſolens nec inuſitatum eſt; Dæmonem Ieſuitæ; & Ieſuitam Dæmonis habitu efformari; quia hoc ſæpiſſimè à ſectariis factitatum ſcimus, quibus Ieſuitæ non minus ſunt inuiſi; quàm ipſi mali genij: magis miror, pectus vllius, qui Monaſticæ vitæ profeſſorem ſe iactat; liuore & odio ita occupari; & hæretica aura adeo afflari potuiſſe; vt tale quid auderet; religioſoſque à ſede Apoſtolica non ſemel ampliſſimis diplomatis approbatos, Dæmonis ſchemate veſtiret & intuentium oculis ſubiiceret. Certè ſiue Monachus, ſiue Ieſuita, ſiue Clericus, ſiue Papa, ſiue Epiſcopus, ſiue quis alius Eccleſiaſticus, Cacodæmonis perſona induatur, & quaſi in ſcenam inducatur, huiuſmodi effigiei fictor, pictor, ſculptor, ſcalptor, cælator alius non eſt; præter ipſum Diabolum; cui hoc ſpectaculum volupe, quando ij, qui ſe Deo conſecrarunt; & contra inferorum copias viriliter dimicant, talibus probroſis ſchematibus traducuntur, & ludibrio palam exponuntur.

Deinde, qui eo inuerecundiæ prouehitur, vt vel Monachos, vel Ieſuitas Dæmonis habitu depingat; hic rectiſſimam viam tenet ad hoc, vt ipſum tandem ſummum Pontificem eadem figurâ effigiet; quod factum non ſemel à Luthero & Lutheranis, aliiſque Nouatoribus: improbitas enim nullas in hoc genere metas habet; nulla repagula.

Adhæc, cedo, mi Frater, quid tibi vis illo ſchemate Diaboli cum Chriſto diſputantis, & omnia regna mundi pollicentis? Quid ſibi volunt ſubſtrata diademata, ſceptra; oppida, mœnia? Hoc, vt opinor, Chriſtum fuiſſe pauperem; horum omnium expertem & exſortem; nec licet à Diabolo oblata, acceptare voluiſſe: ac proinde à Chriſti quoque vicario ſimilem viuendi rationem

tionem tenendam eſſe; inopem, egenam; abſque tiaris, ſceptris, vrbibus, arcibus: licet inſtent impulſores alaſtores, qui opum copiam ſuadeant: qui eſt ipſiſſimus Marſilij de Padua; Lutheri & Lutheranorum; Caluini & Caluiniſtarum ſpiritus; cui perperim in ore, Chriſti egeſtas; Pontificis diuitiæ: Chriſti aſellus; Pontificis *ſonipes, frena ferox ſpumantia mandens*; Chriſti penuria; quæ tanta; vt ne capiti quidem reclinando locus ſuppeteret: Pontificis vrbes, arces; ampliſſimæ prouinciæ. Verum quanti hæc antitheſis facienda ſit, docebit nos libro tertio Sarauia, vnus ex Caluinianorum ſchola.

Nunc illud mecum lector conſideret; quam multiplicia vnum emblema contineat piacula. Primùm exprobrat Pontifici coronam tergeminam; quaſi eam indebitè & iniuſtè; & non niſi Diaboli inſtinctu, vſurpet. Nam ſi non eſt hæc picturæ mens; cur pictus Diabolus ad coronam triplicem digitum intendit; eamque Pontifici promittit? Quis & qualis hic ſpiritus; qui talia palam audet; nec erubeſcit audendo? Monaſticus non eſt; ſed Witebergenſis vel Geneuenſis.

Secundò, quantum flagitium, cum paſtorale pedum, ſeu baculum pontificium crucigerum idem Dæmon Pontifici muneris loco offert; ſi adorabundus coram ſe procidat. Num à Diabolo eſt virga paſtoralis, ſalutifera Redemptoris noſtri Cruce refulgens?

Tertiò, quanta iniuria; cum Pontificem inſimulat; quaſi Regum & Imperatorum tiaras appetat. Hoc enim ſubſtrata innuunt diademata regalia.

Quartò, Quanta contumelia; cum ſchematiſmo illo vrbium & arcium tacitè inſinuat; Pontificem aliorum oppida ſibi arrogare velle; & in id incumbere; vt Regum & Principum ciuitates ſuam in poteſtatem redigat.

Quintò, quantâ impudentiâ Pontifici his in rebus conſiliarium ipſum Dæmonem attribuit: incitantem & impellentem; vt ſceptra & diademata ſtudioſè ſectetur.

Sextò, quanta vanitatis abundántia ſubindicat, Pontificem his in conſiliis, quæ contra Venetos cepit; adhibere in conſilium Ieſuitas;& ſi abſque his foret; omnia pacata & quieta fore; abſque vllo excommunicationis vel Interdicti fulmine.

Septimò, non obſcurè perſtringitur Pontifex, quaſi Vicarius Domino ſuo ſit diſſimilis; cum hic Satanam verbis illis grauiſſimis; *Vade poſt me Satana*: repulerit; ille autem ambas aures ſuaſori ſcelesto patefaciat. Satis de hoc impudentiæ ſpeculo: hoc enim potius meretur nomen, quàm emblematis vel imaginis; cui adſcripta eſt illa Saluatoris ſententia: *Sufficit diſcipulo* (Papæ, hunc enim intelligit iſte) *vt ſit ſicut Magiſter eius*, Chriſtus (hoc eſt, pauper, inops, abiectus) *& ſeruo* (Papæ) *ſicut Dominus eius* (Chriſtus) ſcilicet *ſeruus ſeruorum Dei* ab iſto *Seruita* diſcere iam primùm debet; quomodo vitam, mores, & actiones ad imitationem & ſimilitudinem Domini ſui conformare debeat.

CONSIDERATIO SEXTA.

De exemptione Clericorum, & bonis Eccleſiaſticis.

SI quis ſcripta iſtorum Theologorum penitius introſpiciat & conſideret; dilucidè comperiet, illos in hoc etiam capite non tantum *Lutherizare*, ſed & *VViclephizare*; & *Huſsizare*. Fingenda enim ſunt noua vocabula; vt hæc monſtroſitas aptius exprimatur.

Huſſus

Huſſus in libro contra occultum aduerſarium. *Cœperat illuſtriſsimus Princeps, & Dominus Vuenceſlaus Romanorum Rex, & Bohemiæ Rex, ſemper Auguſtus, (*iam deceptus ab Huſſo*) eandem exequi ſacerdotibus regulam, præcipiens voce præconica, vt vnuſquiſque ſacerdos, diaconus, & ſic de ceteris miniſtris; in ſuo ordine deſeruiret fideliter Deo ſuo, libertatémque omnem ſic facientem, & præcipiens punire excedentem, quam ſpero regulam pro honore Dei, & ſua futura beatitudine, nec non pro augmento ſui regni Chriſtianiſsimi à ſua Maieſtatis ſacerdotibus, Curiis feliciter proſequetur.* Hæc Huſſus; qui in toto illo libro, vt & alibi paſſim, totis viribus contendit; clerum politico principi, non ſecus ac Laicos: ſubiectum eſſe; & ab eo æquè ac alios pœnis afficí poſſe. Quid omnibus ſuis ſcriptis aliud moliuntur Venetæ Tragœdiæ actores, quàm vt hoc Paradoxum ſtabiliant, & muniant; inque Venetorum pectoribus, veluti celte; inſculpant. Qui cum Huſſo palam, ſi non totidem verbis, at pari ſenſu, clamant: *Libertatem clero nociuam, (qua Clerus nititur eſſe liber, quod, quantumcunque contra Deum, contra Regem, vel quemcunque alium Principem, vel Dominum, vel contra quemcunque hominem deliquerit, non exinde à ſeculari quouis modo, brachio puniatur) illam conor prædicando, quantum potero, deſtruere, &c.* | *Huſſ. Tom. 1.*

Ab Huſſi veſtigiis non recedunt huius temporis hæretici, qui Miniſtros Eccleſiæ eorumque facultates peræquè ac opifices manuarios politico magiſtratui ſubiiciunt; vſque adeo; vt initio ſui enthuſiaſmi non modò quoad temporalia; ſed etiã, quoad doctrinam, *Chriſtiano magiſtratui*, vt loquuntur, ſe ſubdiderint: Et bona Eccleſiaſtica in fiſcum inferenda; Miniſtriſque ſtipendia ex publico ærario perſoluenda cenſuerint. Cuius tamen liberalitatis hodiernos Prædicantes pœnitet; Hinc pe-

dem referre moliuntur; ſeque in libertatem, præſertim in iis, quæ Doctrinam concernunt; aſſerere tentant; & grauiſſimè conqueruntur, quàm arctè & contentè à ſæcularibus habeantur; quàm indignè tractentur; quàm tenuia; & hæc ipſa quàm malignè, perſoluantur ſalaria. Cælum & terram clamoribus implent ob rapacitatem ſæcularium; & diſſipationem bonorum Eccleſiaſticorum; & ob egeſtatem ſuam.

Hadr. Sarauia in li. de diuerſis Euangel. Miniſtrorum gradibus: præſertim lib. 2. & 3.

Hinc Hadrianus Sarauia, Belga, Caluinianus, grauiſſimè ſuos reprehendit, quòd rem vſque eò deduci permiſerint; vt omnia bona Eccleſiaſtica in fiſcum redigerentur; miniſtriſq; ex ærario ſtipendia numerarentur; cuius conſuetudinis multa percenſet incommoda; & tandem ſubiungit lib. 2. cap. vlt. *Accedit & hoc, quòd magiſtratus, quia de fiſco ſuo credit ſe numerare ſtipendia, in Miniſtrorum ciuilium loco habere paſtores Eccleſiarum incipit; audentq; impotenti animo, homines interdum viles, depoſito magiſtratu, vt ſunt, coriarij, fabri, lignarij, inſtitores, Paſtoribus ſuis inſultare, ac dicere: Vos eſtis ſerui noſtri; nos ſoluimus vobis ſtipendia: me puderet (ita me Deus amet) adeò contemptim mediaſtinum, aut caculam alloqui.*

Idem Caluiniſta cap. vlt. lib. 3. *Alere egenos, & opitulari afflictis, ſumma ſemper laus fuit Epiſcoporum. Quia Chriſtianus populus olim liberales volebat habere Epiſcopos, abunde ſuppeditabat, vnde eſſent. At hodie hoc vnum ſtudet omnes, vt ad mendicitatem redigantur, & præter neceſſarium victum (eum ſi modò habent) nihil habeant, quod ſuperſit. Docere charitatem, prædicare liberalitatem poſſunt, eam exercere non poſſunt. Auaritiam, & luxum Epiſcoporum ex opibus Eccleſiæ obiectum iri ſcio, quodq; illam partem abliguriant, quæ pauperes ſubleuari oporteret: quod ſacrilegium eò grauius eſt, quod ab iis committitur, à quibus minimè decuit, ſed habet, quod ſacrilegio*

gio ſacrilegium excuſatur; &, ne Eccleſiarum paſtores ſint ſacrilegi, qui Eccleſiarum bona occuparunt, ſacrilegos eſſe malle. Nam, hoc certum eſt, *quod eo nomine Eccleſiarum paſtoribus eſt ademptum, pauperibus non eſſe redditum: vt hodiè pauperũ peior ſit conditio, quàm vnquam fuit antea: & ipſos liberaliores fuiſſe expertos Eccleſiaſticos, quàm hodie experiantur nobiles, aut alios quoſcunque, qui Eccleſia bona poßident.*

Ex his, quæ de Nouatoribus noſtri ſæculi retulimus, apparet, quo ſpiritu agantur, qui hoc tempore contra omnia iura diuina, & humana, & contra ſummi paſtoris decretum, & corpora, & bona Eccleſiaſticorum magiſtratui ciuili ſubſternere tanto conatu ſtudent. Spiritus nimirum iſte *Lutherizat*, & *Caluinizat*.

At dicent; ſuum ſpiritũ procul à Caluiniſtico, & Lutheriſtico diſcrepare. Hunc enim omnia bona Eccleſiaſtica magiſtratui politico non tantum ſubiicere; ſed & diripere; ſibi id nunquam in mentem veniſſe; ſe hoc tantum velle, iuſtum eſſe decretum; quo Eccleſiaſtici ſæculari principi ſubduntur; & quo omnium bonorum immobilium; quocunq; titulo, & prętextu incapaces declarantur. Audio ſeu defenſionem, ſeu excuſationem: ſed addo; ſi Eccleſiaſtici non ſecus, ac alij Laici magiſtratui politico ſubiecti ſunt; tunc multò magis bona Eccleſiaſticorum, quæ propriè Eccleſiaſtica nominantur, politico magiſtratui ſubiecta erunt; cum in confeſſo ſit Eccleſiaſticos non eſſe dominos illorum bonorum; ſed tantum diſpenſatores; iſtique ita comparati ſint; vt ſummo Paſtori dominium horum bonorum non relinquant. Si igitur Eccleſiaſtica bona ſubiecta ſunt principi ſæculari, poterit ergo princeps ciuilis, ſi Eccleſiaſtici graue aliquod crimen commiſerint; mulctare illos facultatibus Eccleſiaſticis vel totis vel ex parte: ſicut & alios ſibi ſubiectos eadẽ multa afficere poteſt. Et hoc eſt; quod Huſſus

in libro *contra occultum aduerſarium* perpetuò vrget. *Clerici ſunt ſubiecti Regi ſeu magiſtratui politico: ergo & bona Eccleſiaſtica. ergo hæc ab illis auferri poſſunt: imò & debent*, inquit Huſſus in libro *de ablatione tēporalium à Clericis*; Hæc conſequentia optima eſt in Logica Huſſi; & nititur illo Wiclephico axiomate in Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 8. dānato. *Domini temporales poſſunt ad arbitrium ſuum auferre bona temporalia ab Eccleſia, poſſeſſionatis habitualiter delinquentibus, id eſt, ex habitu, non ſolum actu delinquentibus.* de quo multa Huſſus in libro paulò antè nominato.

Deinde, ſi bona Eccleſiaſtica ſæculari poteſtati ſunt ſubiecta; poterit igitur princeps vel magiſtrat⁹ ea in fiſcū redigere; vt factum apud pleroſq; Lutheranos & Caluiniſtas; & ex ærario ſtipendia miniſtris decernere ac ſuppeditare; & tum naſcentur lamentationes illæ, quas antea ex Caluiniano Sarauia commemoraui; fietq; non ſemel; quod Gandaui accidiſſe ſcribit idem Caluiniſta. *In ſolenni Epulo quod Gandaui principi Auraico dabatur, cùm ex aduerſo ſederem duobus ſcabinis, aut Burgimagiſtris, & iam incaluiſſent mero, ac ex mutis facti eſſent loquaciſſimi, méque reſpondendo intentum vicino, fortè crederēt non audire, quid loquerentur; hunc eorum ſermonem bene memini. Cauendum nobis eſſe, inquiebant, ne iſti Miniſtri nobis aliquando plus negotÿ faceſſant, quàm fecerunt noſtri Papæ: deprimendi nobis ſunt, ne, nimis gratia, & autoritate apud populum creſcant, vt magiſtratibus metuendi ſint: & in primis videndum eſt, ne lauta ſint eorum ſtipendia: qui delicatè nutrit ſeruum, inueniet eum contumacem.*

Idem cauſſam reddens, cur neq; ex ærario, neq; ex oblationibus ſubditorū, ſed ex ſtatis & immobilibus bonis miniſtris Eccleſiæ ſalaria procuranda & pendenda ſint; hanc threnodiam decantat: *Mobilis eſt magiſtratus voluntas, qui offenſus Miniſtris, quo iure, quáque iniuria negaturus*

eſt

eſt, ſtipendia: quādocunq; laborabit ærariū publicū (quod multis modis accidere poteſt) miſerrima futura eſt Miniſtrorum conditio: Populus non aſſuetus quidquā ſuo Paſtori pēdere, ad ſe nihil pertinere iudicabit ipſius neceſſitatem; & adduci nō poterit, vt officio ſuo erga Paſtorem ſatiſfaciat. Pleriq; potius ſuū Paſtorem deſerent, quàm quidquā contribuāt; & deſertus, deſerere gregē cogetur, ſicut in nōnullis locis Hollandiæ accidit. Quā ſit miſera per Hollandiam Miniſtrorū Euangelij cōditio, ob vilitatem ſtipēdij, & ſolutionis difficultatē, ipſi norunt, qui experiuntur: quādo, non paruo itinere, & incōmodo, ſupplices ſua ſtipēdia ad quæſtores mendicatū ire coguntur: à quibus, non rarò cum probro excepti remittuntur vacui, nihilq; domum reportant præter itineris moleſtiam, & iacturam ſumptus, & temporis.

Iuſtiſſimè hæc patiūtur pfidi ſectarij; tū quia lupi ſunt digni nō mercede, ſed reſte: tū quia ipſi ex odio cleri Orthodoxi has ſibi cōpedes & indiſſolubiles catenas indiderūt. *Ceruus equū pugna melior cōmunibus herbis pellebat, donec minor in certamine longo implorauit opes hominis, frænumq́ue recepit: ſed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte, Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.*

Dicent fortè. Nil eſſe periculi in noſtro caſu. Opto vt ita ſit. Interim paſſim videmus, quā auidè auaritia bonis Eccleſiaſticis inhiet; & quā facilè vel modica rimula apta, impet' in bona Eccleſiaſtica fiat. Nō diſputo nūc quid in pſenti accidat; cōſidero quid labētibus annis cōtingere poſſit; poſitis principiis, propter quæ iſti tātopere & tāta ptinacia dimicāt; & hęc alios itidē mecū cōſiderare etiā atq; etiā cupio; vt & iſtud: An nō totū hoc negotiū, ſicut & lex illa de bonis imobilibus ad Eccleſiaſticos nulla ratione trāsferendis, redoleat Wiclephicū fermētum; quod poſtea ſuū in piſtrinū trāſtulit Huſſus, & hodierni Nouatores? Wiclephi decimus articulus ſic habet. *Cōtra ſcripturā ſacrā eſt, quod Eccleſiaſtici habeāt poſſeſſiones.* Non quidem

quidẽ hoc expreſsè aſſerũt iſti Theologi;ſed tamẽ diſputationes ipſorũ ſimile quid ſpirãt& præ ſe ferũt. Nam ſi Eccleſiaſticis perſonis poſſeſſiones ſuas nõ inuident;cur eas ſæculari magiſtratui ſubiiciunt? Si æquo animo ferre poſſunt,vt Eccleſiaſtici poſſeſſiones habeant,cur defendunt legem, quæ illos ab omnibus bonis immobilibus obtinendis excludit? Neſcio quæ Wiclephica aura hinc flare videatur,cum diligentius attendo.

Decimus octauus articulus Wiclephi ſic ſonat. *Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ; & parochiani poſſunt propter peccata ſuorũ Prælatorũ,ad libitũ ſuũ auferre eas.* Occlamabitur, iſtos hoc non aſſerere.Neq; ego huius culpę eos accuſo. Tantũ dico,pronã & facilẽ eſſe viã ad hoc VViclephicũ dogma,ſi quis ea tueatur,quæ iſti tuẽda ſuſceperũt. Non ruitur vno momento ad extrema. Pedetentim per media proceditur ad ſumma; & labefactata vna parte, iam via alterius etiam labefactandæ aperta eſt.

XXXII. articulus his verbis cõſtat. *Ditare clerũ,eſt cõtra regulã Chriſti.* XXXIII. *Silueſter Papa & Cõſtãtinus Imperator errauerũt Eccleſiam dotando.* XXXIIII. *Imperator & Domini ſeculares ſeducti ſunt à Diabolo, vt Eccleſiã dotarẽt bonis temporalibus.* Cum his articulis magnã affinitatẽ habet;ſi vera fateri velimus;lex quã iſti propugnãt; Nã ſi bonũ, ſi ſanctũ, ſi laudabile eſt,dotare Eccleſias & Eccleſiaſticos, cur prohibetur? cur interdicitur? cur tale interdictum à Theologis defenditur? Qui ſi nõ prorſus ſũt in ea opinione,in qua fuit VViclephus,(vt eos quidẽ nõ eſſe exiſtimo,abſit vt hoc de Theologis ſuſpicer) attamẽ nõnihil *VViclephizãt*,dũ dotationi Eccleſię adeo iniqui ſũt, vt eã ſcriptis libris inſectari nõ erubeſcãt: qui vtinã cõſideraręt;quã diſſimiles ſint; Cõſtãtino Magno,Carolo itẽ Magno;totq; clariſs. Imperat. Regibus,principibus;Reb. qui Eccleſiam integris prouinciis auxerunt & locupletarunt, & libe-

& liberaliſſima manu regias opes Eccleſiaſticis contũlerũt;quod nemini diſplicuit,niſi poſteris Iudæ; quibus vociferari mos:*vt quid perditio hac?*Ex quorum grege nõ poſtremus Wiclephus; Huſſus; & iam Lutherus, Lutherani; Caluinus & Caluiniani.

Non iniuria quærat quis:num iſti,qui Clerum ſæculari magiſtratui ſubdunt;ipſum etiam Summum Pontificem Magiſtratui politico ſubiiciant? vtique: niſi enim hoc facerent;genuini ſectatores Marſilij de Padua, damnati Auctoris, non eſſent; qui in libro, quem pacis defenſorem indigitauit:parte 2.cap. 4. vt fuſiſſimè, ita imperitiſſimè demonſtrare nititur; *Nec Papam, nec vllum miniſtrum Euangelij iure diuino in politia aut Eccleſia habere dominium;ſed magiſtratui ſubeſſe debere;*Et quis ſit iſte Magiſtratus,cui Papa ſubſit,poſtea declarat Marſilius: *Eſſe videlicet Imperatorem.* Et quis iſte Marſilius? Audi elogium à Gregorio IX. ad Richardum Angliæ Regem Marſilio tributum.*Percepimus Ioannem VVicleph,*&c.*in illam nefandam,& abominabilem prorupiſſe dementiam,quod nonnullas propoſuerit concluſiones plenas erroribus,& manifeſtam hæreſin continentes,quæ ſtatum totius Eccleſiæ ſubuertere,& eneruare nituntur: quarumq; aliquæ, licet quibuſdam mutatis terminis,ſentire videntur peruerſas opiniones,& doctrinam indoctam damnatæ memoriæ Marſilij de Padua,& Ioannis de Ianduno,quorũ liber per felicis recordationis Ioannem Papam XXII.prædeceſſorem noſtrum reprobatus extitit, & damnatus.*Eſt ergo Marſilius Auctor, *damnatæ memoriæ:* Doctrina eius, *indocta:* opiniones, *peruerſa:* idque teſtimonio non alicuius ex triuio; ſed Summi Pontificis; in litteris ad Regem anno Domini 1378. ſcriptis.

Accedit & hoc ad laudem;quòd diſcipulum habuit Wiclephum:quantum,bone Deus, virum? quis autem

neſcit; gloriam diſcipuli redundare in Magiſtrum? Num hodie nullos Marſilius habet diſcipulos; & Wiclephus condiſcipulos? Imò verò. F. Paulum, vtrunq; F. Fulgentium; Marſiliũ nouũ, ſed ex Neapoli: & alios; præſertim F. Anton. Capellũ; cuius Marſilianum ſcriptum heſterno die, hoc eſt, 7. Ianuar. anno 1607. ad manus meas peruenit; qui totus ex *pacificatore* damnati Marſilij contextus videtur. A cap. 5. vſq; ad 28. omnia vel ex Marſilio, vel ex hæreticis huius ætatis deſumpta ſunt: vel ſi Auctor hic fortaſſis nec Marſilium, vt ipſe teſtatur fol. 151. ſui libri, nec hęreticos legit, omnia tamen cum Marſilio & hæreticis concordant, vt libro 2. & 3. planum fiet.

CONSIDERATIO SEPTIMA.

In qua expenditur lex, ne bona immobilia laicorum, quocunq. titulo ad Eccleſias & pia loca deuenire poſſint.

SIMILEM legem tulerat olim Valentinianus Imperator, quæ exſtat adhuc libr. 16. Cod. Theodoſiani tit. 2. L. 20. & 27. Sed reclamarunt ſtatim duo ex ſanctorum Patrũ numero ſanctiſſimi & eruditiſſimi, Hieronymus & Ambroſius: ille ad Nepotianum his verbis: *Pudet dicere: ſacerdotes idolorum, mimi, & aurigæ, & ſcorta hereditates capiunt: ſolis clericis, & monachis hoc lege prohibetur, & non prohibetur à perſequutoribus, ſed à Principibus Chriſtianis.*

S. Ambro. epiſt. 31. S. Ambroſius ad Valentinianum Iuniorem. *Scribũtur teſtamenta templorũ miniſtris, nullus excipitur profanus, nullus vltimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: ſoli ex omnibus Clerico commune ius clauditur, à quo ſolo pro omnib. votum commune ſuſcipitur, officium commune defertur, nulla*

legata

legata vel grauium viduarum, nulla donatio. Et, vbi in moribus culpa non deprehenditur, tamẽ officio mulcta præſcribitur. Quod ſacerdotibus phani legauerit Chriſtiana vidua, valet: quod miniſtris Dei, non valet. Hæc S. Ambroſius de lege; in qua, vt monet Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius non prohibebantur ipſæ Eccleſiæ & pia loca hæreditates vel legata accipere; ſed ipſæ duntaxat perſonæ Eccleſiaſticę, idq; propter quorundam auaritiam, & in his procurandis & captandis importunitatem & impudẽtiam. Quæ legi non iuſtæ occaſionem dediſſe videtur; nõ iuſtæ, inquam, quia id ita viſum ſanctiſſimis viris Hieronymo & Ambroſio; & poſtea cum aliis, tum inclyto Imperatori Marciano; qui *ne in poſterum ex prioribus conſtitutionibus, quas præcepit penitus abrogari, aliquid fortè relinqueretur ambiguum, ſecuritati vel fiduciæ morientium prouidens, generali perpetuaq; victura lege ſanxit, vt, ſiue vidua, ſiue diaconiſſa, ſeu Virgo Deo dicata, vel ſanctimonialis mulier, ſiue, quocunq; alio nomine religioſi honoris, vel dignitatis femina nuncupetur, teſtamento, vel codicillo ſuo, quod tamen alia omni iuris ratione munitum ſit, Eccleſiæ, vel Martyrio, vel Clerico, vel monacho, vel pauperibus aliquid, vel ex integro, vel ex parte, in quacunque re, vel ſpecie credidit relinquendum, id modis omnibus ratum, firmumquè conſiſtat: ſiue, hoc inſtitutione, ſiue ſubſtitutione, ſeu legato, aut fidei commiſſo per vniuerſitatem, vel ſpecialiter, ſiue ſcripta, ſiue non ſcripta voluntate fuerit derelictum, omni in poſterum de huiuſmodi negotio ambiguitate ſubmota, donationibus etiam, vel qualibet liberalitate tam viduarum, quam diaconiſſarum, ſiue virginum, quæ* DEO *dicata ſunt, vel ſanctimonialium, quæcunq; in Eccleſiam, vel martyrium; vel clericum, vel monachũ, vel pauperes collata fuerint, pari robore firma eſſe præcipio.*

Bar. Tom. 4. 370. N. 121.

Marcian. Nouell. 5.

Ex qua Imperatoris Marciani reuocatione itidem

 patet

patet, legem illam Valentiniani non fuiſſe penitus generalem, ne quid ad Eccleſiaſticos ex teſtamentis, aliiſue titulis perueniret: ſed ne ex fortunis viduarum, Diaconiſſarum, vel ſanctimonialium; & hoc ne locus eſſet fraudibus: quo tamen abuſu ipſe non abſterritus, liberã omnibus fecit, ſuis de rebus tranſigendi & diſponendi copiã in fauorẽ & emolumentũ Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum omnium.

Quid diceret nunc D. Hieronymus; quid D. Ambroſius, quid Marcianus Imperator; quid alij maiores noſtri; ſi viderent hodie Theologos, tanquam pro aris & focis, pugnare, pro lege, quæ ſimpliciter vetat, ne ad vllam Eccleſiam, locumúe pium, vel perſonam vllam Eccleſiaſticam aliquis fundus; vel immobile quoddam bonum perueniat? Quæſiuiſſent proculdubio ex his Theologis, num aliquando legerint illa: *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, (qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.* Et qua tandem ratione magis apprehenditur vera vita: quàm eleemoſynis durabilibus & perpetuis; quales quæ conſiſtunt in prædiis doniſque immobilibus? Ad quas eleemoſynas iſti, egregiè ſcilicet, Venetos cohortantur, dum omni ope nituntur demonſtrare, id quod ſanxerunt, iuſtum & æquitati conſonum eſſe; non ex ſpiritu veridico; ſed Wiclephico & Huſſitico; qui vt ex præcedente conſideratione elucet, huiuſmodi eleemoſynis iniquiſſimus & infeſtiſſimus fuit; pro quo cur iſti adeo decertent, cauſam nullam video, præſertim cum idem ſpiritus hæc etiam axiomata eructarit, *Conferens eleemoſynam fratribus, eſt*

1.Tim.6.

bus, eſt excommunicatus eo facto. Atqui non pauci inter illos, qui eleemoſynas in bonis ſtabilibus poſitas cum VViclepho oppugnant; *Fratres ſunt.* Nec ſcio quomodo hoc *Fratris* ſui pronunciatum digerere poſſint. *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere; & non per mendicitatem.* Si enim alia VViclephi; de templis non dotandis approbant, approbent & iſta; & in iſtis, etiam hoc portentum: *Religioſi viuentes in religionibus priuatis, non ſunt de religione Chriſtiana: peccant fundantes clauſtra, & ingredientes ſunt viri diabolici: omnes de ordine mendicantium ſunt haeretici; & dantes eis eleemoſynam, ſunt excommunicati.* Vt placent iſta *fratribus*; qui ferre nolunt eleemoſynas ſtatas & perpetes, ſeu in bonis immobilibus ſitas, in Eccleſias benignè collatas?

Taceo nunc tot Canones, totque Pontificum reſcripta & Conciliorum decreta; quæ leges legi Venetæ ſimiles apertè damnant; quoniam alij fusè & dilucidè iſta perſecuti ſunt.

Mihi Theologi iſti ſpiritu VViclephico, Huſſitico, Marſiliano, & Lutherano inſtincti, parum admodum Canonibus & *Decreto* cum *Decretalibus* tribuere videntur: neſcio num in illorũ animis inſederit aphoriſmus ille VViclephicus: *Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt à Chriſti fide, & clerici ſunt ſtulti, qui ſtudent eas.* Ex Huſſo, Marſilio, Luthero ingentia conuiciorum & maledictorum in ius Canonicum plauſtra colligere poterit; quiſquis inſanos eorum commentarios vel obiter inſpexerit. Non eſt, quod his enumerãdis immoremur. Nimis quam peruulgata ſunt hæc omnia. Tantum hoc conſiderandum propono, ſi Theologi iſti non ſunt afflati ſpiritu Canonum contemptore; cur eos cũ in hoc, tum in aliis capitibus non paucis aſpernantur? Cur a-

pertè præ ſeſerunt, *Principes non obſtante Canonum præſcripto, poſſe aliter & circa perſonas, & circa Eccleſiaſtica bona ſtatuere, & Canones non poſſe obligare ciuilem magiſtratum; quo minus contrarium decernere & præcipere queat.* Egregia profectò hæc eſt Theologorum erga ſacros Canones reuerentia, & cumprimis conſideratione digna; ex qua quid monſtri aliquando proditurum ſit, intelligemus forſan temporis progreſſione clarius.

Nunc pergo: illudque etiam conſiderandũ moneo. Theologos iſtos agere aduocatos Nicephori Phocæ Imper. Conſtantinop. ex cuius *cãcellaria lex*, quã tuētur, petita eſt. Iſte Phocas talem legem tulit. Adſcribam græcè, θεσπίζομεν, ὅσοι μοναστήρια, ξενῶνας, καὶ γηροκωμεῖα συστῆσαι βουληθῶσιν, ἐκείνων οὗτοι ἐπιμελείσθωσαν, τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ χρόνου γεγενημένων· μὴ ἀγροὺς παρέχοντες, ἢ τόπους, ἢ οἰκοδομὰς ποιοῦντες. ἱκανὰ γὰρ τὰ φθάσαντα γενέσθαι. ἀλλ᾽ ἐκείνων ἐπιμελείσθωσαν τῶν ἐξ ἀρχῆς προσόντων δηλονότι τοὺς ἰδίους τόπους ἀπεμπολοῦντες πρὸς κοσμικοὺς, καὶ ἐκ τῆς αὐτῶν τιμῆς τὴν ἐπανόρθωσιν ποιοῦντες. τουτέστιν οἰκοδομὰς βοῶν, καὶ ποιμνίων, καὶ οἰκετῶν ἐξωνήσεις, καὶ εἴ τι ἕτερον. ἀπαγορεύεσθαι κελεύομεν, τοῦ μὴ νέας ἐργάζεσθαι μονὰς, ἢ ξενῶνας, ἢ γηροκωμεῖα. ὥστε ἀπὸ τοῦ νῦν ὅπερ ἐστὶν ἡ ἀρχὴ τῆς ζ. ἐπινεμήσεως, μηδενὶ ἐξέστω, μὴ ἀγροὺς, μὴ τόπους, μὴ οἰκίας μοναστηρίοις, ἢ γηροκωμείοις ἢ ξενῶσιν ὁπωσοῦν, παραπέμπειν. ἀλλ᾽ οὐδὲ μητροπόλεσιν, ἢ ἐπισκοπείοις. οὐδὲν γὰρ οὐδὲν ἐκείναις λυσιτελές. *Sancimus, vt quicunque monaſteria; xenones, & gerocomia conſtituere voluerint: eorum potius rationem habeant, quæ à longo tempore iam facta fuerunt: neceis fundos, aut loca donent, vel ædificia ſtruant. Quippe ſufficiunt ea, quæ iam ante facta ſunt. ſed eorum bonorum curam gerant, quæ iam dudum poßident; loca ſcilicet propria mundanis vendentes, & ex eorum precio reſtaurationem inſtituentes, hoc eſt, ædificia pro bobus, atq; gregibus, & mancipiorũ emptiones, & ſi quid aliud tale fuerit. Eoſdem arceri*

ceri iubemus, ne manſiones nouas, aut xenones, aut gerocomia faciant. Adeò, vt ab hoc tempore, quod initium eſt indictionis ſeptimæ, nemini permiſſū ſit, agros, nec loca, nec villas, ad monaſteria, vel gerocomia, vel xenones, quocunq; modo, nec item ad Metropoles, vel epiſcopatus tranſmittere. Nihil enim hoc, nihil eis expedit. Hæc lex Nicephori.

At quis, quantus, & qualis iſte Imperator, ex cuius lege lex hodierna, pro qua iſti pugnant, expreſſa eſt? Audi Luitprandum Epiſcopum Cremonenſem, qui apud hunc Niceph. legatione functus eſt nomine Otthonis magni Imperatoris: *Septimo, id eſt, ipſo ſancto die Pentecoſtes, in domo, quæ dicitur στεφάνα, id eſt, coronaria, ante Nicephorum ſum deductus, hominem ſatis mōſtruoſum, pygmæum, capite pinguem, atq; oculorum paruitate talpinum, barba curta, lata, ſpiſſa, & ſemicana fœdatum, ceruice digitali turpatum, prolixitate, & denſitate comarum ſatis hirtum, colore Æthiopem, cui per mediam nolis occurrere noctem, vētre extenſum, natibus ſiccum, coxis ad menſuram ipſam breuem longiſſimū, cruribus paruum, calcaneis, pedibusq; æqualem, * byſſino, ſed nimis veternoſo, vel diuturnitate ipſa fœtido, & pallido ornamento indutum, Sicyoniis calceamentis calceatum, lingua procacem, ingenio vulpem, periurio, ſeu mendacio Vlyxem.* *Villino.

Idem Luitprandus deſcribens publicum Nicephori progreſſum, graphicè ſic hominē depingit. *Cumq; quaſi reptans monſtrū illud procederet, clamabāt adulatores Pſaltæ; Ecce venit ſtella matutina, ſurgit Eous, reuerberat obtutu ſolis radios: Pallida Sarracenorum mors, Nicephorus μέδων, id eſt, Princeps: vnde, & cantabatur; μέδοντι, id eſt, Principi Nicephoro πολλὰ ἔτη, id eſt, plures anni ſint. Gentes hunc adorate, hunc colite, huic tanto colla ſubdite. Quanto tunc verius canerent; carbo exſtincte veni, μέλλε, anus inceſſu, Syluanus vultu, ruſtice, luſtriuage, capripes, cornute, bimembris, ſetiger, indocilis, agreſtis, barbare, dure, villoſe, rebellis, Cappadox.*

Talis

Talis & tantus heros fuit ille, cuius cauſſam nunc in Venetis agunt iſti Theologi; digniſſimus cliens hoc patrocinio; quem ſi melius adhuc & interius noſſe velis; ipſam Luitprandi legationem perlege: qui portentum hoc germanis prorſus & feſtiuis coloribus ad omnem poſteritatis memoriam deformatũ tranſmiſit. Et quiſquam eſt, qui miretur talem legem à tali prodigio conditam? Quem ab incredibili auaritia & rapacitate ipſi Græcorum Hiſtorici Zonaras & Cedrenus non vno reprehenſionis genere notant, meritoq; inceſſunt; nominatim propter hanc, de qua loquimur, ſanctionem. *Ad Taxidium*, inquit iſte, *aſsiduè veniens, grauiter ſubditos afflixit, non modò penſionum, & tributorum omnigenis rationibus, ſed & rapinis intolerabilibus. Ad hæc, partem quandã eorum, quæ ſenatoribus ſolebant Imperatores largiri; donorũ, in fiſco retinuit, cauſatus, ſibi ad bella gerẽda deeſſe pecuniam. Neq; hoc tantum; ſed & donationes monaſteriis, atq; templis legatas à quibuſdam piis Imperatoribus, prorſus aboleuit: lege etiam lata, ne Eccleſia immobilibus locupletarẽtur bonis: cauſatus, Epiſcopos malè prodigere ea, quæ pauperibus darentur, interim militibus deficientibus. Id verò, omnium grauiſsimũ, quòd legem tulit, cui & Epiſcopi quidam leues, atque adulatores ſubſcripſerunt: Ne Imperatoris iniuſſu, vllus crearetur Epiſcopus; &, mortuo aliquo Epiſcopo, aliquem ſuorum ſubmiſit, qui definitos faceret ſumptus, ipſe, quod erat de reditibus reliquum, accepit: ſunt & aliæ eius conſtitutiones, omnem neceſsitatis formam excedentes, quas ſingulatim referre magni ſit ingenij, ac facundiæ.*

Cum igitur talis fuerit Nicephorus, mirandum nõ eſt, huiuſmodi legem ab eo profectam. Illud magis mirandum, reperiri, qui Nicephorum in ſimili legiſlatione imitentur; non ſine Patronis, quibus id, quod peſſi-

mè et-

mè factum, etiam iudicio Græcorum, præclarè factum videatur.

Hanc Eccleſiaſticæ libertati & immunitati ex aduerſo repugnantem conſtitutionem ſuſtulit & abrogauit grauiſſima hac lege ſua Baſilius Imperator; quam græcè quoq; adſcribã: vt vel Græci; qui Venetiis degũt, intelligãt, quantũ iſti noſtri Theologi à recto tramite declinẽt.

ἡ ἐκ θεοῦ βασιλεία ἡμῶν, καὶ παρὰ μοναχῶν ἐπ' εὐλαβείᾳ, καὶ ἀρετῇ μεμαρτυρημένων, καὶ παρὰ πολλῶν ἄλλων ἀναμαθοῦσα τὴν περὶ τῶν ἐκκλησιῶν τοῦ θεοῦ, καὶ τῶν εὐαγῶν οἴκων παρὰ τοῦ τῆς βασιλείας ἐπιβάντος κυρίου Νικηφόρου τεθεῖσαν νομοθεσίαν, αἰτίαν, καὶ ῥίζαν τῶν παρόντων γενέσθαι κακῶν, καὶ τῆς οἰκουμενικῆς ταύτης ἀνατροπῆς, καὶ συγχύσεως, ἅτε μὴ πρὸς ἀδικίαν, καὶ ὕβριν τῶν ἐκκλησιῶν μόνον, καὶ τῶν εὐαγῶν οἴκων, ἀλλὰ καὶ αὐτοῦ τοῦ θεοῦ γενομένην, ἄλλως τε δὲ καὶ ἔργῳ τοῦτο βεβαιωθεῖσα· (ἐξ ὅτου γὰρ τὰ τῆς τοιαύτης ἐκράτησαν νομοθεσίας, οὐδὲ ὁπωσοῦν, οὐδὲ ὁτιοῦν χρηστὸν. ἄχρι καὶ τήμερον τῷ καθ' ἡμᾶς ἀπήντησε βίῳ, ἀλλὰ τοὐναντίον συμφορᾶς μᾶλλον ἐπέλιπεν εἶδος ὅλως οὐδέν) θεσπίζει διὰ τοῦ παρόντος ἐνυπογράφου χρυσοβούλλου τὴν παροῦσαν νομοθεσίαν ἀργεῖν, ἀπὸ τῆς παρούσης ταύτης ἡμέρας, ἄκυρόν τε, καὶ ἄπρακτον τοῦ λοιποῦ διαμένειν. ἐνεργεῖν δὲ τοὺς πρὸ ταύτης κειμένους, περί τε τῶν ἐκκλησιῶν, καὶ τῶν εὐαγῶν οἴκων νόμους.

Diuinitus conſtituta Maieſtas noſtra, quum & à monachis, quorum teſtata pietas, atq; virtus eſt, & ab aliis multis cognouerit, legem à Domino Nicephoro, qui ad imperium peruenit, de Eccleſiis DEI, *religioſisq; domibus latam, cum præſentium malorum, tum vniuerſalis huius euerſionis, atque confuſionis cauſam, & radicem extitiſſe, veluti non ad iniuriam, contumeliamq; duntaxat Eccleſiarum, & religioſarum domuum, ſed ipſius quoque Dei conditam; adeoq; re ipſa, de hoc facta ſit certior; (nam ex quo lex iſta robur habuit, nihil boni penitus in hodiernum vſque diem vita noſtra contigit; ſed potius,*

O *è con-*

è contrario, nullum omnino genus calamitatis intermiſit:) ſtatuit per auream hanc bullam, cui ſubſcripſit, legem indicatam ab hoc præſenti die ceſſare debere, ac deinceps irritam, nulliusq́; momenti manere: conditis ante illam legibus: tam de Eccleſiis, quam religioſis domibus, vim roburq́; ſuum obtinentibus.

Hæc Imperator Baſilius: cuius aurea dicta; vtinam, vtinam iſti in corda demitterent; & venturarum calamitatum multitudinem præuiderent & præcauerent: ſi enim lata illa lege à Nicephoro nil proſperè succeſſit; ſi omnia retro collapſa referri videbantur; ſi certiſſima diuinæ indignationis argumenta vndique eminebant, idq; vt ſagaciſſimè Imp. Baſilius coniiciebat propter multis modis violatam immunitatem Eccleſiaſticam; quanto magis nunc timendum eſt, ne Numinis iram in nos concitemus; poſtquam non modo ſimilis lex lata eſt; ſed & pertinaciſſimè ab illis defenditur, quorum quiduis potius quàm hoc, erat agere; & defenditur contra Sedem Apoſtolicam; contra CHRISTI Vicarium; contra Petri ſucceſſorem, huiuſmodi ſtatutum clara & ſonora voce ex celſiſſima Petri ſpecula condemnantem & reprobantem.

Nicet. lib. 7. de rebus Manuel.

Nicephori Phocæ veſtigia ſecutus eſt Manuel Comnenus, teſte Niceta Choniate, qui iſta: *Monaſterium in Ponti faucibus, loco, qui Cataſcepe dicitur, Archiducis Michaelis nomine extruxit; in quo celeberrimos quoſque, & præſtantiſsimos monachos collocauit ea ratione, vt ſolitariam, & quietam vitam, ſine vlla ſolicitudine poſſent degere. Cùm enim monachos poſſeſsionibus, & negotiis turbatos, & tranquillitate animi, & Dei cultu excidere intelligeret; nullas eis vineas, nullos agros, nullas poſſeſsiones, quas nec eorum profeſsio*

feſſio admittit, aſſignauit: ſed, ex fiſco tantum pendi iuſſit, quãtum ad victum, & cultum opus eſſet. Videtur nimirum immodicam cupiditatem ſtruendi monaſteria improbaſſe, & exemplum prodere poſteris voluiſſe, quo pacto templa condenda, & qua viuendi ratio eremitis, pauperibus, & à terrenis rebus ſe abſtrahentibus proponenda ſit. Tantùm autem abfuit, vt eorum inſtitutum laudaret, qui monaſticam vitam profeſſi, & opibus affluunt, & multitudine curarum magis diſtrahuntur; quàm ij, qui huius vitæ deliciis occupantur: vt ſanctionem Nicephori Phocæ, fortiſſimi, & cordatiſſimi Imperatoris, olim abolitam, de non augendis monaſteriorum latifundiis, quaſi poſtliminio reuocarit. neque patrem, auum, ceteroſq; cognatos ſuos omnes, qui monaſteriis ampliſſima prædia donarant, incuſare deſtiterit: non, quòd de ſuis opibus Deo aliquid conſecraſſent, ſed, quòd rem bonam, malè adminiſtraſſent.

Recitat hæc Nicetæ verba Marſilius nouus de repente Theologus, & pernicioſi ſchiſmatis tibicen in defenſione ſua aduerſus Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, & ob illa mirificè exultat; & Bellarmino, quòd non legerit, inſultat. Vbi meritò quæras, vnde huic conſtet; Bellarminum, non legiſſe, quæ Nicetas ſcribit? An aſſedit Bellarmino; quotieſcunque euoluendis auctoribus operam dedit? Ego verò, neque id temerè arbitror, Bellarminum & hunc, & alios Græcorum Hiſtoricos ſtudiosè peruolutaſſe non modò priuſquam iſte pædagogus emergeret, ſed & poſtquam ex pædagogo, ſubita metamorphoſi, Doctor quoque Theologiæ factus eſt; qui multa obſeruari circa hanc narrationem iubet.

I. laudari Manuelem à Niceta, *tanquam valde pium.*

At nihil Nicetas de Manuelis pietate eo loco, quē paulo antè produximus: imò in eodem libro copioſè deſcribit Nicetas, quomodo circa quæſtiones Theologicas, cum inſipienter ſeſe his miſcuiſſet; delirauerit; & quæ portenta opinionum pepererit: præſertim circa illud dictum Chriſti: *Pater maior me eſt*: Et quomodo ipſos etiam Epiſcopos ſomniis ſuis, & anilibus phantaſmatis aſſentiri & ſubſcribere coëgerit. Poſito quoq;, Manueli à Niceta eximiæ pietatis laudem fuiſſe tributam, quis, obſecro, Nicetas; vt eius verba tantum auctoritatis pōdus apud nos obtinere debeant? An non Nicetas infenſiſſimus Latini nominis & generis hoſtis eſt; & calumniator improbiſſimus? Quod cum ex vniuerſa eius Hiſtoria liquet, cum maximè ex gemina narratione, altera de capta à Siculis Theſſalonica; altera, de capta à Latinis Conſtantinopoli.

Secundò iubet obſeruari; *Manuelem hoc non feciſſe odio erga Eccleſiam; ſed ſtudio reformandæ Eccleſiæ.* Eo planè ſtudio, quo id fecit Nicephorus Phocas; quo Wiclephus; quo Huſſus, quo Lutherus; quo Lutherani; quo alij Nouatores; qui Monaſteriis & Eccleſiis fundos & prędia ſubtraxerunt & ſubtrahunt, vt ipſi inde ſaginentur, & his quaſi tam opimis exuuiis amiciantur.

Tertiò iubet obſeruari, Manuelem *ideo Nicephori legem renouaſſe; quòd prudenter à Nicephoro, vtpote à cordato Imperatore, ſancita fuiſſet.* At hoc falſum eſt; non enim adfert Nicetas prudentiam & fortitudinem, qualiſcunque ea fuerit, pro ratione, qua inductus Manuel legem illam reuocarit; ſed abſolutè dicit; *illum inſtauraſſe,* νομοθεσίαν ἣν ὁ βασιλεὺς τῷ ὄντι νικηφόρος ὁ φωκᾶς, ὁ τὴν ἰσχὺν ἡρωϊκὸς, καὶ πολὺς τὴν σύνεσιν ἔθετο, *quam inclytus, & robore heroicus, & prudentia praecellens Nicephorus Phocas tulit.*

lit. Hoc longè aliter olet, quàm quod nobis apponit Marſilius. Quam autem hæc etiam laus probè in Nicephorum congruat, docebit te legatio Luitbrandi; Cedrenus item & Zonaras, vt de Ioanne Curopalata nihil dicam, qui & ipſe Nicephorum coloribus germanis effigiat.

Quartò iubet iſte obſeruari, *neminem de hac Manuelis lege conqueſtum.* Iure quæras, vnde hoc compertum nouo Marſilio? An quia nihil dicit Nicetas? Pulchra collectio.

Quintò obſeruari iubet, *principes feciſſe ſimiles leges; & immunitatem Eccleſiaſticam eſſe ex priuilegio principum.* Pulcherrima conſequentia. Nicephorus Phocas fecit legem, quam Baſilius Imperator antiquauit & abrogauit; ergo libertas Eccleſiaſtica eſt à Principibus. Item, Baſilius legem illam Nicephori abrogauit: ſequitur ergo quod antea. Adhuc acutius. Manuel legem Nicephori renouauit; ergo immunitas Eccleſiaſtica eſt à ſæculari principe, patet conſequentia. Quia etiam Lutherani & Caluiniani principes renouarunt eam legem Nicephori & Manuelis; & non tantum bona immobilia; ſed ne mobilia quidem Monachis reliquerunt; ergo priuilegiũ hoc eſt à principe politico. Ita iſte delirat: neq; enim aptius nomen reperio. Quaſi verò id, quod vel Nicephorus vel Manuel egit, de iure factum ſit. Ne ipſe quidem Nicetas hoc affirmat. Factum Baſilij de iure factum non inficiamur: ſed non magis inde colliges Monachos aut Clericos Imperatori fuiſſe ſubiectos; quàm ſi quis colligeret; catholico & auguſtiſſimo Imperatori noſtro Rudolpho ſubiectos eſſe Imperij Clericos, quia ſæpiſſimè iam iniquiſſimas aduerſus clerum ab hæreticis latas leges Cæſarea auctoritate ſua irritas effecit; aliasq; in-

catholici cleri fauorem & emolumentum ſubſtituit; qua in re nil aliud fecit, quàm quod Eccleſiaſticæ æquitati & libertati clero à Deo conceſſæ opem tulit, & potenti dextera ſua ſubuenit.

Tandem inſilit iſte in Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, cuius ne agaſo quidem eſſe poſſet; aitque *eum leges abrogatas & antiquatas in medium proferre*; *exempla autem optimi & Chriſtianiſſimi Imperatoris relinquere*. Itáne tibi *optimus* & *Chriſtianiſſimus* Imperator; qui perpetuo ſchiſmate à Romana Eccleſia ſciſſus fuit? Itáne *optimus & Chriſtianiſſimus* Imperator ille; qui circa grauiſſima religionis capita aniliter prorſus deſipuit; & vt Epiſcopi ſecum deſiperent, nihil intẽtatum reliquit? Itáne *optimus* & *Chriſtianiſſimus* Imperator, qui perpetuò dedit operam; vt in occidente lites inter Reſpublicas & Principes ſereret; quò ipſe in oriente tutus eſſet; idque vnicum ſtudio habebat, ne vllus occidentalium Principum vel tantũ potentię, vel tantum otij adipiſceretur; vt oriẽtale Imperium armis inuadere poſſet: *Proinde Venetias*, inquit ille Hiſtoricus, *Genuam*, *Piſas*, *Anconam*, *& reliquos oræ maritimæ accolas, Romanis conciliabat, iureiurando deuinciebat, omnis generis officiis alliciebat, & in vrbe imperatrice hoſpitiis excipiebat. Et, quia verebatur, ne quis Occidentalium regum opibus auctis Romanos inuaderet; potentiorum iniuriis obnoxios populos pecuniis reficiebat; in armis exercebat, & ad reſiſtendum animabat. Ac Italos contra Alemaniæ Regem Fridericum, qui eos ſuæ ditionis facere maximè cupiebat, ſæpe concitauit, per legatos hortatus, vt fortes viros ſe præberent, & Regis dolos cauerent, quem coronæ accipiendæ gratia ſæpe veterem Romam ingreſſurum, impediit*, &c.

Nic. lib. 7. init.

Iſti & alij *Machiauelliſmi*, quos Nicetas commemorat;

rat;indicia ſcilicet ſunt *optimi* & *Chriſtianiſſimi* Imperatoris. *Optimi*, ſcilicet, *&* *Chriſtianiſſimi* Imperatoris argumenta cenſeri debent, quæ ſumma perfidia, & nequitia nulla non ſupplicio luenda commiſit in duos florentiſſimos,totique orienti terrificos exercitus Hieroſolymam tendentes,Conradi Imp. & Ludouici Regis Gallorum; quos Turcis ſceleratiſſimè prodidit,aliiſque modis perdidit & diſſipauit; prout ipſe Nicetas nõ obſcurè; noſtri autem Hiſtorici clariſſimè teſtantur, quorum teſtimonia alibi à nobis producta. Itaque euidenter apparet hunc & hiſtoriarum prorſus eſſe rudem ac imperitum,& odio Romani Pontificis ita excæcatũ; vt hominem ſchiſmaticum, & Latini nominis hoſtem inimiciſſimum; & tot cruceſignatorum,& cœleſti militiæ adſcriptorum homicidam & latronem truculentiſſimum; nomine *optimi & Chriſtianiſſimi* Imperatoris afficiat. cuius impiam conſtitutionem vocat iſte *receptã & approbatam*; cum paulò poſt à filio Manuelis, Alexio Comneno Porphyrogenito abrogata & penitus antiquata fuerit, vt teſtatur Balſamon.

Tom. 3. de S. Cruce lib. 2. c. 19. & 20.

Balſam. in Can. 1. Concilij cuiuſdam Conſtantinop. ſub Photio.

Et hic primo conſiderationum libro finis ac modus eſto.

CON-

CONSIDERATIONVM AD THEOLOGOS VENETOS

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTA quibus iſti exemptionem clericorum à ſęculari poteſtate iure diuino conceſſam oppugnant; varia ſunt & multiplicia. Quædam ex veteris Teſtamenti exemplis, & teſtimoniis. Quædam ex Teſtamento nouo. Nam & à factis & dictis ſeu iuſſis Chriſti & Apoſtolorum firmamenta ſuæ ſententiæ petunt; item ex antiquitatis memoria; ex Conciliis, ex Patribus, ex Hiſtoriis; & demùm ex ratione; Quorum pleraque, ſi non omnia; oſtendam à damnatis & proſcriptis auctoribus, quales Marſilius de Padua, Wiclephus, Huſſus, Lutherus, Caluinus, & alij huius ætatis ſectarij, iam olim vſurpata fuiſſe, hodieque etiam vſurpari; idque non alio fine, quàm vt omnes clarè videant, quos magiſtros ſequantur illi, qui tanta pertinacia & temeritate immunitatem Eccleſiaſticam oppugnatum eunt; apud quos *contra diuinam ſententiam*, & omnium Sedi Apoſtolicæ adhærentium *conſcientiam, fidei ſuæ viribus nixam præualuit inimicorum & malignorum*, (ſchiſmaticorum & hæreticorum) *commentum*; *quaſi apud lapſos, & profanos, & extra Eccleſiam poſitos, de quorum pecto-*

S. Cypr. epiſt. 69.

pectoribus exceſſerit ſpiritus ſanctus, eſſe aliud poſsit, niſi mens praua, & fallax lingua, & odia venenata, & ſacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis neceſſe eſt inueniatur, cum iudicij dies venerit.

F. Capellus tanti hoc genus reſpõdendi fecit; vt arbitretur bonam argumenti ſolutionẽ eſſe; ſi demonſtretur id ab Hæretico quopiam cõtra orthodoxos vſurpatum. Nam cap. 7. p. 2. Tractatus ſui pro Venetorum cauſſa; reſpondens ad argumentum quoddam Iuris conſultiſsimi viri Bartholomæi Hugolini; ſic ſcribit: *ſoluitur hac ratio; dum oſtenditur; vnde ſit deprompta:* (Dixerat autem; tametſi falsò, deſumptum eſſe à Petiliano Donatiſta) *& à quo magiſtro proceſſerit; & contra quem inſtituta fuerit.* Si igitur nos planum apertumque faciemus, pleraque iſtorum argumenta petita eſſe ex officina damnati Marſilij de Padua; Huſſi; Lutheri; Caluini; ſimilium; tum F. Capellus verborum ſuorum memor ſit; & ſibi in aurem ſua illa inſuſurret. Si ſolue adunque queſta ragione co'l ſcoprire d'vnde ſia cauata, che maeſtri habbia hauuto, & contra chi fuſſe formata. Nec dicant iſti, etiam præſtantes illos viros Ioannem Medinam, Dominicum Sotum & Couarruuiam aliquibus huius generis argumentis vſos: quia alia eſt horum ratio. Nunquam propter illa argumenta ab Hæreticis contra Catholicos vſurpata; ſedi Apoſtolicæ ſe oppoſuerunt, vt iſti faciunt: & ſi adhuc viuerent; omnia proculdubio obliterarent.

CONSIDERATIO PRIMA.

Argumentum ab Exemplo Moyſis, quo iſti vtuntur, eſt hæreticorum huius temporis.

IN libello octo propoſitionum, quo anonymus quidam amicum ſuum malè informat quomodo ſeſe gerere debeat ob interdictum in Venetas prouincias latum, dixerat Auctor, *etiam in Veteri teſtamento Leuitas in negotiis & iudiciis temporalibus ſubiectos fuiſſe Moyſi Principi temporali ſuo; licet habuerint ſacerdotem ſummum, id eſt, Aaronem.* Quo ipſo ſatis inſinuauit, Moyſen nō fuiſſe ſum̄um ſacerdotem ſeu Pontificem. Quod omnes hæretici hoc tempore contendunt, nominatim VVitackerus; Iunius, Danæus, Sibrandus; Caluiniſtæ; & ex Lutheranis, Hunnius.

Bellar. in Reſp. contra p raditt. libellum.

Sed Illuſtriſs. Card. Bellarminus cum alibi; tum in Reſponſo Italico ad ſupra memoratum libellum multis ſanctorum Patrum teſtimoniis & rationibus oſtendit Moyſem ſummum fuiſſe ſacerdotem; & maiorem ipſo Aarone; atque adeo Leuitas ab ipſo, non vt à Politico Principe; ſed vt à ſummo Pontifice iudicatos fuiſſe.

In libris ſuis contra primã controuers. Card. Bellarm. Hunnius quoque in Colloq. Ratisb.

Marſilius in defenſione octo Propoſitionum; apertè negare non audet Moyſen fuiſſe ſacerdotem: Ait tamen, *poſt conſecratum Aaronem non fuiſſe amplius ſacerdotem, quoad exercitium:* quæ eſt ipſiſſima Caluiniſtarum VVitackeri & Sibrandi reſponſio. Item, *ſcripturam; quando facit mentionem ſummi Pontificis, non facere mentionem Moyſis; ſed Aaronis; hinc ad Hebr. cap. 5. Apoſtolum non dicere; Qui vocatur à Deo tanquam Moyſes, ſed; qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Hæc prope ſunt ipſiſſima Lutherani Hunnij verba in Colloquio Ratisbonenſi ſeſſ. 2. vt & illa Caluiniſtæ

fol. 22.

uiniſtæ Sibrandi; cum dicit Marſilius: *duo capita in ſpiritualibus non ſatis commodè ſignificare vnitatem capitis Eccleſiæ.* Verùm has & ſimiles Caluiniſticas, Lutheriſticas & Marſilianas nænias refutat Card. Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 4. & nos in Defenſione eiuſdem libri & capitis, & coram in Colloquio Ratisbonenſi eaſdem copiosè refellimus; vt nil opus ſit addere: quia ſatis eſt oſtendere; quos iſti Magiſtros ſequantur.

Ait Marſilius: *ſi Leuitæ fuerunt exempti in temporalibus à poteſtate politica, cur Dominus Cardinalis non adduxit locum clarum; quo id demonſtraret; ſicut Auctor octo propoſitionum attulit exemplum Moyſis & Salomonis de Abiathar?* Quantum Moyſis exemplum valeat, iam vidimus: Tantum ſcilicet valet allatum à Marſilio, quantum allatum à VVitackero, Iunio, Sibrando, Hunnio & cæteris Marſilianis Symmiſtis. De Abiathar infrà dicemus. An non ſatis clarum teſtimonium eſt; quod Bellarminus oſtendit Moyſem fuiſſe ſupremum ſacerdotem; & Leuitas ad Clerum ſeu ſtatum illius legis Eccleſiaſticum pertinuiſſe; neq; illis ab alio niſi à Moſe ius dictum etiam quoad perſonas & facultates ipſorum? Nam quod iſti obiectãt; Moyſem hoc feciſſe; vt Principem politicum; hoc perſpicua quapiam ſacrarum litterarũ auctoritate, ſi comprobaretur, fidem mereretur. Nunc aſſeritur tantum ab iſtis. 3. Reg. 2.

Nam quod F. Capellus ſic argumentatur: *Ioſue ſucceſſit Moyſi in temporali adminiſtratione, rexitq́, tanquam Princeps politicus, & Iudicauit totum Iſraëlem, ſine vllo diſcrimine; nec tamen fuit ſacerdos, nec Leuita; cum fuerit de tribu Ephraim vt patet ex cap. 13. Num. & 1. Paralip. ſeptimo; ergo & Moyſes antea, vt Princeps politicus in temporalibus totum* F. Capell. lib. de controuerſia inter Pontif. & Venet. part. 2. cap. 10.

Iſraëlem atque adeo Leuitas quoque, quoad perſonas & bona ipſorum regebat & iudicabat: id vanum eſt & friuolum. Nam totum Iſraëlem gubernauit Ioſue; eo modo, quo Rex Hiſpaniæ gubernat totum regnum Hiſpaniæ; nempe, quoad perſonas laicas & bona *laicalia*; nō quoad perſonas diuino cultui conſecratas; eorumque fortunas & opes. Totum nimirum Iſraëlem iudicauit, in iis, quæ ſuæ erant notionis & iuriſdictionis; ſicut & hoc tempore quiuis Princeps Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis obſeruans & Apoſtolicæ ſedis reuerens totum Principatum ſuum iudicare rectiſſimè dicitur; non ſimpliciter in omnibus; ſed in iis; quæ ad ſuum tribunal ſpectare nouit.

Idem dico de Othoniele, Aioth, Delbora; Thola; & hi & alij iudicarunt *totum Iſraelem*, eo modo, quo sereniſſimus noſter Bauariæ Dux iudicat totam Bauariam in iis, quæ ſunt ſui fori & tribunalis. At quod Frater Capellus Leuitas etiam Delboræ fœminæ ſubiicit; & per conſequens, noſtros quoque Clericos mulieribus ſubdit; ſicubi mulieres imperium tenent: id fortè ſcripſit in gratiam Anglicani Caluiniſtici Cleri, qui non ita pridem mulieri & in ſpiritualibus & in temporalibus ſubiectus fuit. Quàm verò arguta eſt illa conſequentia? *In libris Iudicum nullus commemoratur iudex, qui fuerit ex tribu Leui; ergo Leuitæ ſubiecti fuerunt, quoad perſonas & bona ſua Iudicibus Politicis*; perinde ac ſi diceret: In Imperatorum Chriſtianæ Religionis Catalogo nullus recenſetur, qui fuerit ſacerdos vel Epiſcopus, vel ſummus Pontifex; ergo Clerici in Imperio ſubiecti fuerunt Laico Imperatori. Acutè, vt & illud: *cum ſupponis* ex noſtra ſententia, *Moſen fuiſſe generalem & ſupremum iudicem politicum totius Iſraëlis quatenus ſacerdos & Pontifex erat*; ex quo infert;

fert; *etiam ſucceſſores eius debuiſſe eſſe ſacerdotes & Pontifices, qui ei in temporali iuriſdictione ſucceſſerunt.* At Auctor iſte ſupponit, non quod veritas habet; ſed quod phantaſia malè affecta comminiſcitur. Nemo enim dicit Moyſem fuiſſe Principem politicum, quatenus Pontifex erat; itaque minime opus eſt, vt qui in Principatu politico ſucceſſerunt; vt Ioſue & reliqui Iudices & Reges, ſucceſſerint etiam in Pontificatu: Quia duæ iſtæ poteſtates fuere in Moſe coniunctæ quidem; ſed tamen diſtinctæ; ita; vt vtraque integram ſuam naturam ſeruaret; In vna igitur Moſi ſucceſſum eſt: in altera non eſt ſucceſſum; ſed Aaroni fratri quem Moyſes ſacerdotio initiauerat. Taceo, falſum eſſe; quod Autor aſſumit, nullum ex tribu Leui Iudicis officio functum. Quia & Heli & Samuel ex tribu Leui fuere, & vterque iudicis officio functus eſt.

CONSIDERATIO SECVNDA.

Argumenta, qua Frater Capellus adfert cap. XI. eſſe friuola.

DICIT Frater Capellus *Moſem Deut. 16. tuliſſe legem, vt qua libet ciuitas haberet iudices de tribu, in qua ſita eſſet, qui ius in porta dicerent.* Neſcio quæ Biblia iſte legat. Mea ſic habent. *Iudices & magiſtros conſtitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per ſingulas tribus tuas.* Non mandat vt iudices tantum ſint de illa tribu; ſed vt in omnibus ciuitatibus per ſingulas tribus ſeu ſingulorum

tribuum conſtituantur iudices: quæ lex minimè excludebat Sacerdotes & Leuitas, qui promiſcuè cum cæteris tribubus habitabant, & rerum ad ſe pertinentium iudicia agitabant; etiam intra portas ciuitatum; eo modo, quo rerum & perſonarum ſæcularium iudices iudicia de controuerſiis ad ſe ſpectantibus inſtituebant. Certum autem eſt, quaſdam fuiſſe cauſſas, quæ non niſi à ſacerdotibus cognoſci poterant; vt *cauſſa lepræ*; Leuit. 13. 14. Certum etiam eſt, pro his cauſſis in ſingulis ciuitatibus iudices conſtitutos fuiſſe; Hinc Deut. 17. præcepit legiſlator. *Si difficile & ambiguum apud te iudicium eſſe proſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem; cauſſam & cauſam, lepram & lepram, & iudicum inter portas tuas viris verba variari; ſurge & aſcende ad locum, &c.*

Ex quibus verbis apparet; etiam in ſingulis ciuitatibus iudicatum de lepra; & quidem intra portas: & ſi quæſtio hæc decidi à iudicibus non poſſet; tunc itum Hieroſolymam, ad ſupremum Concilium. Certum eſt autem non politicum magiſtratum; ſed Eccleſiaſticum, hoc eſt, ſacerdotes Leuitici generis, de lepra iudicaſſe. Quemadmodum ergo de hac & id genus aliis cauſſis; ita etiam de perſonis & bonis ſacerdotum & Leuitarum iidem Eccleſiaſtici iudices per diuerſas tribus ſparſi iudicium ferebant. Imo iudicia de ciuilibus cauſſis inſtituta, vix abſque ſacerdotibus inſtituebantur. Hinc ait Ioſephus de ſacerdotibus: καὶ γὰρ ἐπόπται πάντων καὶ δικασταὶ τῶν ἀμφισβητουμένων καὶ κολασταὶ τῶν κατεγνωσμένων οἱ ἱερεῖς ἐτάχθησαν, *ſacerdotes rerum omnium inſpectores conſtituti ſunt; & controuerſiarum iudices; & damnatorum punitores.* Quæ Ioſephus non tantum de ſacerdotibus Hieroſolymis degentibus, ſed generatim de omnibus ſacerdotibus ſcripſit.

Ioſeph. lib 2. contra Apionem.

ſit. Vbi vides ipſos omnium rerum *inſpectores* & quaſi *ſuperintendentes*, (tametſi non Lutheranos) omniumque controuerſiarum iudices, & malefactorum vindices appellari. Quis ergo credat de Leuitis & ſacerdotibus, eorumque bonis & facultatibus à Laicis iudicium factum; & quidem à ſolis, vt Auctor iſte contendit: cum etiam aliarum, hoc eſt, merè ciuilium rerum cognitioni & diſceptationi ſacerdotes admixti & adiuncti fuerint; vt iam ex Ioſepho audiuimus; quod etiam liquet ex illa lege Deut. 19. *Si ſteterit teſtis mendax contra hominem, accuſans eum praeuaricationis, ſtabunt ambo, quorum cauſa eſt, ante Dominum in conſpectu ſacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis.* Et Concilium Hieroſolymitanum, de quo Deut. 17. vel ex ſolis ſacerdotibus conſtabat; vt multis non improbabiliter videtur; vel ſi ex aliis quoque, ſacerdotes tamen primas in omnibus obtinebant. ad quorum tribunal non tantum res Eccleſiaſticæ, ſed & politicæ deferebantur; & quidem omnes illæ cuiuſcunque ſortis eſſent; quæ ab inferioribus iudicibus intra portas cuiuslibet ciuitatis non poterant terminari. Quod noto propter illos, qui Pontifici noſtro, quà pontifex, omne ius diſponendi & indicandi de temporalibus, etiam cum reſpectu & ordine ad ſpiritualia, abiudicant, & adimere tentant.

His hunc in modum explicatis, dilucidè eluceſcit quantum ponderis habeat hæc conſequentia. *In ſingulis ciuitatibus conſtituti ſunt politici iudices; qui controuerſias cognoſcerent; & iudicarent; ergo illi iudices iudicabant etiam bona & perſonas Leuitarum & ſacerdotum. Si quis filius ſacerdotis*, inquit iſte Auctor, *in ciuitate quapiam tribus Iſachar, vel Iuda, vel alterius, impius fuiſſet in parentes, à quo iudicabatur? Non à Pontifice.* quia Moyſes Deut. 21. dicit

hoc peccatum iudicatum fuiſſe à iudicibus intra portas , vbi commiſſum erat delictum ; & per conſequens , ab altera tribu, quàm à Leuitica. Quæ vera eſſent ſi Moyſes dixiſſet ; *ſi genuerit homo etiam ſacerdos vel Leuita , filium contumacem & proteruum , &c. apprehendent eum , & ducent ad ſeniores tantùm laicos ,* hoc eſt , extra tribum Leui natos, *& ad portam iudicij , vbi ſolùm iudices alterius quàm Leuiticæ tribus conſortes, iudicant , dicentque ad eos, &c.* Si ita, inquam, legiſlator edixiſſet ; tum hæc opinio locum inueniret: nunc quia Moyſes ita locutus eſt ; vt quamuis prima legis verba de quocunque homine & de quocunque filio, etiam ſacerdotis & Leuitæ acciperentur ; tamen per ſeniores & iudicium ad portam ; ſacerdotes & Leuitæ accipi poſſent ; qui & ipſi ad portam controuerſias ad ſe ſpectantes iudicabant, vt antea viſum ; ſpectabat autem ad illos contumacia & proteruia filij Leuita vel ſacerdote progeniti, ratione perſonæ, à foro ciuili exemptæ; vel certè ſacerdotes poſt latam mortis ſententiam ; executionem politico magiſtratui committebant ; vt in concilio etiam Hieroſolymitano aliqui factum exiſti-
Ioſue 21. mant. Taceo illas quadraginta octo ciuitates, quas cum ſuburbanis ſuis Leuitæ *in medio poſſeſsionis filiorum Iſraël* tenebant ; in quibus proculdubio ipſi Leuitæ ius dicebant ; & ad quas fortè etiam aliunde Leuitarum cauſſæ & controuerſiæ deferebantur.

Hic obiter moneo ; vix me tantum ſiue audentiæ ſiue fidentiæ in animo meo reperire ; vt, ſi ex eorum Theologorum numero eſſem ; qui nunc ſanctiſſimo & optimo totius Eccleſiæ Parenti *Paulo V.* contumaciſſimè aduerſantur , eiuſque iuſſa capeſſere obſtinatè detrectant; hanc legem legere auderem ; ſi enim Deus pœ-

nam

nam adeo ſeueram & terrificam in filios parentibus carnalibus immorigeros decreuit; quantò maiorem ſtatuiſſe cenſendus eſt in illos, qui tanta totius Catholicæ Eccleſiæ offenſione ſummo omnium Chriſtianorum Patri cornua obuertunt, & imperata eius, etiam ſcriptis libris inſectantur ac proſcindunt? pergamus.

Alia exempla, quæ adfert F. Capellus eiuſdem ſunt farinæ. Pro comperto ponit, *ſacerdotem ſi vxorem ſuam nō inueniſſet virginem; non aliò accuſationem detuliſſe, niſi ad magiſtratum ciuilem: quia Moyſes mittit illum ad iudicium portæ.* Deut. 22. *At in porta non ſedebant alij iudices, quàm politici.* Si hoc probaret Auctor; non ſemper eadem chorda oberraret. Sic etiam pro comperto ſumit; ſacerdotem, ſi nollet fratris ſui viduám ducere, *non niſi ad politicos iudices fuiſſe delatum*; vbi rurſus recurrit illa conſequentia: *Itum eſt ad iudices ſeu ad iudicium portæ; ergo ad politicos ſeu politicum iudicium.* *Deut. 25.*

Nec ſubtilius eſt hoc argumentum ex 1. Reg. cap. 8. *Congregati vniuerſi maiores natu Iſrael venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq́; ei, &c. Conſtitue nobis Regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes; ergo inter iſtos etiam fuerunt maiores natu ex ſacerdotibus & Leuitis; qui ſimiliter ac alij cupiuerunt ſibi Regem conſtitui, à quo iudicarentur; ergo ſacerdotes & leuitæ agnouerunt ſe ſubiectos Regi.* Hoc argumentum non degenerat à prioribus; quia nullum hic de ſacerdotibus vel Leuitis verbulum habetur; & per vniuerſos maiores natu Iſraël; commodiſſimè intelligi poſſunt capita & principes duodecim tribuum, inter quas non computabatur tribus Leui; quia non cenſebatur pro diſtincta, cum in diſtributione promiſſæ terræ propriam & ſeparatam partem non acceperit. Deinde, vt maximè ſeniores natu ſacerdotum & Leuitarum con-

iuncti cum aliis Regem à Samuele popoſciſſent; num ideo Regi ſeſe ſubieciſſent? Epiſcopi Poloniæ non tantum cupiunt ſibi dari Regem; ſed & Regem eligunt. Num ideo ſe & bona ſua Regiæ iuriſdictioni *coactiua* ſubdunt? Quoties & fit & factum eſt; vt proceres Clericorum; quibus ius cum reliquis ferendi ſuffragij, hunc vel illum Principem ſibi præfici poſtularint: num ideo poſtulato & impetrato Principi ſeſe ſubiecerunt?

At Iſraëlitæ dicebant; *conſtitue nobis Regem, qui nos iudicet.* Quid tum? Etiam qui Regem vel Principem eligunt; eo fine eligũt, vt Reipublicæ ius dicat; ſaluo tamen vniuſcuiuſq; iure; & Rex Clero, quamuis exempto, ius dicit; quando improbos & immunitatis Eccleſiaſticæ violatores compeſcit; debitiſque ſuppliciis coërcet. Ius Clero dicit; quando Laicis ius ſuum reddit; Nam proſperitas Laicorum eſt etiam cleri felicitas vno in regno cum Laicis degentis.

Aliud argumentum. *Sacerdos non habuit maiorem auctoritatem, quàm illi à Deo conceſſa fuit, ſcripturaq́; diuina expreſſit. Sed ſcriptura non expreſſit aliam, quàm auctoritatem iudicandi cauſſas ſacras, ergo ſolæ illæ cauſſæ ſpectabant ad ſacerdotis officium.* Minor probatur ex lib. 2. Paralip. cap. 19. quem etiam producit Bellarminus lib. 3. de verbo Dei cap. 4. *Omnẽ cauſſam, quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis, inter cognationem, & cognationem, vbicunq; quæſtio eſt, de lege, de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum. Amarias autem ſacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent. Vides hic*, inquit Bellarminus, *quàm clarè Rex diſtinguat officium Pontificis ab officio Regis, & ſoli Pontifici tribuat iudicium de dubiis legis.* Hîc

Hîc aliqua obſeruari iubet F. Capellus. *I. Regem optimè diſtinxiſſe officium Pontificis ab officio Regis; monente id & fatente illuſtriſſimo Bellarmino.*

II. *De officio Pontificis tantummodò eſſe; vt iudicet de quaſtionibus & dubiis; qua ſunt de lege, de præceptis Dei, de cæremoniis, de iuſtificationibus. Ex quo conficitur, alias cauſſas pertinuiſſe ad Regis officium. Quomodo igitur dicere potes de iure diuino ad Pontificē pertinuiſſe iudicium ciuile de perſonis ſacris, cum ſacra ſcriptura dicat oppoſitum; & magnus Eccleſiaſtica libertatis propugnator illuſtriſſimus Bellarminus ſcribat, optima mente officium Regium à Pontificio diſcriminatum fuiſſe.* Nimis citò triumphat iſte Auctor, & nimis intempeſtiuè; præſertim cum ſub tanta verborum pompa ſi rem ad viuum reſeces, nihil inuenturus ſis, niſi has elumbes conſequentias. *Officium Regis diſtinguitur ab officio Pontificis, ergo Leuita ſubiecti fuerunt Regi, non Pontifici.* Item. *Sacerdotum eſt iudicare & pronunciare de rebus ſacris, ergo Collegium ſacerdotum, vel Pontifex non iudicabat de Leuitis eorumq́ bonis & facultatibus.* An non & ipſi Leuitæ ſacerdoteſque res ſacræ erant? An non & perſonæ & facultates dicuntur Deo conſecratæ & verè etiā ſunt res ſacræ? An neſciunt iſti diſcrimen inter perſonas ſacras & profanas ſeu Laicas? Item inter bona ſacra & profana? Cum igitur Auctor fateatur ſacerdotes cognouiſſe & iudicaſſe de rebus ſacris, oportet: vt etiam fateatur eos iudicaſſe de Leuitis, quia ipſi in rebus ſacris numerabātur. Nam vt ex lib. Numerorum cap. 3. patet; Deus non ſemel, ſed ſæpius repetit, Leuitas propriè ſuos eſſe, atque eos ſibi ex omni populo delegiſſe, Et, in eodem loco dono dari iubet omnes Leuitas Aaroni, & filiis ſuis, & ſucceſſoribus eius. Quos enim ſibi ipſe delegit, ad miniſterium templi, rerumque ſacrarum, ſoli Pontifici, qui lo-

cum Dei repræſentabat in terris, ſubiectos eſſe voluit, ac per hoc à iuriſdictione terrenorum Principum liberauit. Et hæc rectè notauit Illuſtriſs. Card. Bellarminus.

Bell. lib. de Clericis cap. 28. Deinde exigui ponderis eſt hæc collectio. *Sacerdotes iubentur cognoſcere, iudicare & pronunciare de lege, de mãdato, de ceremoniis, de iuſtificationibus; ergo non de Leuitis, eorumqúe bonis ac facultatibus*: quia controuerſiæ, quæ Leuitis vel quoad perſonas, vel quoad facultates ſuas cũ aliis intercedere poterant, legem, mandata & iuſtificationes concernebant: & ex lege & conformiter legi definiendæ erant: ergo qui de his controuerſiis iudicabant, de lege & mandato iudicabant;

Nihil ergo contra ſtatutum Regis Ioſaphat admittitur, licet Leuitas non à magiſtratu politico; ſed ab Eccleſiaſtico iudicatos fuiſſe aſſeramus; quia iſtud lex volebat; hoc ipſo; quod Leuitas peculiariter Deo conſecratos, & Aaroni filiiſque eius à Deo donatos aſſerit: vt taceam legem ipſam velle vt ſacra non niſi à ſacris tractētur; Quis verò neget Leuitas fuiſſe perſonas ſacras; & eorum bona; ſacra? Hinc ſi quis Leuitas ad politicum tribunal rapere voluiſſet, controuerſia de lege & mandato fuiſſet; & Iudices Eccleſiaſtici hanc definire debuiſſent; & definiendo, quæſtionem de lege definiuiſſent.

Quàm autem à vero abit illud: *In toto teſtamento vetere non reperiri vllum locum, vbi Deus Pontifici aliam poteſtatem, quàm ſolas res ſacras iudicandi tribuerit*: & per *res ſacras* intelligit Auctor, tantùm res ad fidem & doctrinam pertinentes; nam inprimis Ioſephus, cuius ſuprà mentio facta, diſertè ſcribit: *ſacerdotes fuiſſe inſpectores rerum omnium; & iudices controuerſiarum*, (nec dicit tantùm; ſacrarum: ſed indefinitè, *controuerſiarum*) eoſdemq; ait à damnatis pœnas ſumpſiſſe; per ſententiam ſcilicet iudiciariam. Dein-

am. Deinde erat ne lepra res ſacra; ea notione, qua ſumitur res ſacra à F. Capello? Et tamen pertinebat ad iudicium ſacerdotum. Eratne res ſacra inueſtigare & indagare mendacium teſtis falſi? Et tamen hoc à ſacerdotibus fiebat Deut. 19. Accedit clariſſimus ille locus Deut. 17. *Si difficile & ambiguum, &c.* ex quo apparet, ad ſacerdotes Leuitici generis ſimpliciter omnes controuerſias, etiam ciuiles, pertinuiſſe; quę ab inferioribus iudicibus propter obſcuritatem & difficultatem terminari non poterant. Ait enim lex: *Inter lepram & lepram; inter cauſſam & cauſſam; inter ſanguinem & ſanguinem, &c.* quibus loquendi modis omnia conrouerſiarum genera comprehendit;

Adde Ioſephum hoc ipſum dilucidè teſtificantem; vbi de ſacerdotibus & ſummo Pontifice agens ſic ſcribit. *Ioſeph. lib. 2. contra Apionem.* ἡγεῖται δὲ τούτων ὁ πρῶτος ἀεὶ κατὰ γένος. οὗτος μὲν πρὸ τῶν ἄλλων ἱερέων θύσει τῷ Θεῷ, φυλάξει τοὺς νόμους, δικάσει περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων. κολάσει τοὺς ἐλεγχθέντας ἐπ᾽ ἀδίκῳ· ὁ δέ γε τούτῳ μὴ πειθόμενος, ὑφέξει δίκην ὡς εἰς τὸν Θεὸν αὐτὸν ἀσεβῶν. *Hic praeſt ſemper primus genere; Hic ante alios Deo ſacrificat, leges cuſtodit; de controuerſiis cognoſcit & iudicat; & iniuſtitia compertos, punit. Et qui huic non gerit morem; non aliter pœnas luit, quam ſi in ipſum Deum aliquid impietatis admiſiſſet.*

Vbi conſiderandum primò. ſumum ſacerdotem præfuiſſe aliis: erant igitur ei etiam ſubiecti, quoad perſonas ſuas. II, controuerſias cognouiſſe & iudicaſſe: nec dicit tantùm; ſpiritales; ſed indeterminatè; controuerſias; ſub quibus etiã ciuiles cõprehenduntur, Et ex Deuternomio ſatis liquet; ciuiles itidẽ ad Collegiũ ſacerdotũ pertinuiſſe. Tertiò, Pontificem habuiſſe poteſtatem irrogandi pœnas; non modo ſpiritales; ſed & *corporales.* Quomodo igitur ſubſiſtit; quod hic aſſeritur; nullum exemplum produci poſſe; quo probetur Pontifici veteris teſtamenti

Q 3 aliam

ailam poteſtatem datum; *quàm iudicandi res merè ſpiritales*; hoc eſt, ad fidem & doctrinam ſolummodo pertinentes? Imò ex loco illo Deut. 17. planum teſtatumq́; relinquitur, à quocunq; iudicio, in quacunq; cauſſa, appellationem ad Concilium ſacerdotum Hieroſolymitanum fuiſſe conceſſam.

Nec prætereunda ſunt illa Ioſephi conſideratione digniſſima verba: cum dicit; legem Moſaicam rerum maximarum adminiſtrationem ſacerdotibus in communi permiſiſſe, ſummoq́; Pontifici τὴν τῶν ἄλλων πάντων ἱερέων ἡγεμονίαν, *omnium aliorum ſacerdotum præfecturam demandaſſe*: & nomine τῶν ἱερέων intelligit Ioſephus totum Eccleſiæ illius clerum. Si ergo ſummus Pontifex ducatum & Principatum habebat in omnes illos clericos; ſi eos mulctare & morte inſuper afficere poterat; erāt igitur ei ſubiecti, etiam quoad corpora & bona ſua.

Ad extremum addo; Ioſaphat Regē aliud non feciſſe; q̄ inſtauraſſe concilium, ꝙ Moyſes Deut. 17. inſtituendum præceperat, vel inſtitutum iri prædixerat: & eo modo; quo id antea in Iſraël vſitatū fuerat; Itaq; ſicuti antea oēs controuerſiæ quæ apud inferiora tribunalia finiri nō poterant; deferebantur ad illud conciliū; ita etiam poſt ſanctionem illā Regis Ioſaphat fiebat; omneſq́; vel ex lege, vel ſaltem conformiter legi decidebantur; & in qualibet tandem cauſſa exſiſtere poterat quęſtio de *lege*; quid ſcilicet lex in tali caſu faciendum mandarit: & de *mandato*; quid Deus faciendum præceperit: cum Iudæi aliud ius nō habuerint, quo lites finirent; quā ius diuinum. Itaq; etiā in merè ciuilibus litibus tādem huc deueniendum erat.

CONSIDERATIO PRIMA.

Expenditur argumentum de Abiathar ſummo ſacerdote.

Auctor

AVCTOR octo propoſitionũ. F. Capellus & alij hoc argumentum, tanquam valde firmũ, valde vrgent & magni pendunt. *Rex Salomon 3. Reg. 2. priuauit Abiathar ſacerdotem ſummo Pontificatu, & quidem propter cauſſam ciuilem; fauerat enim partibus Adoniæ contra Salomonem: ergo Abiathar Regi Salomoni ſubditus fuit. Si Abiathar, cur non & cæteri ſacerdotes?* Hoc eodem argumẽto conatus eſt Huſſus Clerum politico magiſtratui ſubdere, & perſuadere; vt ſi quis clericus aliquid commiſiſſet, ſæcularis poteſtas in bona ipſius è veſtigio inuolaret. Audi Huſſum: *Rex Salomon ſapientiſſimus, ſecundum ſapientiam à Deo ſibi datam, exercuit ſuam iuriſdictionem in præfatum ſacerdotẽ, deponendo eum de ſacerdotio, & imponendo loco ſui Sadoc ſacerdotem. Hoc autem fuit maius, quàm auferre temporalia. Si ergò in lege Chriſti iam currente, Epiſcopus ſimiliter contra hæredem regni excederet, volẽs alium in regem præficere, cur non haberet rex, vel hæres, poteſtatem auferendi temporalia ab ipſo taliter delinquente?* *Huſſ. lib. de bonis temp. à Clericis auferendis.*

Alibi cum Catholicus dixiſſet; etiam veteris teſtamẽti ſacerdotes, quantumuis ſceleratos, non fuiſſe per ſæcularem magiſtratum punitos; occurrit idem Huſſus his verbis. *Verè iſte aduerſarius aſſumit vniuerſalem negatiuã, ad quam probandã requiritur, vt totum in memoria retineret & reuolueret Teſtamentum, ſed quia non reuoluit, ideo datur ſibi inſtantia. 1. de Matham ſacerdote, quem propter idololatriam interfecit populus ante aras Baal. 2. Par. 23. & 4. & 11. Item, Salomon rex à Deo conſtitutus & ſapientiſſimus depoſuit ſummum Pontificem à ſacerdotio, & expulit eum ad agros proprios, vt patet 3. Reg. 2. de Abiatar depoſito, et Sadoc ſummo ſacerdote, quem poſuit loco ſui.* Hæc Huſſus. cuius armis nunc Theologi Veneti Eccleſiaſticam immunitatem oppugnant. *Huſſ. li. contra occult. aduerſ.*

Sed quod ad Mathan attinet; non magis mirum eſt, cum à populo occiſum; quàm ſi hodie aliquis Lutheranus vel

nus vel Caluinianus Prædicās occideretur à populo; quia *Baaliticus*, hoc eſt, *idololatricus ſacrificulus* fuit; cui nullo iure debetur à poteſtate ſeculari exemptio.

Bellarm. lib 1. de Pontif. Rom. cap. 29 & in lib. contra octo Propoſit. Ad argumentum de Abiathar reſpondet Card. Bellarminus Salomonē eieciſſe Abiathar ſacerdotem; non vt Rex erat; ſed vt Propheta, & diuinę iuſtitię executor. Hinc 3. Reg. 2. legi; Salomon amouiſſe Abiathar, *vt impleretur ſermo Domini, &c.* Oggerit F. Capellus; *Reſponſionem hanc eſſe contrariā textui; textū enim clarè dicere; Abiathar expulſum fuiſſe; quòd Adoniæ adhæſiſſet.* Quis hoc negat? Cauſſa cur fuerit proſcriptus, etiā cœco liquet, nedū oculatiſſimo Bellarmino. Nō de cauſſa, ſed de amotione quæritur: quo ſcilicet titulo & nomine; poſita illa cauſſa & noxa; Salomon expulerit ſacerdotē Abiathar, aitq; Bellarminus; id ab eo factū, non iure regio; ſed prophetico; accepta extraordinaria à Deo huiuſ faciēdi poteſtate. Obiicit F. Capellus; Non eſt bona conſequētia. *Prædictum fuit fore, vt domus Heli Pontificatum amitteret: ergo Salomon depoſuit Abiathar, tanquam Propheta.* At hæc non eſt Bellarmini argumentatio; nec ex Bellarmini dictis confici poteſt; ſed hæc potius conficienda foret; ſi quis candidè inſtitueret agere. *Salomon depoſuit Abiathar ſacerdotē; ergo non fecit hoc vt Rex; ſed vt Propheta; & extraordinarius iuſtitiæ diuinæ executor;* (nō. n. potuit illum eiicere, vt Rex; cum ei nō fuerit ſubiectus.) *vt hac occaſione impleretur ſermo Domini, quē locutus eſt ſuper domum Heli in Silo;* Itaque Bellarminus non aſſumit illud; *vt impleretur ſermo Domini, &c.* tanquam pro indicio & argumento, ex quo colligi poſſit, quod Salomon, vt Propheta, hoc fecerit; ſed adfert illa verba, vt oſtendat; à Salomon eiectum Abiathar, tanquam à diuinæ voluntatis executore: prædixerat enim dominus fore vt à Domo Heli Pontificatus transferretur. Non ergo feriūt Bellarminum abſurda,

quæ

quæ poſtea ſubiicit F. Capellus: vt non valere hanc conſequentiam: *Crucifixio Chriſti prædicta fuit; ergo, qui eum crucifixerunt, fecerunt hoc vt Propheta.* Hæc collectio tangeret Bellarminum; ſi prior Bellarmini eſſet: at cū prior ad aliam officinam ſpectet; mirandum non eſt; ſi & poſterior ad eandem ablegetur.

Forſitan dicet quis: neque hanc conſequentiam valere. *Prædictum eſt hoc vel illud fore: ergo, qui id fecit, fecit hoc vt executor diuinæ voluntatis*; nam & proditio Iudæ, & ipſa crucifixio Chriſti prædicta fuit: nec tamen ideo vel Iudas vel crucifixores Chriſti, fuêre diuinæ voluntatis executores. Reſpondeo, ex materia ſubiecta æſtimandum eſſe; quando tales conſequentiæ valeant. Nonnulla enim prædicuntur quæ vel in ſe ſunt mala culpæ; ſeu peccata; vel cum peccato inſeparabiliter ex parte obiecti connexa: Quædam eiuſmodi ſunt; vt in diuinam voluntatem cadere queant: in quo genere collocãtur mala pœnæ; vt exilium; amiſſio omnium fortunarū, mors, & id genus alia. Qui illa prioris generis exequuntur; minimè ſunt diuinæ voluntatis executores; at qui prædictiones poſterioris generis complent; rectè diuinæ voluntatis executores dici poſſunt. Et huius claſſis fuit etiam illud; quod in Abiathar Sacerdote iam olim prædictum; poſtea Salomon executus eſt. Quare valida eſt hęc conſequentia. *Prædictum fuit, domum Heli Summo Pontificatu priuatum iri; ergo Salomon, quando Abiathar, vltimum huius ſtirpis Pontificem exturbauit, diuinæ voluntatis executor fuit; præſertim cum ſcriptura expreſſè dicat, id factum, vt impleretur ſermo Domini,* &c.

Multa hic verba F. Capellus; vt doceat, quod nemo, præter indoctos, neſcit, quomodo hæc & ſimiles locutiones accipiendæ ſint: *Hoc factum eſt; vt impleretur,* &c.

& Bellarmino affingit; quæ ne per ſomnium quidem doctiſſimus Cardinalis cogitauit. Quis enim neſcit, prędicta non euenire, quia prædicta ſunt in ſenſu diuiſo; ſed prædici; quia euentura erant; vt inter alios elegātiſſimè explicat S. Athanaſius in Serm. de paſſione Domini. Itaque nullam neceſſitatem prædictiones rebus adferunt; nihilque libertati & contingentiæ officiunt: & quæcũq; ex prædictione neceſſariò eueniunt, ea tantum in ſenſu compoſito neceſſariò eueniunt; neque enim vlla prædictio independenter ab obiectis prædictis fieri ſolet. Ex quo euaneſcunt nebulæ, quibus & veritas & ſententia Bellarmini inuoluitur. quaſi velit; ideo tantum Abiathar à Salomone eiectum; vt *impleretur ſermo Domini*. Quis ſanæ mentis hoc affirmet? ſed eiectus eſt principaliter vt commiſſum ſcelus puniretur; deinde; vt etiam prophetia facta de Pontificatu à domo Heli penitus auferendo impleretur; quæ prædictio præceſſit non independenter à futuro crimine; ſed dependēter; quia enim viderat Deus fore; vt Abiathar tali facinore ſeſe liberè obſtringeret; ideo prædixit; quod ille liberè facturus erat; & poſtea cum per Salomonem Pontificia dignitas à familia Heli ablata eſt; id ea itidem de cauſſa factũ eſt, *vt impleretur ſermo Domini*.

Ex eo, quod Bellarminus in libro *contra octo propoſitiones* dicit; à Salomone, vt à miniſtro Dei eiectum eſſe Abiathar; hoc Sophiſma exſtruit F. Capellus. *Fecit hoc, vt miniſter Dei; ergo vt Princeps temporalis*. Probatur conſequentia: *Quia S. Paulus definit principem ciuilē, miniſtrũ Dei, & vindicem in iram ei, qui malum agit*. Hæc æquiuocatiuncula homine docto indigna eſt. Quis enim ignorat, etiam Eccleſiaſticum Principem eſſe *miniſtrum Dei*? Si ergo dicamus: Pontifex Romanus fecit hoc vt mini-

ſter:

ſter Dei; & tu inferas; ergo vt Princeps politicus; an nō perquam ridiculus cauillator eris? Similis prorſus eſt prædicta cauillatiuncula; cum & extraordinarius executor voluntatis diuinę verè appellari poſſit miniſter Dei: quæ extraordinaria executio Salomoni non vt Regi, ſed vt Prophetæ in caſu nominato demādata fuit.

Profert deinceps Frater Capellus alia exempla, quibus probare contendit, ſacerdotes ſubiectos fuiſſe poteſtati ſæculari. Primum eſt Hieremiæ; *quem, licet ſacerdos eſſet, ipſi Sacerdotes & Propheta & omnis populus apprehenſum, adduxerunt ad politicum magiſtratum; ibiquè accuſarunt.* Mirum eſt, iſtos non aduertere, aliud eſſe quod fit de facto; & aliud, quod de iure. Aliud, quod deliberatè & circumſpectè; aliud quod per tumultum & ſeditionem. Si quis nunc Hieremiæ ſimilis Venetias veniret, & id quod res eſt, de Interdicto S.D.N. PAVLI Quinti, annunciaret; à Fratre Paulo; ab vtroque Fratre Fulgentio, Marſilio, Plebano Mauriciano, & ſimilibus raperetur, opinor, non ad Eccleſiaſticum, ſed ad politicū tribunal: Num propterea meritò inde colligeres; *Sacerdotes ciuili Magiſtratui ſubiectos eſſe?* cap. 13. Hier cap. 26.

Simile exemplum eſt, quod adfert ex cap. 37. Hieremiæ; vbi Hieremias contra ius & fas, tanquam explorator & proditor, captus & in vincula coniectus eſt. Quæ hæc contra Eccleſiaſticam libertatem argumentandi ratio; à factis iniquis, iniuſtis; & omni iure deſtitutis? Perinde ac ſi quis poſt aliquot annos argumentaretur ab exemplo Venetorum: *Veneti ſacerdotes ſuos in carcerem compegerunt; ergo id iure factum eſt.*

Eiuſdem farinæ eſt, quod adducitur ex cap. 38. Hier. vbi rurſus Rex & miniſtri regij arbitratu ſuo, Hieremiam in carcerem detruſerunt, & abſoluerūt. Rurſus non

diſtinguitur vis & violentia à iure. Si hanc Dialecticam ſequi velimus: nihil negotij erit dicere: *Angli non tantum Catholicos ſacerdotes capiunt, vinculisq́; conſtringunt, ſed & immaniſsimis tormentis excruciatos trucidant; ergo Catholici ſacerdotes ſubiecti ſunt politico magiſtratui.* Pulchra profectò argumentatio. A qua non abludit illa ex cap. 21. Ioſue, vbi Leuitæ Eleazarum Summum Pontificem & Ioſue filium Nun adeunt, poſcuntque ſibi dari *vrbes ad habitandum, & ſuburbana earum ad alenda iumenta.* Inde Metaphyſicus noſter hanc ſubtiliſſimam conſequentiam ducit. *Leuitæ non tantum adierunt Eleazarum, vt ius ſibi debitum impetrarent: ſed & Ioſue Principem politicum: ergo ſubiecti erant Principi politico.* Perinde ac ſi diceret: Religioſi & Clerici ſæpe adeunt Imperatorem, Reges, Principes, & politicos Magiſtratus, vt ius ſuum obtineant; ergo agnoſcunt ſe ſubditos ſæcularis poteſtatis. Bone Deus; quò his argumentandi formis non deueniemus? Quid non conficiemus; vel quid non euertemus potius? Quis eſt, quem non neceſſitas aliquãdo ad alienũ tribunal trahat? Num ideo priuilegio ſuo, quo totus ordo gaudet, renunciat? Num ideò legitimè concludemus; Religioſos & Clericos politico magiſtratui ſubiectos eſſe?

Iam quod Ioſaphat ſanctionem de iudicibus per ſingulas ciuitates conſtituendis, deq́; magno Cõcilio Hieroſolymitano reparando, inſtaurauit; id non indicat, Sacerdotes & Leuitas Regi fuiſſe ſubditos; ſed Regem id feciſſe; quod pietas efflagitabat: nemo enim abnuit Principes eſſe religionis tutores & nutricios. Hinc ſi quis Lutheranus aut Caluinianus Princeps, ad Catholicam fidem conuerſus ſua in ditione ritus & ceremonias catholicas, & conſiſtoria, ſeu tribunalia decidendis Eccleſia-

cleſiaſticis & Eccleſiaſticorum controuerſiis publico e-dicto inſtauraret; num ideo rectè concluderes, in eius iuriſdictione ac poteſtate ſacerdotes eſſe?

Sequitur aliud argumentum. *Leuitæ militabant: ergo ſubiecti erant poteſtati laicæ*, conſequentiæ nihil deeſt, niſi probatio. Necdum ſatis.

Banaias, 1. Paralip. 27. filius Ioiadæ, ſacerdos, præerat militum viginti quatuor millibus, ergo ipſe Politico magiſtratui ſubiectus erat. Si quis hodie ſacerdos vel Epiſcopus exercitum ductaret: num idcirco Imperatori ſupremo ſubderetur quoad coactionem? ſubderetur, quoad directionẽ. fateor. Sed num directio eſt coactio? Acuta iſthæc ſunt & ex intimis Metaphyſicæ penetralibus deprompta; vt & argumentũ ad *hominem*; ſic appellat Auctor; hoc eſt, ad Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminũ: quo eum, veluti cornuto quodam dilemmate, conſtrictum exiſtimat. Quod ſi propius intuearis, vix riſum cõtinebis. Ait. *Exempla quæ Bellarminus ex veteri & nouo teſtamento adducit, contendere, exemptionem Clericorum eſſe iuris diuini: at exempla veteris teſtamenti euidenter conuincere laicos fuiſſe ſuperiores Leuitis in temporalibus: & ex doctrina Bellarmini, clericos nunc in Eccleſia Chriſtiana eundem locum tenere; quem olim Leuitæ in Synagoga. ergo ſicut Leuitæ diuino iure ſubdebantur in temporalibus poteſtati ſæculari; ita & clericos noſtros ſubiici.* Nil dicam de informi veſtę huius argumenti: Non dicam; in minore, ſi quæ tamen minor eſt; expreſſam petitionem principij ineſſe; & id pro conceſſo ſumi; quod *directè* à Bellarmino negatur; & cuius contrarium in tota diſputatione de Eccleſiaſtica immunitate probare totis viribus inſtitit; quî quæſo fieri potuit, vt vir eruditus; tantæ auctoritatis, & celebritatis ſcriptori Bellarmino, tam leuiter & pueriliter inſul-

taret, quaſi argumentum hoc, in quo nulla penitus connexio: inſolubile prorſus eſſet. Negamus vllum exemplum ex veteri teſtamento produci poſſe: quod euincat, Leuitas laicis fuiſſe ſubiectos.

CONSIDERATIO QVARTA.

Circa illud teſtimonium S. Pauli Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et aliud ſimile 1. Petr. 2. *Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum.*

PATRONI cauſſæ Venetæ enixè admodum hæc duo teſtimonia vrgent; quaſi in iis totius negotij cardo vertatur. Fecit hoc conſimili ſtudio ante iſtos, Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis acerrimus hoſtis Marſilius de Padua; cùmque ſecutus peſtilentiſſimus Huſſus. Ille ita ſcribit in ſuo *Defenſore pacis: præcepit ſanctus Apoſtolus omnes indifferenter, neminem excipiendo, Epiſcopum, vel ſacerdotem, aut Diaconum, ſubeſſe debere in iudicio coactiuo, iudicibus, ſeu Principibus ſecularibus, nec illis reſiſtendum, niſi quidquam contra legem ſalutis æternæ faciendum præciperent. Vnde ad Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit,* &c. *Dixit ergo Apoſtolus: Omnis anima*, &c. *nullam excipiendo.* Infra idem Marſilius. *Hæc quoque fuit conformiter ſententia; & doctrina B. Petri Apoſtoli prima canonica ſua, cap. 2. cum dixit; ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, conſtituta videlicet in principatu: de quibus eum intellexiſſe apparet per exempla, quæ immediatè ſubintulit, dum dixit; ſiue regi, quaſi præcellenti, ſiue ducibus, tanquam ab eo miſſis*, &c. Hæc damnatus Marſilius.

Marſil p. 2. cap. 5 Huſſ. lib. contra occultum aduerſ. & lib. de ablatione bonorum temporalium à clericis.

Reſpondet Card. Bellarminus, Apoſtolos Petrum & Paulum, nil aliud velle; quàm vnumquemq; ſuo ſuperiori

periori & magiſtratui morem gerere debere; ſiue is ſit ſuperior politicus, ſiue Eccleſiaſticus: de regibus ſubdi exempla, eam ob cauſſam, quòd eo tempore Chriſtiani accuſarentur ſeditionis & rebellionis; vt igitur hanc calumniam Apoſtoli refellerent, tam ſedulo Chriſtianis obedientiæ præceptum inculcaſſe.

Bell. lib. 2. de Pontif. cap. 29. & lib. de clericis cap. 30. & in lib. contra octo propoſit.

F. Capellus fuſiſſimè cōtra hanc Bellarmini doctrinam diſputat: & ſtrenuè cum damnato auctore Marſilio de Padua contendit: ſub particulis illis: *omnis anima*: cōtineri etiam clericos, & ſub illis: *poteſtatibus ſublimioribus* ſolum magiſtratum ſeu Principem politicū. Et quidem quod attinet ad id, quod volunt ſub verbis illis: *omnis anima*; comprehendi etiam clericos; non admodū reclamaremus; dummodo cætera ad ſolam & vnicam ciuilē poteſtatem non reſtringerent: quia reuera etiam clerici debēt eſſe ſubiecti poteſtatibus ſublimioribus; ſed ſuis; & ſtatui ſuo conuenientibus, hoc eſt, Eccleſiaſticis. Sed iſti cum ſuo Marſilio tendunt aliò: idcirco occurrendū eſt: Et F. quidem Capellus multum chartæ & operæ in Marſiliana opinione adſtruenda conſumpſit.

A cap. 35. per multa ſeqq.

Profert I. *Concilium Epheſinum in ſupplice libello à clero Conſtantinop. Imperatorib. oblato.* vbi hæc: *profeſſionis noſtræ ſcopus, piiſſimi Imperatores, inter alias leges, omnibus quoque principibus obediendum eſſe cauet; dummodo tamen huiuſmodi obedientia ſaluti detrimentum nō adferat. ergo Synodus Epheſina agnouit clericos quoad perſonas & facultates ſuas Imperatoribus eſſe ſubiectos, æquè ac alios.* Num hæc conſequentia ſit conſequens an inconſequens; lector arbitretur. Ego hoc clarè mihi videre videor, iſtos; ſi ita argumentari pergant; poſſe etiam clericos ſubiicere principibus quoad ſpiritualia, ſi de ſpiritualibus leges præſcribere incipiant; quarum obſeruatio, nullum animæ detrimentum adferat. Sed ad inſtitutum:

prin-

principibus obedientia præſtanda eſt ab omnibus; qui ſcil. principibus ſubiecti ſunt; & hunc ſcopum cũ vniuerſa religio Chriſtiana præfixum habeat; cum tamen præcipuè ſpectat profeſſio clericalis & Eccleſiaſtica; cuius eſt inducere homines, vt magiſtratui debitam obedientiam integrè prçſtent. Deinde principibus, etiã clerici obedire debent, cum eorum leges non ſunt contrariæ ſacris Canonibus; & cum de rebus iiſdem nulla extat Canonica diſpoſitio; ſed obedire debent; quoad directionem tantum; non quoad coactionem; vt rectè Bellarminus docet: Huc tendit quoque profeſſionis Eccleſiaſticæ ſcopus & intentio.

Bell. lib. de cler. cap. 28. propoſ. 2. & cap. 30.

Item clerici obedire debent legibus Principũ, quas ferunt, annuente & conſentiente Eccleſiaſtico magiſtratu: qualis ſaltem, *ſpecie externa*, vel erat, vel futura erat, Imperatorum; qua confirmaturi timebantur damnationis ſententiam, à nefariis quibuſdam Epiſcopis in S. Cyrillum & Memnonem; catholicæ fidei inuictos propugnatores, latam: Hanc enim legem confirmatoriam vel tulerunt, vel laturi exiſtimabantur, auctoritate & rogatu eorum Epiſcoporum, qui Cyrillum & Memnonem condemnauerant; cui ſe morem non geſturos palam teſtãtur clerici Conſtantinopolitani, vtpote iniquæ; obtemperaturos alioqui, ſi cum æquitate conſentiret: non præciſè, quia ab Imperatoribus lata eſſet; ſed quia lata auctoritate & conſenſu magiſtratus Eccleſiaſtici; Et hic etiam profeſſioni clericali & Eccleſiaſticæ ſcopus præfixus eſt.

Denique profeſſionis clericalis & Eccleſiaſticæ eſt obedire Principibus, vbi nullum animæ detrimentum impendet; at vt Principes ſibi ſubdant clerum, quoad bona & perſonas ſuas, id ſine animæ diſpendio fieri nequit:

quit; nam & principes peccant; qui hæc tentant; peccatque clerus; tanquam Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis à Deo ſibi conceſſæ proditor.

Ex quibus euaneſcunt gloſſæ verbis prædictis à F. Capello adiunctę, qui addit: eiuſdem Synodi Patres pręcipere, vt *Auguſti præcepto pro viribus obediatur.* Nimirum vſque ad aras, quatenus ius & fas ſinunt; ſalua Eccleſiaſtica libertate & immunitate. *Syn. Eph. p. 4 cap. 19.*

Concilium Pariſienſe ſub Ludouico & Lothario etiam opē ferre cogitur F. Capello, verè cogitur: quia obtorto collo reluctans abducitur. Dicit. *Regis eſſe punire crimina: Et omnes ſcire debere, nil fore incorrectum & inultum, ergo & clerici caſtigabuntur à Rege, ſi quid noxa contraxerint.* Hæc conſequentia non eſt concilij, ſed Capelli. Nam omnes, qui ad iuriſdictionem regis pertinent, ſcire debent, ſe à Rege punitum iri, ſi culpam caſtigabilem admittant: At clerici non pertinent ad Regis Iuriſdictionem. Nihil igitur ad illos hæc Synodi exhortatio. Deinde Concilium non dicit; *omnes punitum iri à Rege:* Sed indefinitè; omnes punitum iri; ſed quemlibet à ſuo magiſtratu; ſæculares à ſuo; Eccleſiaſticos à ſuo. Si quis Princeps ſua in prouincia edicat; omnes daturos pœnã, qui hoc vel illud committant; per illud; omnes: non intelligit ſimpliciter *omnes*; ſed ſuæ Iuriſdictioni ſubiectos: vel ſi omnes ſimpliciter intelligat: ſubintelligitur; quemlibet à ſuo magiſtratu, & in foro competente punitum iri.

Teſtimonium Iſidori ab eodem Concilio allatum, nil aliud vult, quàm ciuilem magiſtratum compeſcere debere eos, qui Eccleſiæ aduerſantur; quod præſtare poteſt directè comprimendo & coërcendo illos, hoc eſt, laicos; qui ſuæ poteſtati abſolutè & directè ſubduntur:

Secundò, clericos; ſi Eccleſiaſticus magiſtratus brachiū ſeculare contra clericos imploret: eique rebelles ſubditos, debitis ſuppliciis perſequendos & afficiendos tradat: quod fieri poſſe in confeſſo eſt.

Quæcunque poſtea F.Capellus ex capite 8. eiuſdem Concilij adfert; nil aliud probant, quàm ſubditos debere principibus perfectè morem gerere: quod nemo abnuit: ſed ſemper quæritur: *Num clerici ſint ſubditi?* Hoc ſi prius probaretur: tum teſtimonia iſta non aërem, ſed ſententiam noſtram verberarent. Clerici etiam principibus obedire tenentur; qua licet; ſalua immunitate Eccleſiaſtica; &, vt ſupra dicebam, *vſque ad aras. Amicus Rex*; ſed *amicior Deus*: Amica obedientia principi præſtanda. Sed amicior obedientia præſtanda Deo.

15 F.Capellus verba illa Concilij: *Neceſſe eſt vt vnuſquiſque fidelis*, &c. *tantæ poteſtati*, &c. *opem congruam ferat*, &c. maiuſculis imprimenda curauit; Et hoc Epiphonemate exornauit. Ecco, chi il Concilio dichiara, chi ſiano i ſoggetti del Re, cioè, *vnuſquiſque fidelis*, adunque i chierici, &c. che coſa più chiara ſi può *deſiderare? Ecce Concilium declarat vnumquemque fidelem ſubiectum eſſe Regi; ergo & clerici ſubiecti ſunt.* Quid clarius deſiderare potes? At Concilium non dicit; *omnes fideles Regi ſubiectos eſſe*; ſed, vnumquemque fidelem; commodum, incolumitatem & proſperitatem Regis procurare debere: quod & nos fatemur. Omnes ad hoc obligantur; ſaluo tamen vniuſcuiuſque priuilegio. Et vt maximè Concilium dixiſſet; *omnes fideles Regi eſſe ſubiectos*; non aliud inde ſequeretur; quàm quemlibet eſſe ſubiectum pro ſtatu & conditione ſua; ſalua cuiuslibet prærogatiua. Laicos, quoad directionem & coactionem: Clericos, quoad directionem tantùm in iis, vbi lex Canonica deeſt, neque lex politica Canonib. & immunitati Eccleſię repugnat.

Pari

Pari facilitate reſpõdetur ad Concilium Aquiſgranenſe ſub Ludouico Pio: quod præcipit; ne quis Epiſcopus vel clericus Imperatori amplius reſiſtat; néue ad eius aduerſarios deficiat. Quid infers? Ergo clerici quoad coactionem ſubiecti ſunt Regi in temporalibus, etiam quoad coactionem. Negatur conſequentia. Tantũ hinc efficitur, ſubditos eſſe quoad directionẽ; quatenus obſeruare debent leges iuſtè ab illo latas nõ contrarias Canonib. neq; Eccleſiaſticæ immunitati aduerſas; Et quatenus etiam lege diuina & naturali obligantur; vt bonũ & commodum Regis ſeu Principis ſui pro viribus promorum & adauctum eant: neq; quidquã contra incolumitatẽ eius: pacemq; regni machinentur Et ad hoc etiã iuramẽto fidelitatis obſtringi poſſunt. Et in his ſunt pares cæteris Reip. mẽbris. Sed cũ hac paritate ingens cõſiſtit imparitas; vt iam ſæpè dictũ: Nã alij à Rege cogi & puniri poſſunt. Iſti cogi & puniri poſsũt; ſed à magiſtratu ſuo; hoc eſt; Eccleſiaſtico, vt & à ciuili: ſed permiſſu Eccl.

Concilium Meldenſe c.14. *anathema dicit hiis, qui poteſtati regiæ contumaciter reſiſtunt.* Et nos idem anathema dicimus omnibus illis; qui magiſtratui ciuili pertinaciter obſiſtunt in iis, quæ, ſaluo iure ſtatus Eccleſiaſtici, ſeruari & præſtari poſſunt. Quod Synodus dicit; *Poteſtatem regiã eſſe à Deo*; hac gloſſa illuſtrat F. Capellus. Noti bene l' illuſtriſſ Bellarm. che vuole che ſia ab Electorib. *Notet hoc bene Illuſtriſſ. Bellarminus, qui contendit hanc poteſtatem eſſe ab Electoribus.* ſuperflua eſt hæc ſeu notatio ſeu admonitio; neq;.n. vnquã negauit Bellar. *poteſtatem regiam eſſe à Deo*; remotè ſcil. & mediatè: tãtum inficiatur; immediatè & proximè à Deo proficiſci; ſic enim ab Electoribus eam eſſe; viderent iſti; niſi nimio Eccleſiaſticæ poteſtatis odio oculos clauderent.

Concilium Triburienſe declarat *Arnolphum datum*

regem tam clericis, quàm laicis. Quem ferit hoc? Quando nouus Rex præficitur Poloniæ; aut nouus Imperator Germaniæ; aut nouus Princeps noſtræ Bauariæ; tum datur Rex & clericis & laicis; ſaluis tamen ſingulorum iuribus & prærogatiuis.

cap. 17.

Tantundem virium aduerſus veritatem habent teſtimonia Patrum, quæ F. Capellus obiicit. In prima acie collocatur S. Ioannes Damaſcenus. Quid ille? *Iubet omnibus debita reddi; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal; cui honorem, honorem.* Et nos non aliud volumus. Nam clerici Principibus debent honorem, timorem, obſeruantiam, reuerentiam, preces, & ſimilia. Hæc debita, vt ſoluant, maximópere illis elaborandum eſt. Addit Damaſcenus; *ciuilem administrationem eſſe Regum; Eccleſiaſticam paſtorum atq; Doctorum.* Et nos fatemur, ciuilium perſonarum ciuilia negotia pertinere ad ciuilem magiſtratum; negamus autem eo pertinere negotia perſonarũ Eccleſiaſticarũ, quæ vel circa ipſas perſonas, vel bona perſonarũ Eccleſiaſticarũ, verſantur; quia talia ratione ſubiecti rationẽ rei ſacræ induunt. Idem Damaſc. *Paremus tibi ô Rex, in iis, quæ ad vitæ ciuilis negotia pertinẽt, vt in tributis, vectigalibus, congiariisq; ſoluẽdis, quorum tibi, quantum ad nos ſpectat, munus eſt creditum,* &c. Et nos docemus, in his obſecundandum Regi, ſaluo vniuſcuiuſq; ſtatu, ſtatuſq; priuilegiis illæſis.

Damaſc. orat. 2. de imagin.

Nec aliud vult Nazianzenus in orat. *ad ciues graui timore perculſos*; Nam & iſte & alij auctores, cum de obedientia præſtanda Regibus & ſæculari poteſtati verba faciunt; ſemper ſubintelligunt; vt quiuis ſtatui ſuo conuenienter obediat; & quia vel ad promiſcuam multitudinem orationem inſtituebant, vel totam multitudinẽ ſermone ſuo comprehendebant; hinc vniuerſim mo-

nebant,

nebant, regibus parendum eſſe; non tamen excluſa cõditione illa, de qua ſæpe dictum; vt quiuis id iuxta ſtatus ſui naturam præſtaret.

Sic accipe & interpretare etiam S. Baſilij verba; cum dicit; Apoſtolum monere; *vt poteſtatibus mundi omnes ſubiecti ſint*: Quis negat quemlibet ſuo modo, ſaluisque ſtatus, quem profitetur, priuilegiis, ſubeſſe debere? *S. Baſil. in conſtitut. monaſt. cap. 23.*

Quærit F. Capellus. *Quid dicit Dominus Cardinalis? An non eſt ſublata difficultas prædicati?* hoc eſt, an non mõſtratum, per *ſublimiores poteſtates* intelligi debere *poteſtatem tantummodo politicam?* Certè hactenus hoc non demonſtraſti; neque Baſilius hoc aſſerit. Ait, per *ſublimiores poteſtates* intelligi; mundanam; ſed num hanc ſolam? Nam quod addit; *Non ſpiritualibus*; id per amplificationem quandam dictum eſt; quaſi Apoſtolus velit; tam liquidum eſſe; quod ſpirituali magiſtratui mos ſit gerendus; vt hac de re ne vlla quidem monitione opus fuerit; cum ſpiritali præfecto multo magis obſecundare oporteat, ſi ſæculari & temporali tantum obſequij & obſeruantiæ deferendum ſit. Et quod ait; *à lege diuina cultores pietatis ſæculari poteſtati ſubiectos*; id intelligitur, ſaluis cuiuſque ſtatus & profeſſionis immunitatibus & prærogatiuis.

Eodem ſenſu accipienda ſunt teſtimonia Anſelmi, Theodoreti, Oecumenij & Theophylacti, quæ F. Capellus producit; qui vbicunque legit, fideles *ſubiici regibus vel principibus*; ſtatim abſolutam & omnimodam, atque adeo (cur enim planè & diſertè non eloquar?) *Huſſiticam* & *Lutheranam* ſubiectionem ſibi imaginatur. Nec ſatis mecũ exputare queo, quo calamo F. Capellus ſcribat. *Dominum Cardinalem Bellarminum, verba illa Apoſtoli: nõ enim ſine cauſa portat gladium, Dei enim miniſter eſt*, &c. *Rom 13.*

inter-

interpretari cum Donatiſtis tantùm de gladio ſpirituali, hoc eſt, *de excommunicatione*: Et poſtea adducit S. Auguſtinũ lib. 1. contra Parmenianum cap. 7. qui hanc Donatiſtarũ explicationem reprehendit; *quaſi pariter cum Donatiſtis Bellarminum reprehendat*. Quæſo, monſtra locum, vbi Illuſtriſſ. Card. Bellarminus ſcripſerit; *gladium* eo Apoſtoli loco non accipi pro *poteſtate & auctoritate ciuili & politica puniendi etiam in corpore, & in vita?* Monſtra, inquã, locum; aut virum religioſum patum religiosè factitaſſe dicemus; quando eruditiſſimum & in toto Chriſtiano orbe decantatiſſimum Cardinalem Bellarminum cum Donatiſtis aduerſus S. Auguſtini doctrinam ſentire ſcripſit. Aegrè ferebant Donatiſtæ ſe & ſuos ſuppliciis coërceri à Chriſtianis Imperatoribus. obiiciebatur à Catholicis locus Apoſtoli, vbi magiſtratui ius gladij conceditur: Donatiſtæ, vt effugerent; hunc gladium ſpiritaliter pro *excommunicatione* interpretabantur; vt faciunt nunc plerique hæretici, qui negant magiſtratui ius in hæreticos pœna mortis animaduertendi: Hos loco aduerſus Parmenianum adducto refutat S. Auguſtinus. Num ſimile quid vnquã dixit aut ſcripſit Illuſtriſſ. Bell. vt cum Donatiſtis per S. Auguſt. refutatus cẽſeri poſſit?

Cap. 18. Teſtimonia Nicolai Põtificis, Hugonis de S. Victore, & Alberti Magni, tantúdem ad propoſitum faciunt, quantũ teſtimonia, de quibus ſuprà actũ. Volũt nimirũ ciuili Magiſtratui, quemlibet & quælibet ſubiecta, ſalua immunitate & prærogatiua aliunde conceſſa. De Cuſano Cardinale non multum laboro, num exiſtimarit, exemptionem clericorum quoad bona & perſonas ſuas, eſſe iuris diuini; an humani. Hoc ſaltem ſenſit; à poteſtate ciuili Eccleſiaſticos iuſtè exemptos fuiſſe per ius Canonicum; neq; ſæculares hoc ius Eccleſiaſticis ab Eccle-

ſia con-

ſia conceſſum mutare poſſe. In quo neſcio num F. Capellus cum Cuſano conſentiat. profectò ipſe & ſodales magis cum Marſilio de Padua, damnatiſſimo Auctoro, conſpirare videntur; qui de Iure Canonico, hoc eſt, *Decreto* & *Decretalibus* non ſemel in ſuo *Defenſore*, id eſt, in *perturbatore* pacis contumelioſiſſimè loquitur; & apertè ſcribit, *nullam illis habẽdam fidem; aut præſtandam obedientiam cum in aliis, tũ in hoc de immunitate Eccleſiaſtica capite.* *Marſ. p. 2. cap. 5. Defenſ.*

CONSIDERATIO QVINTA.

Quæcunque F. Capellus à cap. 20. vſq; ad 26. diſſerit, ex hæreticorum lacunis petita eſſe.

VT ſententiam, quam ſemel animo imbibit F. Capellus ſtabiliat; non veretur ſcribere & publicè profiteri; *Concilia ſacra; vt Nicenũ; Epheſinum, Chalcedonenſe, & alia tam generalia, quàm particularia, iuſſu, mandato, & auctoritate Imperatorum, Regum, Principum, & ſecularium magiſtratuum cõuocata eſſe*: vnde exiſtit hoc argumentum. *Secularis poteſtatis eſt conuocare ſacra Concilia: ergo Epiſcopi, & per conſequẽs, omnes clerici ſubiecti ſunt ſeculari poteſtati.* Hæc de conuocatione conciliorũ opinio, eſt omniũ hæreticorũ huius ætatis; Lutheri, Melanchthonis, Caluini, Bezæ, Brentiĳ, Witackeri, Sibrandi Lubertí, Iunĳ, Danæi, Salomonis Geſneri; ex quibus ſex poſtremi ex inſtituto ſcripſerunt de Concilĳs contra Illuſtriſſ. Card. Bellarminum;

Ante hos omnes idẽ docuit damnatus auctor Marſil. de Padua; qui diſputationẽ hãc ingreſſurus, ſic pręfatur: *Nunc oſtendere volo, ad ſolius humani legislatoris fidelis ſuperiore carentis auctoritatem pertinere, aut eius vel eorum; cui, vel quibus per iam dictum legislatorem poteſtas hæc commiſſa fuerit generale Conciliũ conuocare, perſonas ad hoc idoneas determi-* *Marſ. cap. 21. p. 2. Defenſ.*

terminare, ipſumq́; congregari, celebrari, & ſecundum formã debitam facere conſummari; rebelles quoque ad conueniendũ, & iam dicta neceſſaria, & vtilia faciendum; determinatorum quoque, ac ordinatorum in dicto Concilio tranſgreſſores, tam ſacerdotes, quàm non ſacerdotes, clericos aut non clericos licitè ſecundum diuinam, & humanam legem per coactiuam arcere potentiam. Poſtea hoc ſuum paradoxum confirmat Marſilius: eo prorſus modo, quo F. Capellus: quia paſſim legimus Concilia conuocata ab Imperatoribus & Regibus; vt Nicenum à Conſtantino Magno; Epheſinum à Theodoſio; & alia ab aliis. Quò odium veri & libertatis Eccleſiasticæ non prouehit hæreticos, & eos, qui hæreticorum nomen quidem fugiunt, arma tamen eadem vſurpant; & cum illis ſub iiſdem ſignis militant?

Dico nullum penitus concilium generale ab vllo Imperatore abſque Romani Pontificis auctoritate, & nullum nationale vel prouinciale abſque primatis vel Patriarchæ; vel vt generalius loquar, abſque Eccleſiaſtici ordinis conſenſu & auctoritate congregatum & celebratum eſſe; vt perſpicuè oſtendit Illuſtriſſ. Card. Bellarminus. *Bell. lib. 1. de Concil. cap. 12. 13.* Nec opus eſt his immorari; ſufficit oſtendiſſe, quos ſua in opinione & diſceptatione F. Capellus duces ſequatur. Et quoties hiſtoriarum monumentis proditũ legimus, Conſtantinum conuocaſſe Synodum Nicænam; Theodoſium, Epheſinam; alios, alias; intelligi debet id ab illis factum dependenter à magiſtratu Eccleſiaſtico, hoc eſt, à Summo Pontifice; & aliis; quorum intererat.

Adſcribitur interdum conuocatio Conciliorum principibus, quòd ipſi aliquando Concilia congregari à Pontificibus petiuerint; & vt congregarentur inſtiterint & vrſerint; omnemq́; operam dederint; vt feliciter in-

ter inchoarentur continuarentur, & terminarentur, miſſis in omnes partes nunciis, qui celebrandi concilij famam ad Epiſcopos perferrent; ſuppeditatis etiam ad iter faciendum impenſis; monitisque Epiſcopis, vt diligenter ad diem locumque dictum ſeſe ſiſterent; & hæc omnia agebant voluntate & conſenſu Eccleſiaſtici magiſtratus; qui ope regia vel principali in his inſtituendis & peragendis eget. Itaq; quàm verum non eſt Concilium Tridentinum à Carolo V. & Ferdinando Imperatoribus, tanquam primariis auctoribus congregatũ fuiſſe; licet vt congregaretur impensè elaborarint; tam verum nõ eſt, Concilium Nicænum à Conſtantino; aut aliud ab alio Imperatore vel Principe; tanquam à primario auctore; nutu & poteſtate propria ac independente conuocatum fuiſſe; licet ad conuocationem non parum ſtudij & operæ contulerint. Satis de hoc. legatur Bellarminus.

Ex Concilio Nicæno tria promit F. Capellus argumenta. I. *Conſtantinus in Epiſtola ad Alexandrum Alexandrinum Epiſcopum; de controuerſia inter ipſum & Arium exorta; ſic ſcribit: Meque & communem veſtræ mutua diſſenſionis arbitrum, tanquam pacis moderatorem non ſine cauſſa adhibeo. Ecce,* inquit F. Capellus, *quomodo ſuauiſſimus princeps declarat ſe iſtis ſuperiorem; non vt rerum ſacrarum iudicem; ſed vt moderatorem pacis & tranquillitatis publicæ; cuius cura principi politico commiſſa eſt.* Reſpondeo, Conſtantinum ſe conſtituiſſe arbitrum illius altercationis inter Alexandrum & Arium non quoad coactionem; ſed quoad directionem: quia enim ei pacis & quietis publicæ cura incumbebat; iure poterat ſe vt arbitrum interponere; & ad concordiam cohortari; quemadmodũ & quiuis Laicus; non tantum Princeps, agere poteſt; ſi ſacerdotes mutuis contentionibus inter ſe digladiari videat.

An non iam quoq; Reges & principes arbitros ſe interponunt in controuerſia, quam Veneti cum ſummo Pontifice habent? An ideo illis ſummus Pontifex ſubiectus eſt? An ideo illis ſubiecti Veneti? Et tamen ſi Catholicus aut Chriſtianiſſimus Rex iam illa Conſtantini verba vſurparet: *Me communem veſtræ mutuæ diſſenſionis arbitrum, tanquam pacis moderatorem; non ſine cauſſa adhibeo;* non propterea Venetos & Pontificem ſibi ſubiectos eſſe indicaret.

Iam quod *Deo amabiliſſimus Imperator ſynodum Epiſcoporum in Nicæa celebrari iuſſit;* nil nobis officit; quia iuſſit hoc non ſine conſenſu & auctoritate Romani Pontificis Silueſtri. Nec illud obſtat; quòd, vt in quarto libro Gelaſij Cyziceni de Nicæna ſynodo ſcribitur; Conſtantinus Magnus, rebus omnibus ex animi ſententia peractis; Epiſcopos ad ſuas vrbes dimiſit: nam dimiſſio non eſt argumentum ſubiectionis; quia etiam Imperator noſter & quiuis Rex legatos aliorum Regum vel principum ad ſe miſſos, negotiis ritè confectis abs ſe dimittere ſolet; num ideo dicemus legatos Regi, à quo dimittuntur, ſubiectos eſſe?

Libellos accuſatorios à quibuſdam Epiſcopis contra Epiſcopos ſibi porrectos exuſſit Conſtantinus dicens; *ſacerdotes ab hominibus iudicari non poſſe; ſed ad iudicium ſolius Dei reſeruari,* vt refertur 12. q. 1. *Futuram*, & paſſim, apud veteres hiſtoricos; nominatim Ruffinum; ex quo Conſtantini dicto & facto euidenter eluceſcit; nihil minus eum exiſtimaſſe; quam ſibi ius & poteſtatem in ſacerdotes competere. Conatus eſt iam olim Marſilius de Padua hunc nodum ſoluere. Nouus Marſilius de Neapoli dicit; *hoc fuiſſe Imperatoris exceſſum, vt ſe erga Eccleſiam pium & benignum oſtenderet; non quod reipſa ita ſentiret.*

Ruff. lib. 10. Hiſt. Eccleſiaſt. cap 2.

Marſil. in Defens. p. 2 ca. 28.

Marſil. lib. octo Propoſit.

ret. Eximiam ſanè laudem, inquit Bellarminus; Conſtantino Imperatori hic Auctor tribuit; vt enim benignum & pium faciat; facit mendacem.

Ferè modeſtius reſpondit Marſilius de Padua quam nouus iſte Marſilius. *Quod inducitur conſequenter ex Iſidori codice, de verbis Conſtantini, dicendum; quod verbum fuit exhortationis, & monitionis; quoſiquidē deuotus Conſtantinus oſtendit, quales eſſe deberent Epiſcopi, & ſacerdotes. tales enim eſſe deberent inuicem, & ad alios, quod in ſeculari iudicio non oporteret ipſos contendere.* Hæc vetus ille Marſilius; ſed prorſus vanè, omnes enim ſyllabæ, quibus Conſtantinus vſus fertur, clamant; ipſum aureum illud dictum pronunciaſſe abſolutè non hypotheticè: conſtanterq́; aſſeruiſſe; laicos ſacerdotibus; non vice verſa, ſacerdotes laicis ſubiectos eſſe. Quod aduertens ipſemet Marſilius alium cuneum huic nodo quæritat. Ait igitur. *Eſto, quod Conſtantinus hoc aſſerendo apertè dixiſſet, eſſe verum: negarem ipſius dictum: quoniam nec Canonicum eſt, nec ad Canonicum conſequens.*

Obiicit nouus Marſilius. *Si verum eſſet, ſacerdotes à nemine iudicari poſſe, quia ad Dei iudicium reſeruentur; vt Conſtantinus dixit; tunc neq; à ſuis prælatis Eccleſiaſticis iudicari poſſent; cum ad ſolius Dei iudicium reſeruentur. At quis ſani capitis hoc affirmet?* Rectè reſpondet Illuſtriſſ. Card. Bellarminus dictum Conſtantini intelligendum, de iudicio Dei, quod agit in hac vita interuentu Miniſtrorum. nam Conſtantinum exiſtimaſſe, ſacerdotes etiam in hac vita iudicari poſſe; patet ex controuerſia Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis cum Donatiſtis; quem Romam ad Melchiadem Papam & poſtea ad Concilium Arelatenſe, iudicij ſubeundi gratia, amandauit.

Bellarm. lib. contra tract. octo propoſit.

F. Capellus ex ſupradicta de Conſtantino hiſtoria,

tale argumentum pro ſe ſuaq; cauſſa cõtra noſtram ſententiam ducit. *Si Eccleſiaſtici iure diuino iudicari non poſſent à principe politico in cauſſa criminali, iniquiſsimè feciſſent ſanctiſsimi illi Patres; recurrendo ad Principem temporalē iure diuino reclamante. Craſſa itidem ignorantia & valdę vituperabili laboraſſent; ſi hoc neſciuiſſent; & ex ignoratione ad Conſtantini tribunal confugiſſent; ſi autem ſciuiſſent id non licere; & tamen hac ſcientia ſe præpediri non ſciuiſsent; quò minus opem Conſtantini implorarent; perquam ſcelerati & improbi iure cenſerentur; huiuſmodi facinus in tanti Concilij conſpectu aggreſſi.* Sectatur hic quoq; F. Capellus veſtigia Marſilij de Padua; qui poſt varias ambages huc tãdem delabitur; *Ex ipſa Iſidori ſerie, liquet apertè, cunctos Epiſcopos Romano Principi coactiua iuriſdictione ſubiectos. Ad ipſius enim iudicium, non autem Romani Pontificis, ſpontanei, non coacti, ſuas cõtentiones, & iurgia detulerunt, ipſius interpellantes examen, atq; iudicium, vt Iſidorus narrat ibidem.* In promptu eſt reſponſio. Detulerunt querelas & accuſationes ſuas ad Conſtantinũ de facto, non de iure; quos Conſtantinus & verbo & facto reiecit, & modeſtè caſtigauit: neq; ſequũtur illa incommoda, quæ F. Capellus rhetoricè amplificat: *quia multi ex patribus illis fuere ſanctiſsimi*; at non omnes; neq; enim vel Euſebium Cæſarenſem inter ſanctos numerabit; ſatis ſcio; niſi eo iure ſanctis annumeret; quo Arium appellat Epiſcopum Magnas gratias debet Arius F. Capello; quippe mitram & pedum poſt tot annos ab ipſo adeptus: Fuère & alij inter Patres Nicænos, qui Arij partibus plus æquo fauebant: quos ad tribunal Cæſaris prodire auſos; nõ eſt adeo mirandum; ſiue id fecerint ex iuris ignorantia. ſiue ex cupiditate quadam vindictam ſumendi de ſuis aduerſariis; neque enim, vt antea dicebam, omnes illi patres vel ſancti vel ſanctiſſimi, vel docti

Videtur Marſil. non Gratiani, ſed Iſidori collectionem Canonum legiſſe.

vel

vel doctiſſimi fuêre; vt notum eſt; & cum hæc elogia Patribus Nicæni Concilij tribuuntur, reſpectu maioris & potioris partis tribuuntur.

F. Capellus valde vrget illa Gelaſij Cyziceni verba. *Admirabile quiddam, quod in ſynodo fecit Rex omnium victor, dignum non eſt, quod ſilentio inuoluatur. Si*, inquit, *de iure diuino eſt; Imperatorem non potuiſſe iudicare Epiſcopos; quomodo factum illud, exiſtimari poteſt; admirabile?* Ideo enim, iudicio F. Capelli, admirabile appellatur, quod Imperator eo iure; quo vti poterat; vti noluerit. At non eſt ita; factum enim Conſtantini verè fuit admirabile, quia tam cōmoda iudicandi Epiſcopos occaſione vti detrectauit. quod quotuſquiſque hodie faceret; cum eò res deuenerit; vt per vim quoque iudicium ferendi de ſacerdotibus multi ex Laicis poteſtatem ſibi rapere tentēt. *Admirabile* item fuit; quia tantum honoris Eccleſiaſtico ſtatui habuit, vt mutuas querelas & accuſationes ne exſtâre quidem voluerit; libellis in ignem coniectis, ne ordo Eccleſiaſticus aliqua labe aſpergeretur. Admirabile fuit; quia admirabili artificio Epiſcopos & increpauit, & ad proprium iudicem amandauit; & meliora edocuit.

Concilia Aquileienſe aut Conſtantinopolitanum primum conuocata eſſe à principibus abſq; conſenſu eorum, quorum intererat, falſum eſt. Legantur Notæ in illud Concilium in Colonienſi noua editione. Sed F. Capellus, auidus ſui propoſiti obtinendi, vbicunq; vocabulum *iuſſit* vel *mandauit*, conſpicatur; ſtatim *ſubiectionem*, & quidem *coactiuam*; cudit: quaſi qui defendit, & dirigit; non poſſit etiam iubere & mandare: & quaſi is; qui nominat vel præſentat aliquam perſonam ad officium Epiſcopale; vel ſacerdotâle; hoc ipſo ſit judex & ſuperior Epiſcopi vel ſacerdotis.

Ex Concilio Epheſino multa profert F. Capellus: quæ aliud nil efficiunt, quàm fidei defenſionem ad Imperatoris & principum munus pertinere. Quod nemo negat; Item ſi ſummus Pontifex vel Eccleſiaſticus magiſtratus Concilium cogẽdum decernat; poſſe Imperatores mandare Epiſcopis, vt compareant: & immorigeris etiam his verbis minari: *Nullum impunè abeſſe ſinemus.* Ecco la poteſtà coattiua. *Ecce poteſtatem coactiuam*, inquit F. Capellus. Sed vnde hæc poteſtas? Non ab imperiali dignitate; ſed ab auctoritate Eccleſiaſtica. Nec dicunt Imperatores: *nos non obtemperantibus* pœnam infligemus: ſed; *non impune abeſſe ſinemus*: quod fiet, ſi curetur; vt inobedientes poſtea ſuo à magiſtratu puniantur.

Impp. Theodoſ. & Valent. in Epiſt. ad Cyrillum Alexandr. Tom I. Concilij Eph. cap. 25.

In *ſacra* ſeu Epiſtola Imperatoria tertia mittitur Candidianus ad Concilium Epheſinum, vt ordinem curet; vt clericos & Monachos quibus nulla in Concilio ſeſſio; aliò ableget; turbiſque & turbatoribus vigilanter & prouidè obuiam eat; volunt etiam nemini Epiſcoporum abeundi facultatem concedi, niſi fini optato omnibus controuerſiis impoſito; qui, vt eò citius & felicius imponeretur: monuerunt; vt nulla alia negotia vel criminalia vel pecuniaria tractanda ſuſciperentur; ſed Conſtantinopolim remitterentur. Ex his concludit F. Capellus *Epiſcopos fuiſſe ſubiectos Imperatoribus.* At hæc collectio cæteris non eſt diſſimilis; hoc eſt, vt planè dicam, parum aptè nexa. Nam ex tota *ſacra* nil aliud rectè extũdes, quàm Imperatores fuiſſe ſynodi protectores & defenſores. Num is, qui defenditur & protegitur hoc ipſo præcisè ſubiectus eſt ſuo defenſori & protectori? Habent regna ſuos protectores Cardinales. Regnum ideo ſubiicitur Cardinali, quia eius protectorem agit? Deinde protectores mandare poſſunt, quæ ad defenſionem & celerem expeditionem negotij conducere exiſtimant; nec tamen

Tom. 1. cap. 32.

ideo

ideo quos tuentur, ſibi ſubiectos, quoad coactionem, agnoſcunt; præſertim quando quæ mandantur ex ipſius, cui mandatum editur, voluntate & conſenſu mandātur; vt hic factum. Neq; enim ignotū erat Epiſcopis orthodoxis, Neſtorium & Neſtorianos nihil non molituros; quo ſynodum diſturbarent & diſſiparent; eam ob cauſſam per Candidianum omnibus machinamentis obuiam ire ſtuduerunt Imperatores, libentibus & aſſentientibus patribus orthodoxis. Lites alias Conſtātinopolin transferri volunt; vnamquanque videlicet ad ſuum forum & tribunal. Seculares ad ſæculare: Eccleſiaſticas ſeu Eccleſiaſticorum; ad Eccleſiaſticum; neq; enim dicunt Impp. ſe ſuæ cognitioni, vt refert F. Capellus; ſed magnæ ſuæ ciuitati lites illas reſeruatas velle.

Illam ſubtilitatem: *Iuuenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus voluit, vt initio Concilij Epheſini legeretur edictum Imperatorum ad omnes Metropolitanos miſſum, vt tanquam fax agendis rebus præluceret; ergo Epiſcopi Epheſini fuere Imperatoribus ſubiecti;* Ego nō aſſequor. Hebetior ſum; quàm vt hæc talia acumina capiam. Nam huiuſmodi edictū nil aliud indicat; quàm Cyrillum, & alios Epiſcopos ab Imperatoribus ad Cōcilium Epheſinum fuiſſe euocatos; quod nō factum; ſine conſenſu Romani Pontificis; vide Card. Bellarminum. Si Carolus V. aut Ferdinandus Imperatores Epiſcopos Imperij ad Conciliū Tridentinum, iuſſu & auctoritate ſumi Pontificis; proficiſci iuſſiſſent; F. Capellus ſtatim inde cōcluderet; Epiſcopos iſtos auctoritati coactiuæ Imperatorum fuiſſe ſubiectos; & etiānum ſubiici.

Tom 2. cap. 1.

Bell. lib. 1. de Concil. cap. 13.

Mox redit iam ſuperius tacta conſequentia. *Patres Cōcilij Epheſini petierunt ab Imperatoribus abeundi facultatem, rebus omnibus iam peractis & definitis; ergo ſubiecti fuêre Imperatori:* Perinde ac ſi diceres: Legati Venetorum ſæpe

petunt

petunt diſcedendi facultatem à Regibus & principibus, eo quo varias ob cauſſas deſtinantur; ergo fatentur ſe Regibus & principibus illis ſubiectos, etiam quoad coactionem. Crebro amicus ab amico miſſionem petit; ſequitur ergo, quod antea. Vt igitur multa huius generis fieri ſolent honeſtatis, ciuilitatis & obſeruantiæ cuiuſdā gratia; ita & Patres ſynodi Epheſinæ digredi à ſe mutuo noluerunt; niſi cum Imperatorum conſenſu; ne aduerſarij hinc res bene & ſalubriter conſtitutas, de integro turbandi occaſionem arriperent; in omnes turbarum ciendarum occaſiones intentiſſimi.

Tom. 3. in Append. 2. S. Cyrillus & Memnon in vincula coniecti ſunt non de iure, ſed de facto: ex quo vtpote iniuſtiſſimo, nullum ius iuſtè colligitur. Tom 5. ca. tertio monentur ab Imperatore Ioannes Antiochenus, & Cyrillus non Hieroſolymitanus, vt F. Capellus habet; ſed Alexandrinus, vt in gratiam mutuò redeant; additque: ſe *eum alloquio non dignaturum, niſi pace & concordia redintegrata*; Et tandem adiungit; *daturum meritas pœnas neglectæ obedientiæ ſi non obtemperet.* Hinc rurſus ſubiectionem colligit F. Capellus. Pari iure & arte colligeret Venetos eſſe ſubiectos Imperatori Romano; ſi ſcriberet, ſe in cōſpectum ſuū non admiſſuros Venetos legatos, niſi prius cum ſumo Pontifice in gratiam redirent; Et ſi in fine ſubiungeret; eos neglectæ obedientiæ grauiſſimas pœnas daturos; iam F. Capellus *demonſtratiuè* ſcilicet oſtenderet; Venetos eſſe *Imperatori ſubiectos.*

Capite VII. Tomi quinti dicit S. Cyrillus *ſe cum orientalibus pacem feciſſe vt Imperatoris mandato morem gereret: fuit ergo Imperatori ſubiectus.* Perinde ac ſi diceres: Veneti inierunt pacem cum Pontifice propter mandatum Imperatoris & aliorum principum, ſunt ergo illis ſubiecti. Quis neſcit *mandatum* aliquando accipi latius pro directione; monitione & ſuaſione?

Cap.

Cap. 19. priuat Imperator Irenæum Epiſcopatu Tyri; quòd faueret Neſtorianis,& poſt ſecundas nuptias ordinatus eſſet. Reſpondeo, id factum conſenſu Eccleſiæ; quæ Neſtorianos iam damnationis ſentẽtia percuſſerat; hoſteſque orthodoxæ fidei declararat. Vnde non magis per bonam& legitimam cõſecutionem colligere fas eſt; Epiſcopos ſubiici Imperatori; quàm ſi quis ex hoc colligeret Epiſcopos Imperij ſubiici Imperatori; ꝙ Imperator Lutheranum aliquem Epiſcopũ Epiſcopatu deturbaret poſt Lutheranorũ in Tridentina ſynodo damnationem: hic enim non tam primus auctor;quàm executor eſſet.

Tomo tertio ca. 17. abrogat & irrita reddit Imperator omnia, quæ à Concilio geſta fuerunt. Num hoc iure factum? Num legitimè? An non Neſtoriani egregiè os Imperatori ſubleuerant. Quanta cupiditate ſuæ opinionis perſuadendæ hunc tenere oportet, cum argumenta ſumit ab illis, quæ contra fas & ius, diuinum iuxtà ac humanum commiſſa ſunt. Et tamen mox idem facit; cum ait; *Concilium ſupplicaſſe Imperatori, pro liberandis ex carcere Cyrillo & Memnone*; Quaſi verò Cyrillus & Memnon iuſtè; & non per ſummum ſcelus in vincula coniecti fuerint: nam quod patres ſupplicãt; id neceſſitas exigebat; Neſtoriani enim ſtudiis & factione potentes& valentes, voluntatem Imperatoris ſibi valde deuinxerant, & ab orthodoxis abalienarãt. Itaq; tempus non erat; vt patres grauitatem ſceleris apertè obiicerent; & immunitatẽ Eccleſiaſticam ſacrilegè violatam exprobrarent; ne maiori malo occaſionem darent. Si qui Epiſcopi nunc Regi cuipiã Lutherano, Caluiniano vel Mahometano ſupplices literas offerãt; vt Epiſcopos captiuos vinculis exſoluãt; inde nimirum colliget F. Capellus Epiſcopos ſubiici Regibus. Quaſi verò non ipſis etiam Tyrannis neceſſitas aliquando ſupplicare cogat.

Idem dico de obiectione ex ca.15. vbi Synodus rogat Clerum Conſtantinopolitanum; vt Imperatori pro liberatione Cyrilli & Memnonis ſupplicet. *Non dicit*, inquit F. Capellus, *Concilium; ſi Epiſcopos liberare nolit; excommunicatus eſto; quia facit contra immunitatem Eccleſiaſticam; nolens & hos liberare, & patribus concilij diſcedendi copiam facere.* En quo vir eruditus progreditur. Negat factum illud Theodoſij fuiſſe contra immunitatem & libertatem Eccleſiaſticam; quod omnes antiqui vno ore, Theodoſio crimini vertunt; & tantum non tyrannicum appellant; Hæc enim omnia contra ius & fas egit Neſtorianorum technis in præceps actus. Nam quod non minati ſunt excommunicationem, id factum eſt, ne exaſperatum magis exaſperarent; prudentiæ eſt quædam non tangere, niſi vbi tãgendi commoda & periculi expers occaſio præbetur. Idem reſponſum eſto ad id; quod F. Capellus ex cap. 22. adducit.

Profert F. Capellus etiam Epheſinum ſecundum Concilium ab Imperatore indictum, eoque vocatum Leonem Pontificem. Quis non obſtupeſcat Catholicum hominem hinc arma contra veritatem ſumere; cum hoc Concilium Epheſinum ſecundum potius fuerit *Latrocinium*; & hoc etiam nomine ab Hiſtoricis afficiatur. Quis neſcit, quorum fraudibus & impoſturis Theodoſius circumuentus, hoc Concilium indixerit? Quis vnquam Catholicorum pro legitimo habuit? Nam quod S. Leo ſuis in Epiſtolis lenius & mitius cum Theodoſio agit; id non ideo accidit; quod exiſtimaret Theodoſium rectè agere; ſed vt vel Theodoſium à cogendo Concilio auerteret; vel, vt in Italia celebraretur, induceret; Iam enim ſapientiſſimus Pontifex prouidebat, quid perditus & conſceleratus Eunuchus Chryſophius pro Eutyche-

Eutychete moliretur. Nec quia S. Leo ab Imperatore petiit, Epiſt. 22. vt citat Frater Capellus; vt reſcinderet; quæ nefariè contra S. Flauianum in Epheſino Conciliabulo geſta fuerant, ideo Imperatorem pro ſuperiore agnouit; quia etiam inferior rogari poteſt, ſi viribus & poteſtate ita valeat, vt improborum conatibus facilè obuiam eat. Rogarunt non ſemel Romani Pontifices Romanos Imperatores Carolum & Ferdinandum; & alios principes, vt quæ Lutherus & Lutherani in perniciem Catholicæ fidei ſtruebant; præpedirent; & damna illata reſarcirent quis; inde colliget; Pontifices fuiſſe Imperatoribus & principibus illis ſubiectos?

Quis tam rudis eſt præter hæreticos, qui diffiteatur, Concilium Chalcedonenſe, iuſſu & auctoritate Leonis Magni præcipuè conuocatum eſſe; & quidquid hic Marcianus egit; id non niſi conſentiente Romano Pontifice egiſſe. Nam quod Leo Pontifex Marciano ceſſit quoad locum & tempus; quid tum? Etiam maior minori cedere poteſt, ſi ratio ita ſuadeat & vtilitas exigat. Eiuſdem farinæ ſunt, quæ poſtea F. Capellus ex Concilio Chalce- *Cap.* 22. donenſi congerit. Probat cum Hæreticis ab Imperatoribus hanc ſynodum congregatam, non à Leone Pontifice. Sed firmius id non probat; quàm hæretici: lege Bellarminum; & mox commentum diffugiet. Vt & illud; Concilium ſic inſcribi. *Synodus conuocata ex decreto piiſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum, &c.* Iure quæras, qua editione vſus ſit; nam in noua & veteri Colonienſi nihil huius comparet; & vt compareret; quid nobis obeſſet? Conuocarunt; ſed auctoritate Pontificis Romani. Iuſſerunt adeſſe Epiſcopos; ſed annuente Romano Pontifice. An non legit F. Capellus initio Concilij Chalcedonenſis hæc contra Dioſcorum Alexandrinum verba? *Sy-*

nodum auſus eſt facere, ſine auctoritate ſedis Apoſtolicæ; quod nunquam licuit, nunquam factum eſt. Quæ ſola verba F. Capellum abſterere poterant; ne ſcriberet, *potiſſimas ſynodos ab Imperatoribus & principibus fuiſſe congregatas; non Romani præſulis nutu & auctoritate.*

Ait, *indices politicos, qui Concilio ordinis ſeruandi & defenſionis gratia aderant, ſententias patrum aliquando comprobaſſe. Epiſcopos apud Imperatorem quoſdam Collegas ſuos, à quibus iniuriam ſe accepiſſe credebant; accuſaſſe; Imperatorem cauſſam ad Concilium detuliſſe; Imperatorem edictum promulgaſſe, ne quis decreta Chalcedonenſia diſputando in dubium vocaret.* Quid hæc omnia pro opinione Hæreticorum & F. Capelli efficiunt? Nihil certè aliud, quā Imperatoribus & ſæculari poteſtati competere, vt acta & decreta Conciliorū tueantur; & ab impugnatoribus vindicent, vtq; cauſſas ad ſe non pertinentes ad legitimum iudicem ablegerent; vt fecit Marcianus: vtq; damnatos à ſynodo; ipſi etiam damnent; vno verbo, vt ſynodo manum porrigant; quo perficere valeat; quæ communis vtilitas expoſcit. Nec eſt bona hæc conſequentia. *Hic vel ille Epiſcopus accuſauit Collegas ſuos apud Imperatorem; ergo rectè & legitimè egit.* Nam Petrus & Paulus Apoſtoli apud Neronem accuſati ſunt. Num iuſtè & iurè? Et ſæpe Epiſcopi, quibus cum potentibus aduerſariis res & contentio erat, ad Imperatores & Principes confugerunt; non vt ad iudices; ſed vt illorum beneficio à legitimis & competentibus iudicibus ius & æquum obtinerent.

Quàm autem F. Capellus conſideratè in his verſetur; vel inde perſpicias, quod tam Stephanum, quàm Baſſianum, qui de Epiſcopatu Epheſino dimicabant; in Epiſcopatu confirmatos dicit; cum vterq; Epiſcopatu priuatus fuerit; vt patet ex. Act. XI. Neq; Iudices illi politici, quid-

quidquam velin hac vel in alia cōtrouerſia independenter in Concilio geſſerunt.

Ait F. Capellus. *Agapetus Papa miſſus fuit Conſtantinopolin à Theodohato Rege Gothorū. Ergo Papa fuit ſubiectus Regi.* Perinde ac ſi dicas. Pilatus miſit Chriſtum ad Herodem, & Herodes remiſit illum ad Pilatum. Et Annas miſit Chriſtū ad Caipham; & Caiphas ad Prætorium, ergo Chriſtus his omnibus fuit ſubiectus. In hunc ferè modum fatuantur Hæretici contra primatum Petri. *Apoſtoli miſerunt Petrum & Ioannem ad Samaritanos, Act. 8. ergo Petrus non fuit Princeps Apoſtolorum.* Quaſi verò de ratione miſſionis ſit ſubiectio. Cur non poſſet, etiam non ſubditus; & ſimpliciter maior, vel ſponte ſua; vel rogatus aliquò ire potiſſimum ſi Eccleſiæ vtilitas id repoſcat? cap. 23.

Quæ ex Breuiario Liberati adducit probant Iuſtinianum multa feciſſe de facto, ſed num & de iure? Ego non intelligo hanc, eiq; ſimiles conſequentias. *Iuſtinianus vel alij principes coniecerunt Epiſcopos in vincula*; ergo Clerici non ſunt exempti à poteſtate ſæculari. Et tamen F. Capellus opinionem ſuam; hoc eſt, opinionem omnium hæreticorum huius temporis & damnati Marſilij de Padua, vocat, *Catholicam fidem*; eandem ſtabilire conatur auctoritate illuſtriſſ. Bellarmini; cuius hæc ſunt verba, *Pontifex in temporalibus ſubiiciebat ſe Imperatoribus: Pontifex agnoſcebat Imperatorem Dominum ſuum temporalem. ergo reuera Pontifex erat in temporalibus Imperatori ſubiectus.* At facilis eſt reſponſio: ſubiectus erat, quia volebat; non quia debebat. Dominum ſuum in temporalibus eum agnoſcebat; non quia abſolutè debebat; ſed quia ita libebat; Eccleſiæ ſtatu id tum expoſcente: quemadmodum & Chriſtus Pilato ſe ſubiecit, non quia debebat; ſed quia ei ita placebat; nec committendo ei ſuper ſe aliquam au- cap. 13. Bellar. lib. 1. de Concil. cap. 14.

ctoritatem; ſed tolerando humiliter eam, quam habuit de facto, non de iure; vt alibi Card. Bellarminus exponit.

Bellar. lib. 2. de Pontif. cap. 29.

In Epilogo huius tractationis Rhetoris in morem exultat F. Capellus; ſuamq; opinionem *& veteris & noua legis eſſe dicit; item Cōciliorum generalium & particularium; ſanctorum Patrum; ſummorumq́ Pontificum.* Quanto rectius dixiſſet; eam eſſe Marſilij de Padua, & omnium ſectariorum huius ætatis; cum quibus vt errare ſinatur, rogat; *Patere me quaſo errare cum talibus.* Cum quibus? Num cū ſanctis patribus? Minimè verò; quia in hac ſentētia nunquam verſati ſunt ſed cum Marſilio de Padua, Luthero, Zvvinglio, Caluino; cum quibus errare velle; nimium profectò enorme eſt.

Duo ſyllogiſmi claudunt agmen; iudicio F. Capelli inſolubiles. I. *Mandare proprium eſt ſuperioris; obedire ſubditi. Et qui alicuius praceptis obedit; is hoc ipſo agnoſcit & confitetur ſuperiorem ſuum. Eccleſiaſtici totius mundi obediuerūt praceptis & decretis principum temporalium, vt monſtratum eſt: ergo faſſi ſunt; & agnouerunt eos eſſe ſuos ſuperiores. II. Sententia non poteſt eſſe iuſta, niſi à legitimo ſuperiore feratur. Cōcilia generalia confeſſa ſunt ſententias Magiſtratus Laici in perſonas Eccleſiaſticas eſſe iuſtas, ſanctas, diuinas; ergo etiam confeſſa ſunt Laicos Magiſtratus eſſe legitimos ſuos ſuperiores. Qui negat Maiorem,* inquit F. Capellus, *is negat totum ius Canonicum & Theologiam.* Qui Minorem: *is negat multa Concilia: nominatim Chalcedonenſe. Concluſio bona.* Debellatum ergo; & tota controuerſia feliciter terminata.

Vel hinc diſcas, quales & quantas tenebras falſitatis defenſio, etiam acutis & perſpicacibus ingeniis offundat; vt tanto faſtu, tantaque iactantia; nil niſi nugas & fumos venditent. Nam primi ſyllogiſmi & Maior & Minor non niſi certis limitationibus & reſtrictionibus vera eſt: quia etiam non ſuperior mandare poteſt; ſi non

de

de iure;at certè de facto;&ad mandati executionem cõpellere. Num qui aut metu, aut alio intuitu obedit;propterea talem pro ſuperiore agnoſcit;eiq; ſeſe ſubdit?Deinde crebro fit, vt qui immediatè & proximè præcipit, non præcipiat ſua; ſed alterius auctoritate & poteſtate. Num ideo ſi obtemperet; talem pro ſuperiore agnoſcit; eiq; ſe ſubiicit? Cui mos geritur, Regi, an præconi Regis; cum regium edictum publicat?Quis ſuperior eſt?Rex an præco?

Sic ſæpe politici principes mandata dederunt Eccleſiaſticis;ſed conſentientibus ipſis Eccleſiaſticis; vel ſaltẽ Eccleſiaſticorum omnium principe, ſummo Pontifice, annuente, in quibus mandatis edendis potius fuerunt Vicarij & ſubſidiarij Eccleſiaſticorum, quàm primarij auctores. Itaq; Eccleſiaſtici huiuſmodi præceptis obſequendo non tam politicorum; quàm Eccleſiaſticorum præceptis obſecuti ſunt; neq; illos, ſed hos, quorum auctoritate præcipiebatur, pro ſuperioribus, tanquam ſubditi agnouerunt. Sic in Concilio Chalcedonenſi; iudices & cognitores politici aliquando tulerunt ſententias in Epiſcopos;ſed cum Concilio;iubente & volente Concilio:& hæc ipſa ſententia;quam patres pronunciarunt eſſe ſanctã, iuſtam, diuinã, primum pronũciata fuit à ſedis Apoſtolicæ Legato, & Anatolio Conſtantinopolitano Epiſcopo; & poſtea cõmunibus omniũ calculis cõprobata. An non & hoc tẽpore, ſi ſæcularis magiſtratus, Clericum quempiam ſceleratum; Hæreticum v. g. debitis pœnis ſubiiciat; conſenſu magiſtratus Eccleſiaſtici, exclamare licet;ſententiam eſſe *ſanctam, iuſtam, diuinam*.

Accedit ad extremum, ꝙ Eccleſiaſtici ſæpe paruerunt principum præceptis quoad directionẽ;non quoad coactionem;in iis, quæ ſacris Canonibus non repugnabant. & vbi

& vbi à Canonibus nihil præſcribebatur; ſaluis ſemper ſtatus Eccleſiaſtici prærogatiuis. Quo caſu propriè & ſtrictè loquendo non eſt ſuperior & ſubditus: quia ſuperior propriè eſt; qui ſua auctoritate præuaticatorem punire poteſt; ſubditus; qui puniri. Ex quibus facilè erit cuiuis iudicium facere, quãtum duo ſuprapoſiti ſyllogiſmi vel potius thraſoniſmi valeãt. Hactenus F. Capellus probare contendit in verbis illis Apoſtolicis: *Omnis anima*; includi tam Laicos, quã Clericos: In illis autẽ *poteſtatibus ſublimioribus*; ſolũ magiſtratũ ſæcularẽ ſeu politicũ. Quid aliud hac ſua opera effecerit, quã ꝙ Marſilio de Padua & Hęreticis noſtrę tẽpeſtatis ſuppetiatũ venit; ego non video.

Rom. 13.

CONSIDERATIO SEXTA.

Argumenta quæ præterea cauſſæ Venetæ Patroni ſumunt ex Apoſtolorum dictis & factis à Marſilio de Padua, & Nouatoribus huius æui petita eſſe.

Marſ. Defenſ. Pacis p. 2. ca 5.

A*BSQVE dubitatione aliqua tenendum eſt*, inquit, Marſil. de Padua, *omnes homines, cuiuſcunq; ſtatus, aut conditionis exiſtant, realiter, & perſonaliter ſubeſſe debere iuriſdictioni principũ ſeculi, & eiſdẽ obedire in his omnibus, quæ nõ contradicũt legi ſalutis æternæ, ſecundũ humanas leges maximè, aut cõſuetudines approbatas, & honeſtas; de his. n. loquitur Apoſtolus apertè, cũ dixit: Omnis anima ſubdita ſit, &c. Et, quod nõ ſine cauſa gladiũ portant, & reliqua, quæ de ipſis protulit, tã patriæ defenſione, quàm tributorũ eiſdẽ exhibitione, ſecundũ ſanctorũ expoſitiones.* Quid aliud omnibus ſuis libellis clamãt, & ex Apoſtoli loco euincere cõtẽdunt, recens Marſilius à Neapoli; F. Paulus; F. Capellus, F. Fulgentius & alij Venetæ cauſſæ patroni, ipſo Marſilij de Padua ſpiritu inſtincti, & inſpirati. qui Marſilius Paduanus etiam hunc locum S. Petri vrget;

1. Petri 2.

Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deũ; Cõſtitutæ videlicet in principatu, inquit Marſ. de Padua, & cũ

eo Veneti Theologi; *de quibus eum intellexiſſe apparet per exempla, quæ immediatè ſubintulit, dum dixit; ſiue Regi, quaſi præcellenti*, &c. *Ecce, quod B. Petrus, & Paulus conformiter dicunt, reges & duces miſſos à Deo ad vindictam malefactorum, id eſt, adſumendum de ipſis vindictam per coactiuam potentiam in hoc ſeculo; nuſquam verò dixerunt, nec ipſi, nec ſancti expoſitores ſuorum dictorum, ad hoc miſſos eſſe Epiſcopos, aut presbyteros; ſed oppoſitũ magis. Cùm igitur malefactores poſſint eſſe presbyteri, ſicut non presbyteri, ſecundum omnia trãſgreſſionum genera; per neceſſitatem ſequitur, ipſos ſubeſſe debere in iudicio coactiuo regibus, ducibus, aut aliis principantibus ſecularibus.* Hæc damnatus Marſilius; quę recitare volui, vt videant iſti, quo duce & magiſtro libertatem Eccleſiaſticam per hoc Sancti Petri teſtimoniũ oppugnatum eant.

Quanto melius famæ & exiſtimationi ſuæ conſuluiſſent; ſi ſuper huius loci germano & genuino ſenſu Innocentium Summum Pontificem, eumq́ue longè eruditiſſimum; potius, quàm Marſilium adiiſſent & audiuiſſent.

Breuiter dico: I. Apoſtolũ præcipere; vt humilitatis ſtudium omnes Chriſtiani ſtudioſè colant; omnibuſq́;, præſertim in imperio conſtitutis, debitum honorem, & competentem reuerentiam deferant; à quo præcepto neque clericos exceptos libenter confitemur. *Vide cap. ſolitæ extra de maior. & obed.*

Secundò dico; Apoſtolum mandare; vt omnes ſuis ſuperioribus obediant & ſubiaceant: Quod cauſſam noſtram non lædit; cum & clericos ſuperioribus ſuis perfectam obedientiam præſtare debere; palam doceamus. Nec potuit Apoſtolus per illud *: omni humanæ creaturæ*: intelligere quemuis magiſtratum: ſed proprium vniuſcuiuſque, ſiue is ſit politicus, ſiue Eccleſiaſticus: alioqui

ſequeretur, Venetos quoque ſubiectos eſſe Imperatori aut regibus Galliæ vel Hiſpaniæ;quandoquidẽ & iſti ſub verbis illis: *omni humanæ creaturæ*, continẽtur, ſi ea cum Patauino Marſilio explicemus de illis, qui ſunt *in principatu*. Quod ſi quis, ſectariorum more, verba nimis literaliter, vel potius grammaticè vrgere velit; tũ omni homini obediendum erit à quouis, tanquam à ſubdito; & per conſequens; ſeruis à domino;quia quiuis homo; eſt humana creatura:iubet autẽ S. Petrus *omni humanæ creaturæ* morem geri. At quis hæc talia portenta vnquã audiuit? Si per hoc, quod dixit;Innocentij verba refero; *Si per hoc, quod dixit; ſubditi eſtote; ſacerdotibus voluit imponere iugum ſubiectionis; & eis prælationis auctoritatem afferre, quibus eos ſubiectos eſſe monebat; ſequeretur ex hoc, quod etiam ſeruus quilibet in ſacerdotes imperium accepiſſet, cùm dicatur; omni humanæ creaturæ.* Quod verò S. Petrus antea generatim de poteſtate locutus, poſtea tantum mentionem facit de poteſtate ciuili, hoc eſt, de *Rege & ducibus ab eo miſſis*: id eo conſilio fecit, vt calumniatoribus, qui Chriſtianos rebellionis & inobedientiæ accuſabant, ora occluderet: diſertè & quidem valdè ſeriò & grauiter, ad obſequium ciuili magiſtratui præſtandum; fideles exhortando: quem finem itidem S. Paulus propoſitum habuit.

Rom. 13. Aiunt iſti: *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Quis abnuit? ergo & Eccleſiaſtica poteſtas, æquè eſt à Deo ac ciuilis: Quamuis verò omnis poteſtas à Deo deſcendat; non oportet tamen, vt quiuis cuiuis poteſtati ſubiectus ſit; ſatis eſt, ſi ſuæ. Etiam Imperatoria & regia poteſtas à Deo eſt. An ideo Veneti ſubiiciuntur Imperatori vel Regibus? An ideo poteſtatem Dei contemnunt, quia leges Imperatoris noſtri, vel Regis Hiſpani, aut Gallicani non obſer-

obſeruant? Idem cogita & ſtatue de clericis reſpectu poteſtatis ſæcularis & legum ciuilium.

Addit Apoſtolus. *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Si ſcilicet ſint ſub illa poteſtate; cui reſiſtunt: nam ſi non ſubſint; Dei ordinationi minimè reſiſtunt; quia reſpectu illorum non eſt Dei ordinatio; ſed tantū reſpectu ſubditorum. Num quæſo Veneti Dei ordinationi reſiſtunt; ſi leges ab Imperatore pro Imperio latas renuant; aut leges pro regno Caſtellæ conditas non recipiant? Quam argutum eſt, quod recentior Marſilius ex hoc Apoſtoli dicto colligit; *principes ſæculares habere auctoritatem condendi leges in quacunque materia; quæ obligent omnes perſonas*. Ergóne etiam in materia ſpiritali ad fidem, doctrinam, & diſciplinam pertinente? Nam quod Theodoſij & Iuſtiniani leges oggerit, fruſtrà eſt; Notum eſt iſtos tranſcendiſſe limites; vt rectè monet Illuſtriſſimus Bellarminus: Qualia de matrimonio & diuortiis ſanxit Iuſtinianus? Quis hodie tueri audeat, vel excuſare? ſi poteſtas ſæcularis ferre poteſt leges, quæ obligent omnes perſonas, hoc eſt, omnes homines; poterit ergo Veneta poteſtas ſæcularis condere leges, quæ obligent Gallos in Gallia; Germanos in Germania; Hiſpanos in Hiſpania: quia inter omnes homines vtiq; & iſti continentur.

Marſil. lib. octo propoſit.

Bell. contra lib. octo propoſit.

Dicet Marſilius: ſe per omnes perſonas, intelligere; *omnes perſonas poteſtati illi ſubditas*: Non repugno; prius ergo probet, clericos ſæculari poteſtati eſſe ſubditos; & tunc ſuas nobis næniolas decantare pergat.

Ad dit nouus Marſilius. *Vlterius præcipit Apoſtolus, ab omnibus dandum eſſe tributum. qui enim Principi tributum dat, Deo dat; cui vectigal, vectigal, cui tributū, tributū. ſunt. n.*

 mini-

miniſtri Dei ad tributa. Quàm verè & aptè citet iſte ſcripturas oſtendit Illuſtriſſimus Bellarminus; qui & alias hominis huius affanias ſolidè refellit. Quæ de tributis Apoſtolus memorat; pertinent ad illos; qui poteſtati ſæculari ſubiiciuntur, nõ ad non ſubiectos. Imperatori tributa pendenda ſunt. Sed à quibus? An non à ſubditis? vtique. Alioqui & Veneti deberent Imperatori vi huius monitionis Apoſtolicæ tributa pendere. Quod non concedent. Et quare non debent pendere; niſi quia non ſunt ſubiecti? Sic & clerici; pendere non debent; quia non ſunt ciuili magiſtratui ſubiecti. Hinc Apoſtolus ſubiunxit. *Reddite ergo omnibus debita.* Non iubet omnibus omnia reddi: Sed debita. Ergo, qui tributum debet; is reddat tributum. *Cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.* Vnuſquiſque ergo id, quod debet reddendo; Apoſtolicæ huic iuſſioni ſatisfacit. Si nihil debet, nihil ergo tenetur reddere.

Obſeruetur autem inſignis Marſilianiſmus Paduanus in hoc recenti Marſilio à Neapoli. Negat Eccleſiam habere poteſtatem puniẽdi reum quempiam pœna mortis. Neſcio, inquit Illuſtriſſimus Bellarminus, ſimilia vbi legerit, niſi fortè apud hæreticos, Waldenſes, Huſſitas, Marſilium de Padua, & eiuſmodi farinæ homines, qui Eccleſiæ & ſpiritualem & materialem gladiũ adimebant; Verum eſt, Eccleſiam materiali gladio non vti, nec reos pœna mortis afficere; verùm; non ideo, quod nequeat, ſed quia manſuetudini Eccleſiaſticæ cõſentaneum non videtur; atque ideo eiuſcemodi delinquentes ad iuſtitiam ſecularem remittit.

Verè dixit Cardinalis doctiſſimus Marſilium iſtum talia non legiſſe, niſi apud ſibi cognominem Marſilium

de Pa-

de Padua; qui in ſuo Defenſore pacis p. 2. cap. 9 & 10. omnem ſimpliciter Eccleſiæ poteſtatem coactiuam negat, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus.

Vrgent cauſſæ Venetæ patroni, Marſilius, F. Paulus & alij etiam hoc argumentum. *Paulus Act. 25. appellauit ad Cæſarem, ergo agnouit Cæſarem pro ſuo legitimo iudice; quia peccatum mortale fuiſſet appellare ad incompetentem iudicem*, inquit F. Paulus in ſuis conſiderationibus ſupra *Breue* Pontificis. Hoc argumentum eſt, vt dici ſolet, *in terminis* Marſilij de Padua, qui iſta. *Hoc* (clericos eſſe ſubiectos ſæculari poteſtati) *confirmat ſermo, & exemplum operis manifeſtum B. Pauli Apoſtoli.* Nam *de ipſo legitur Actuū 25. quod ipſe refugiens ſacerdotum iudicium coactiuum, dixit apertè: Cæſarem appello. Et rurſum: Ad tribunal Cæſaris ſto, vbi me iudicari oportet. dicit gloſſa interlinearis: quia hic eſt locus iudicij. Ergò, ſacerdotum refugiens iudicium, faſſus eſt, ſe coactiua iuriſdictioni Cæſaris fuiſſe ſubiectum. Sed, credendum eſt ne, Apoſtolum fictè dixiſſe: Ibi me iudicari oportet (id eſt, apud Cæſarem) metu mortis*, &c. *Quis enim demens æſtimabit, Apoſtolum ſuo verbo tantum crimen commiſiſſe protelandæ vitæ gratia; vt omne ſacerdotium indebitè ſubiiceret ſuo exēplo & doctrina, iuriſdictioni Principum ſeculi, ſi hoc inconueniens, & indebitum reputaſſet? Melius enim fuerat illi, non aſcendere in Hieroſolymam, qui à nullo compellebatur, quàm aſcendere, & mentiri, contra ſe ipſum, & proximum. Et ideo, quia hoc nefas eſt æſtimare de ipſo, apparet ipſum id ſenſiſſe mente, quod ore protulit. Et, ſecundum imitationem magiſtri ſui, quo noluit eſſe ſuperior, Chriſto videlicet, qui nedum Cæſarem, verumetiam Pilatum, eius vicarium, ſuum mundanum iudicem recognouit, dum dixit, Io. 19. Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam*, &c. Hæc Marſilius: qui ſtultè ſibi perſuadet, Apoſtolum ad ſacerdotes Iudaicos appellare

In Defenſ. pacis p. 2. cap. 5.

debuiſſe; ſi clerici non ſint ſubiecti principibus: quaſi verò ſacerdotes illi competentes fuerint S. Pauli Iudices exſtincta iam & ſepulta Synagoga per mortem & paſſionem redemptoris.

Iſſen. in Defen. Huſſi Tom 1. operum Huſſi.

Eodem argumento vſus eſt Huſſi aduocatus Ioann. Iſſenitz. *Etiam Paulus Doctor gentium plus iuri poſitiuo & priuilegio clericali derogans aduerſus iniurioſos prælatos, imò Summos Pontifices in Hieruſalem ad Cæſarem appellauit.*

Ipſe Huſſus libro *de ablatione bonorum temporalium à clericis. Paulus cognoſcens ſe eſſe ſub iuriſdictione Cæſaris, appellauit ad Cæſarem.* Vident iſti, quos in hoc argumento Duces habeant; Ad hoc argumentum, inquit Card. Bellarminus, à nonnullis hæreticis propoſitum optimè reſpondet Card. Turrecremata lib. 2. cap. 96. ſuæ ſummæ: S. Paulum fuiſſe coactum appellare ad Cæſarem; & eum pro iudice ſuo agnouiſſe, de facto, non de iure. Tunc enim poteſtas S. Petri nõ agnoſcebatur, nec credebatur: atq; adeo, ſi Paulus dicere voluiſſet, non cognoſcere ſe alium iudicem, quàm Vicarium Chriſti, riſum excitaſſet Iudæis, à quibus erat accuſatus, & gentilibus, à quibus erat iudicandus; & ita, ipſemet dicit, coactus ſum appellarem Cæſarem.

Quod Frater Paulus de peccato mortali addit, id ſomniis deputa. Scilicet peccatum mortale eſſet, ſi quis in media Anglia vel Saxonia ſacerdos in Caluiniani vel Lutherani præfecti poteſtatem delapſus, vrgentibus & inſtantibus Caluinianis vel Lutheranis Prædicantib. vt ſibi traderetur, certiſſimo cũ periculo vitæ, appellaret ad Regem Angliæ vel Ducem Saxoniæ, certa ſpe; ſecitius ius impetraturum à Rege vel principe; & melius quoque inſidias ſibi ſtructas & diſcrimina vitæ euitaturum. Talis ſcilicet ſacerdos mortali ſcelere ſe obſtringit; quia non appellat ad Pontificem aut ad Diœceſanum

num ſuum; cuius apud aduerſarios, quorum manibus tenetur, nulla prorſus eſt auctoritas; nec huius appellationis alius fructus vel euentus eſſet, quàm riſus, irriſio, & ludificatio.

CONSIDERATIO SEPTIMA.

Argumenta, quæ à dictis & factis Chriſti ducunt, eſſe à Marſilio, Huſſo, & aliis hæreticis.

ETIAM à dictis & factis Chriſti petunt iſti argumenta. Audiamus Marſilium à Neapoli: *Marſil. lib. octo propoſit.* *Chriſtus Saluator noſter, licet tanquam filius Dei æqualis Patri, Rex ſit regum, & Dominus dominantium: nihilominus cùm veſtitus eſſet carne noſtra mortali; nec ante mortem, nec poſt ſanctiſſimam eius reſurrectionem; vnquam exercuit poteſtatem Principis temporalis. Non habuit regnum temporale, vt dixit ad Pilatum: Rex es tu? tu dicis, reſpondit, Verùm, aduerte, licet Rex ſim, nihilominus regnum meum non eſt de hoc mundo, id eſt, temporale. Ideo, quando populi illi, ab eo miraculosè quinq; panibus, & duobus piſcibus paſti, eum Regem facere volebant, aufugit, ne raperent, & facerent eum Regem. Nec iudicare voluit; Vnde cupientibus, vt ſententiam in quadam eorũ controuerſia ferret, &c. reſpondit; quis me conſtituit iudicẽ ſupra vos?* Nunc audiamus damnatum Marſil. à Padua. *Marſil. in Defenſ. pacis p. 2. cap. 4.* *Proſequẽtes propoſita monſtrare volumus, quod ab officio principatus, ſiue contentioſæ iuriſdictionis, regiminis, ſeu coactiui iudicij cuiuſlibet in hoc ſæculo ſecundum propoſitum, ſeu intentionem, ſermonem, & operationẽ, ſeipſum & Apoſtolos Chriſtus excludere voluit, & excluſit. Hoc autem primùm apparet indubiè per ſeriem Euangelicam Ioannis 18. Dũ enim Chriſtus accuſatus eſſet Pontio Pilato Vicario Romani Principis in Iudæa, ex eo, quod ſe dixiſſet Regẽ Iudæorũ, interro-*

gante Pilato, an hæc dixiſſet, aut, ſi ſe regem diceret, reſpondit inter cætera Chriſtus ad Pilati quæſitum verba hæc: regnum meum, non eſt de hoc mundo, id eſt, regnare non veni regimine, ſeu dominio temporali, quomodo regnant mundani reges, cuius quidem probationem ſubdit ipſemet Chriſtus per ſignum euidens, cum dixit: ſi ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. quaſi, ſic argueret Chriſtus; ſi veniſſem regnare in hunc mundum mundano regimine, ſeu coactiuo, haberem miniſtros huius regiminis, decertatores ſcilicet, ac tranſgreſſorum coactores, quemadmodum ceteri reges habent; ſed, tales miniſtros non habeo, vt tu manifeſtè videre potes, &c.

Poſt multa in hanc ſententiam, ſubiicit Marſilius de Padua. *Legitur Ioannis ſexto, quod Ieſus, cum cognouiſſet, quia venturi eſſent, vt raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus. Vbi gloſſa interlinearis: A quo deſcendit paſcere turbas, proſpera mundi docens fugere, & contra ea orare. Certum eſt igitur, quod Chriſtus fugit principatum, aut ſuo nihil nos docuiſſet exemplo.*

Infrà: *Amplius oſtenditur idem euidentiſſimè verbo, & exemplo Chriſti; vbi Luc. 12. habetur hæc ſeries; Ait autem quidam ei de turba: Magiſter, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille, Chriſtus ſcilicet, dixit ei; Homo, quis me conſtituit iudicem, aut diuiſorem ſuper vos? Quaſi diceret; propter hoc officium exercendum non veni, nec ad hæc miſſus ſum; per iudicium ſcilicet lites ciuiles dirimere, quod tamen nulli dubium eſt, opus propriiſſimum principantium, ſeu iudicum eſſe ſeculi. Et licet re vera ſeries Euangelica patentiſſimè contineat, & demonſtret propoſitum noſtrum, amplius quàm gloſſa ſanctorum, eo quod ſenſum literalem, qualem dicimus, tanquam manifeſtum ſupponentes, vbique ſe magis ad allegoricum, ſeu myſticum conuerterunt, eas tamen induximus ad maio-*

maiorem propoſiti confirmationem, & ne temerariè ſcripturã dicamur exponere,&c.

Hæc exſcripta & recitata oportuit,vt videamus,ex quibus Topicis iſti argumenta petant; ex Marſilianis ſcilicet, iam dudum Eccleſiæ decreto damnatis,& nuper Caluiniſtæ cuiuſdam opera planè non neceſſaria,in lucem extractis.Hæc tamen omnia; quæ ſiue vetus ſiue recens Marſilius,ſiue alij cauſſæ Venetæ aduocati differunt,prorſus nihil ad propoſitum præſentis negotij faciunt,vt rectè notauit Illuſtriſſ.Card.Bellarminus.Nam vtrum Chriſtus ſecundum humanam naturam habuerit dominium quoddam politicum rerum omnium, commune, hoc eſt,non excludens propria dominia aliorum,quod eſſet & inferius dominio diuino, vtpote ab eo dependens, & ſuperius ordinariis dominiis aliorum hominum,vtpote ſe extendens non ad has vel illas res tantùm, ſed ad omnes omnino; atque adeò vtrum ſecundum humanam naturam Rex temporalis directè & immediatè fuerit; non conuenit inter Theologos. Quidam enim affirmant; alij probabilius negãt;de quibus vide Gregorium noſtrum de Valentia. *Valent. Tom. 4. D. 1. q. 22. p. 6.*

Quidquid dicatur,nihil ad rem facit.Nam ſi Rex tẽporalis fuit; eò magis apparet vanitas eorum;quæ vterque Marſilius blatit.Nec valet conſequentia *Non exercuit actus huiuſmodi Regis aut Regni; ergo non fuit talis Rex*: Perinde ac ſi diceret:Iſte vel iſte non exercuit in hoc vel illo loco aliquem actum Doctoris,aut Magiſtri,ergo nõ eſt Doctor vel Magiſter. Rex Galliæ Venetiis non exercet aliquem actum Regium , & Dux Venetus in Gallia non exercet aliquem actum Ducalem ergo Rex Galliæ Venetiis non eſt Rex; & Dux Venetus in Gallia non eſt Dux. Acutè ſcilicet. Nec paſſus eſt ſe Regem

particularem conſtitui: cum præiudicio eius, qui tunc Iudææ dominium tenebat; quia, vt hæc opinio vult; Rex vniuerſalis erat; cuius dominium particularia dominia aliorum non euertebat: nec venerat; vt hanc regiam poteſtatem tunc exerceret; quia venit, ipſomet teſtante, non *miniſtrari*; ſed *miniſtrare*; & vt doceret cõtemptũ rerum temporalium, exemploque ſuæ humilitatis & obedientiæ; viam ad paradiſum ſuperbis & immorigeris monſtraret. Sed non moror hanc ſententiam; (quam in ſcholis nunquam ſecutus ſum, neque modò amplectendam cenſeo) neque ad veritatis defenſionem, de qua nunc ſermo; requiritur. Quia ſemper vana & inanis eſt hæc conſequentia. *Chriſtus, qua homo, non fuit Rex temporalis eo ſenſu & modo, quem antea expoſuimus, & quo Theologi quidam & Canonum periti tradunt, CHRISTVM temporalem Regem fuiſſe: ergo Vicarius CHRISTI, Petri ſucceſſor; PAVLVS Quintus Pontifex Maximus, non potuit excommunicare Venetos, eorumque ditionem Interdicto ſubiicere propter leges in fraudem Eccleſiaſticæ libertatis & immunitatis conditas; licet illæ leges alioqui tantum diſponant de bonis temporalibus & Eccleſiaſticorum perſonis ſeu corporibus*: non valent, inquam, hæc & ſimiles conſecutiones, quas iſti innuunt, quia ex fide certũ eſt, Chriſtum, vt hominem, fuiſſe & eſſe Regem ſpiritualem, cuius poteſtas primariò & directè circa ſpiritualia; ſecundariò, & ex conſequenti etiam circa temporalia verſari poterat, & etiamnum poteſt; ita, vt de quibuſcunque rebus creatis & temporalibus ſtatuere & ordinare poſſet, & poſſit ea omnia, quæ ad ſpiritualem finem vel neceſſaria vel conducibilia exiſtimantur: & hanc poteſtatem dicimus ſuo modo Sancto Petro

tro & ſucceſſoribus eius à Redemptore noſtro conceſſam. Dico, *ſuo modo*; quia in CHRISTO fuit & eſt hæc auctoritas longè amplior & diffuſior, cum ad omnes omnino res creatas ſeſe extendat; & per eandem quoque Sacramenta inſtituere potuerit: qua latitudine & amplitudine non eſt hæc poteſtas data Summo Pontifici; ſed eâ, quæ ſufficit ad rectam Eccleſiæ gubernationem; & in hoc conſiſtit, vt & primariò & directè verſetur circa ſpiritualia; indirectè, & ex conſequenti etiam ad temporalia extendatur, ita vt ſtatuere poſſit de iis rebus temporalibus, quæ vlli poteſtati intra Eccleſiam ſubiaceant; quidquid neceſſarium eſt ad tuendum Eccleſiæ bonum ſpirituale. De qua refuſius Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus in controuerſia de Pontifice, & GREGORIVS de Valentia in materia de Fide.

Ex quibus eluceſcit quàm fragile & infirmum ſit hoc argumentum: *Pontificis poteſtas eſt ſpiritualis, ergo ne indirectè quidem ſe extendit ad temporalia.* Vtitur hoc argumento Marſilius nouus in quarta ſua propoſitione: qui, vt virus ſuum vberius effundat, addit; *Papa poteſtatem eſſe merè ſpiritualem.* Sed ſi hæc collectio aliquid efficit; efficiet & iſta hoc: *Poteſtas DEI eſt merè ſpiritualis; ergo non extendit ſe ad temporalia; ne indirectè quidem.* Similiter ac ſi Philoſophus aut Theologus dicat: *Angelus eſt creatura merè ſpiritualis; ergo non poteſt intelligendo, vel volendo rem materialem attingere.*

Celat Marſilius ſub illo *merè*, merum venenum. Nō enim vult poteſtatem Pontificis, quoad naturam, &, vt ſic loquar, *entitatem* ſuam eſſe *merè* ſpiritualem; quod

fortè ferri poſſet; ſed eſſe *merè* ſpiritalem ratione obie-ᶜ ̈ti,quaſi ne indirectè quidem circa res externas & temporales verſari valeret:& hoc tã falſum eſt;quàm falſum eſſet; ſi quis diceret; intellectum eſſe potentiã *merè* ſpiritualem ratione obiecti;hoc eſt, ſola ſpiritualia intelligere; & ne ex conſequenti quidem materialia.Si dicas cum Marſilio: *Chriſtum in hac vita nunquam vſum hac etiam poteſtate, vt circa temporalia indirectè diſponendi; ergo nec Chriſti Vicarium id poſſe:* hoc perinde eſt; ac ſi dicas: Chriſtus neminem excommunicauit, dum in hac mortali vita degeret; ergo nec Pontifex quempiam excommunicare poteſt.Cur Chriſtus poteſtate illa iudicandi, & circa temporalia aliquid ſtatuendi non ſit vſus; cauſa alia non fuit; quàm quia non venerat *miniſtrari*;ſed miniſtrare; Venerat non iudicare;ſed *iudicari*: perque ſalutiferam ſuam mortem ſalutis iter aperire.ſatis eſt; quod poſtea fundatâ & conſtitutâ Eccleſiâ, hanc poteſtatem Vicario ſuo exercendam reliquit: *Tibi dabo claues regni cælorum: paſce oues meas.*

Quod Marſilius ex facto Chriſti, quo noluit de hæreditate diuidenda cum fratre aliquid ſtatuere; colligit; Chriſtum iudicandi poteſtate non fuiſſe præditum: ſimiliter agit;ac ſi quis diceret: Hic vel ille Doctor Theologiæ noluit cõtendentibus inter ſe duobus vel tribus, ſententiam ſuam interponere; quantumuis rogatus,& ad hoc faciendum inuitatus;ergo nõ eſt Theologiæ Doctor.Marſiliana prorſus conſequentia.

Addit nouus Marſilius cum ſuis adiutoribus. *Chriſtus Miniſtrum Cæſaris Pilatum pro ſuo iudice agnouit. Non haberes in me poteſtatem, niſi tibi data eſſet deſuper.* Eſt & hoc imbelle iaculũ ex veteris Marſilij pharetra depromptum. Audite: *Dum Chriſtus ad Pilatum, Cæſaris Vicarium eſſet*

Marſi. in Defenſ pacu c 4.

eſſet adductus, accuſatus etiam ex eo, quod ſe Regem Iudaeorum, atque filium Dei dixiſſet: Pilato quoque interrogante Ieſum, Vnde es tu? Ieſu autem ad hoc ei nullum dante reſponſum, dixit Pilatus ad ipſum verba conſequentia, & noſtro propoſito attinentia, quorum ſeries talis eſt: Dicit ergo ei Pilatus; mihi non loqueris? &c. *Ecce, quod Ieſus non negauit, Pilatum habere poteſtatem ipſum iudicandi, & in ipſum, iudicium exequendi. Nec dixit: hoc non pertinet de iure ad te, imò de facto id facis, ſed addidit Chriſtus; hanc poteſtatem habere deſuper,* &c. *Fuit ergo iudicialis coactiua poteſtas Pilati ſupra Chriſti perſonam à Deo, ſicut apertè Chriſtus confeſſus eſt, & Auguſtinus palàm expreſſit; & apertè dixit Bernardus ad Archiepiſcopum Senonenſem epiſtola quadam,* &c.

Ad hoc argumentum reſpondet Illuſtriſſimus Car. Bellarminus hoc modo: Ad ea verba; *non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi data eſſet deſuper*: quibus videtur Chriſtus Pilatum pro iudice ſibi à Deo dato agnoſcere, reſpondetur; in eo loco per poteſtatem, intelligi permiſſionem; &, ſenſus eſt eius loci: Pilatum nihil potuiſſe facere aduerſus Chriſtum, ſi Deus id non permiſiſſet; vt, eodem modo alius locus intelligitur: Hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum, Luc. 12. Et hæc reſponſio, eſt SS. Patrum, Chryſoſt. & Cyrilli in expoſitione cap. 19. S. Ioannis. Verùm, quia S. Thomas in cap. 13. epiſt ad Rom. intelligit eum locum de poteſtate, quã habent Principes à Deo; dicimus, poteſtatem Pilati; vt miniſtri Cæſaris fuiſſe à Deo, à quo omnis legitima deſcendit poteſtas. Sed, quod hæc poteſtas ad Chriſtum ſe extenderit, factum eſt ex ignorantia Pilati; qui dignitatem Chriſti neſciebat, atque ideo, tanquam priuatum eius patriæ ciuem iudicabat: quemadmodũ, ſi hoc tempore clericus ſub nomine laici, & in habitu laico ſiſte-

Bellarm. lib. cõtra octo propoſit. & lib. 2. de Pontif. Rom. cap. 29.

retur iudici ſeculari, poſſet iudicari ea poteſtate, qua alij laici iudicantur: non ideò tamen ſequitur, clericos iudicio Laicorum eſſe ſubiectos; aut CHRISTVM ſubiectum fuiſſe iudicio Pilati. Hæc Cardinalis Bellarminus.

Ex quibus vterque Marſilius & verus & nouus ſolutionem habent ad ſuam obiectiunculam. Marſilius antiquus hæc inſuper addit. *Si Pilati iudiciaria poteſtas coactiua in* CHRISTVM *fuit à Deo, quanto magis & ſupra ipſius temporalia, ſeu carnalia bona, ſi qua* CHRISTVS *poſſediſſet, auctoritatem habuiſſet. Quod ſi ſupra Chriſti perſonam, & ipſius temporalia; quanto magis ſupra perſonas & temporalia omnium Apoſtolorum, & ſuorum ſucceſſorum, omnium Epiſcoporum, ſeu Presbyterorum.* Nihil ſupereſt, quàm vt quis adiiciat: *ſed falſum prius; ergo falſum quoque poſterius:* nam iudiciaria poteſtas Pilati de facto fuit in CHRISTVM, non de iure; ſicut poſtea iudicaria poteſtas Neronis de facto fuit in Petrum & Paulum; nō de iure; & hodie iudiciaria poteſtas Caluiniſticorum Principum de facto eſt in ſacerdotes catholicos, non de iure. Notat etiam Cardinalis Toletus in prædictum S Ioannis locum, & Franciſcus Soarius in tertiam partem S. Thomæ, *poteſtatem* accipi dupliciter: Primò, pro *iuriſdictione.* Secundò, pro *vi & facultate puniendi & occidendi.* Primam negant, Pilatum habuiſſe in Chriſtum. Secundam, concedunt habuiſſe; ipſo Chriſto volente, qui ſe Pilato volens libensque ſubiecit, vt ſubditus; & tractari ſe permiſit, vt ſubditum: & hanc etiam poteſtatem Pilatus non habuiſſet, niſi deſuper à Deo conceſſa fuiſſet: quia Deus permiſit, vt hac ſua facultate & vi punitrice Pilatus in CHRISTVM vti poſſet. Obſeruetur autem, non adeò inopinū & inſolens cenſeri debere, quòd Veneti Theologi

To. 2 diſp. 36. Sect. 1.

logi Pontificem, Epiſcopos & alios clericos poteſtati ſæculari ſubdere tentant; cum ipſum Chriſtum, naturalem Dei filium; & omni creatura ſuperiorem, non dubitent profani & impij hominis iuriſdictioni ſubſternere. Quæ omnia ex damnati Marſilij Paduani fontibus hauſta ſunt.

Obiiciunt nouus Marſilius, & ſocij eius, etiam hoc argumentum. *Chriſtus Matth. 22. præcepit; vt quæ ſunt Cæſaris, reddamus Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.* Idē iiſdem propè verbis decantat nobis Marſilius antiquus & damnatus. *Nunc conſequenter reſtat oſtendere*, inquit damnatus Marſilius, Patronorum Venetæ cauſſæ Patronus valentiſſimus; *Chriſtum ipſum non ſolùm huius ſeculi principatū, ſeu coactiuum iudicium in hoc ſeculo nō recuſaſſe; propter quod ſic agendi Apoſtolis, & diſcipulis ſuis, ac ipſorum ſucceſſoribus dedit exemplum: verùm etiam ipſum ſermone docuiſſe, ac exemplo monſtraſſe, cunctos tam ſacerdotes, quàm non ſacerdotes, ſubeſſe debere realiter, & perſonaliter coactiuo iudicio Principum huius ſaculi. Sermone quidem igitur, & exemplo ſui monſtrauit Chriſtus hoc primum in realibus, per id, quod habetur Matt. 22. Nam interrogantibus Iudæis ab ipſo; Dic nobis, quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non? His Chriſtus, inſpecto denario, & illius ſuperſcriptione, reſpondens ait: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Vbi gloſſa interlinearis, tributum, & pecuniam,* &c. *In realibus ergo, ſubiici voluit Chriſtus Principi ſeculari.* Iſti fumi vnico verbulo diſpelluntur. Nemo enim negat Cæſari reddēdum tributum ab eo, qui ratione ſubiectionis tributum Cæſari debet; & ad illud pendendum obligatus eſt: quā obligationem negamus cadere in clericos.

P. 2. Defenſ. pacis, cap. 4.

Vlterius: *Chriſtus ipſemet dedit tributum poteſtati ſaculari, pro ſe & Petro: agnouit ergo ſe ciuili magiſtratui ſubiectum.*

ctum. Hic iterum in nouo Marſilio & collegis audio priſcum, qui iſta. *oſtenditur rurſum idem ex Matth. 17. vbi ſic ſcribitur; Acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrum, &c. & conſequenter, paucis interpoſitis, ſubditur, quod Chriſtus dixit Petro: Vt autem non ſcandalizemus eos, &c. nec dixit tantummodo Dominus, da eis, ſed dixit, da eis pro me, & te, &c. Quo igitur modo ex virtute verborum Euangelicæ ſcripturæ, ſunt exempti Epiſcopi, & Presbyteri ab hoc, nec vniuerſaliter à Principum iuriſdictione, niſi gratioſa eorum conceſſione, cùm Chriſtus & Petrus exemplum præbentes aliis, tributa ſoluerint? Et, licet Chriſtus ſecundum carnem de ſtirpe regia, hoc non debuiſſet fortaſſe, Petrus tamen de ſtirpe regia non exiſtens, nec talem exemptionis habebat cauſam, ſicut nec habere voluit. Quod ſi Chriſtus putaſſet inconueniens, futuros ſibi ſucceſſores in officio ſacerdotali, tributa ſoluere, ac ipſorũ temporalia ſubiecta fore Principibus ſeculi; potuiſſet ipſe abſque mali exempli exhibitione (videlicet ſubiiciendi ſacerdotium iuriſdictioni Principum ſeculi) aliter ordinaſſe, atque expediuiſſe illos exactores didrachmæ, vt puta remouendo ipſis petendi talia intentionem, aut alio conuenienti modo; ſic autẽ facere non reputauit conueniens; quin imò ſoluere voluit, ſingulariter inter Apoſtolos Petrum ſibi aſſocians in hoc. Qui tamen, Eccleſiæ præcipuus Doctor, & Paſtor futurus erat, vt tali exemplo, aliorum nullus ſic facere recuſaret, &c.*

Hæc & plura talia prorſus inſulsè Marſilius antiquus, quæ tamen ad noui Marſilij palatum iucundè accidunt; quia glãdibus Marſilianis valde paſcitur. Vt vt ſit; Chriſtus vectigal ſoluit, non quia debuit; ſed quia voluit: non ex neceſſitate; vt Marſilij iſti volunt; ſed ex *beneplacito* & *condeſcenſione*: eo modo, quo hodie multi clerici, præcipuè peregrini & exteri, pendunt tributum exactoribus: non quia debent; ſed partim, vt vexationem redimant,

&ab

& ab importunis flagitatoribus ſeſe expediant, partim, ne aliis ſint offendiculo.

Ferè excidiſſet Huſſum quoque vſum eſſe his poſtremi duobus teſtimoniis ad principum & ſæcularium magiſtratuum iuriſdictionem in clericos demonſtrandam, vt illi proinde non tantùm Marſilio Paduano; ſed & Huſſo magiſtro & anteſignano gloriari queant. *Huſſ. li. de ablatione bon. Temporal. à Clericis.*

Quæ Marſilius propoſitione quarta diſſerit, ea omnia ſunt ex Marſilij penu deprompta; ita, vt vix dubitem damnatum Marſilium ab ipſo expilatum. Vult recens iſte Marſilius, Pontificis poteſtatem eſſe merè ſpiritualem: neque, ad vllam rem temporalem, etiam indirectè extendi, ſed, ad ſolas animas pertinere. Videamus iam, quid vetus Marſilius canat. Poſtquam capite quarto & quinto probare contenderat, Chriſtum & Apoſtolos, & per conſequens; Epiſcopos & Clericos fuiſſe & eſſe ciuili magiſtratui ſubiectos, in capite ſexto diſputare ingreditur de vera Clericorum, vt loquitur, *poteſtate*; ſuppoſitis, ſed peſſimè expoſitis, pro fundamento illis verbis: *Tibi dabo claues regni cælorum*. Math. 16. Et *quæcunque alligaueritis ſuper terram, &c.* Math. 18. Ioan. 20. Summa diſputationis hæc eſt; hanc clauium poteſtatem Petro & ſacerdotibus cōceſſam, *merè* ſpiritualem eſſe: nec vllam rem temporalem attingere; & ad ſolam peccatorum remiſſionem pertinere. Et de hac ipſa remittendi peccata poteſtate, planè Lutherano & Caluiniano more diſſerit; dum ſolum Deum peccata remittere; ſacerdotem autem nil aliud agere dicit, quàm quòd eum, *qui confeſſus eſt, in facie Eccleſiæ à Deo abſolutum oſtendit*. Quanquam poſtea Marſilius ex liberalitate has claues etiam ad excommunicandi poteſtatem transfert; hanc tamen ſacerdotibus ita tribuit, vt penitus auferat; dum illis omnem

coactionem ſeu facultatem coactiuam negat; nihilque aliud ab eis agendum cenſet; quàm vt iudicent & cognoſcant, quis excommunicationis pœna plecti debeat; & poſt cognitionem magiſtratui, & quidem ciuili, pœnam excommunicandi, hoc eſt, à fidelium cœtu ſegregandi, relinquant, quemadmodum Medici eſt iudicare & cognoſcere quis lepra laboret; at à cōſortio communialiorum non medicus, ſed ſolus magiſtratus lepro-ſum per vim coactiuam expellere poteſt.

Hæc vetus Marſilius; cuius doctrinæ non modica ſemina ſparſit nouus Marſilius, dum poteſtatem ſancto Petro & ſucceſſoribus datam *merè* ſpiritalem ratione ſcilicet obiecti, appellitat; eamque ad remiſſionem peccatorum & ad excommunicationem reſtringit; ipſamque excommunicandi poteſtatem non abſolutam, ſed *conditionatam*, non ſine fraude vocat; quaſi verò poteſtas ciuilis maleficos pœna mortis mulctandi dici aut nō queat aut non debeat abſoluta; eò quod præſupponat crimen ſeu maleficium. Si hæc poteſtas abſoluta rectè dicitur, cur non eodem nomine afficeretur poteſtas excommunicandi; licet pręſupponat peccatū & contumaciam? Agnoſco in his omnibus oua Marſiliana; ab iſto nouo Marſilio poſita, & forſan ab ipſomet, vel alio ſuo tempore excludendā; quæ Marſilianas viperas nobis dabunt: Inter cæteras etiam hanc: *Pontificem cuius poteſtas merè ſit ſpiritalis, & temporalia ne attingat quidem; non potuiſſe Eccleſiaſticas perſonas, earumque bona à poteſtate ciuili eximere; cum ad ſolas animas*, vt loquitur nouus Marſilius, hoc eſt, tantum *ad res ſpirituales; non autem ad iſta externa poteſtas pontificis extendatur*. Hinc totius Iuris Canonici & omnium Decretalium auctoritas ruet; ſicut eandem ob cauſſam ruit apud Marſilium de Padua; qui quod Pontificis poteſtatem

poteſtatem merè ſpiritalem, ad ſolam peccati remiſſionem, & aliqualem excõmunicandi vim pertinere cenſeret; non potuit non niſi contemptim de Pontificum *Decretalibus* & *decretis* ſentire ac loqui; prout manifeſtè apparet non vno loco eius libri, quem *Pacis defenſorem* inſcripſit; in quo vix honorificentius Ius Canonicum tractat, quàm Lutherus.

Quàm Marſilius nouus honorificè de ſacris Canonibus ſentiat, videbis apud Card. Bellar. in Refutatione Propoſitionis Tertiæ.

Vt argumenta ex dictis & factis Chriſti petita concludamus: dico; non valere has conſequẽtias. *Chriſtus fuit verè & directè ſecundum humanam naturam rex temporalis rerum omnium; ergo & Pontifex eſt temporalis Rex rerum omnium, atque adeo totius mundi;* quia Chriſtus non dedit S. Petro & ſucceſſoribus eius omnem poteſtatem excellentiæ; qua ipſe pollebat.

II. *Chriſtus non fuit directè & per ſe Rex temporalis; eo modo, quo dictum; ergo Vicarius Chriſti nihil poteſt circa temporalia indirectè & in ordine ad ſpiritualia diſponere.* Quia licet Chriſti regnum non fuerit temporale ad ſupra dictum modum; ſed ſpirituale; ex tendebat ſe tamen ad res etiam temporales indirectè & ex conſequenti; in ordine ad ſpiritualia.

III. *Chriſtus non eſt vſus vllo actu poteſtatis ſuæ circa temporalia, ne indirectè quidem; ergo neque Pontifex poteſt circa temporalia aliquid diſponere.* Cauſſa, cur non valeat conſecutio, ſupra eſt reddita. Quapropter nihil cauſſæ erat cur Ventura Vincentinus contra ſummi Pontificis decretum diſputaturus hæc & ſimilia præmitteret. 1. *Papa non poteſt pro ſua voluntate ad finem temporalem ſtatuere leges per orbem.* 2. *Papa non eſt rex temporalis Franciæ, Hiſpaniæ, aliorum regnorum, & Rerum publicarum, nec aliarum ciuitatum, extra eas, quas poſſidet.* 3. *Papa non eſt dominus earum prouinciarum, quas habent infideles.* 4. *Papa non eſt dominus*

Vent. in Conſilio ſuo ſuper Controuerſ. inter Pontif. & Venetos

totius orbis Chriſtiani. 5. Papa non habet dominium directum in temporalibus, extra ciuitates, quas poſſidet. 6. regnum acquiritur quadrupliciter. 7. Chriſtus non fuit rex ex hæreditate. 8. Chriſtus non fuit rex ex electione. 9. Chriſtus non fuit rex iure belli. 10. Chriſtus non fuit rex dono ſpeciali. 11. Papa non habet omnem poteſtatem, quam habuit Chriſtus, vt homo mortalis. Hoc nimirum eſt ordiri ab ouo; & non neceſſaria diſceptationi inſerere. Nam licet hæc omnia à nobis concederentur; quid, quæſo, ſubſidij cauſſæ Venetæ adferrent, aut quid noſtræ officerent; & quid aliud efficiunt, quàm quod imperitis fucum faciunt; quaſi hæc talia ſint ſententiæ noſtræ fundamenta.

CONSIDERATIO OCTAVA.

Argumenta ex patribus & hiſtoriis, quæ Patroni cauſſæ Venetæ adferunt, pleráque eſſe ex Marſilio de Padua & Huſſo.

CITANT iſti etiam ſanctos Patres Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Chryſoſtomum, Bernardum; & Scholaſticos S. Thomam, Albertum; Caietanum, Sotum, alios. Quàm peritè, appoſitè & accommodatè id faciant, ſatis ſuperque docuit nos iam ſupra F. Capellus. Aliter ad hoc negotium non proferunt ſanctos Patres, & veteres ſcriptores; quàm Marſilius & Huſſus; qui in his allegandis ſunt creberrimi, ita vt lectorem fermè obruant. Perpetim Marſilio in ore verſatur Auguſtinus, Ambroſius, Hieronymus; Bernardus; Magiſter Sententiarum; Richardus, Gloſſæ Bibliorum; vix tria verba abſque horum ſimiliumque citatione profert. Quàm aptè, ſcitè & verè id præſtet, norunt

noruñt omnes, qui peruerſi illius ingenij indolem norunt. Quem quàm ſtrenuè affectentur nouus Marſilius & ſocij eius, vel ex hoc vno exemplo diſces.

S. Chryſoſtomus in illum Apoſtoli locum; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, ſcribit, *hac non tantùm dici Laicis; ſed & Clericis, & Monachis, & ipſis etiam Apoſtolis & Euangeliſtis.* Quod Chryſoſtomi dictum ita iſti iactant; quaſi certiſſimum ſit; iudicio illius, omnes Eccleſiaſticos politico magiſtratui ſubiici; cum Chryſoſtomus nil aliud velit; quàm quod vult Apoſtolus; videlicet, vnumquemque debere ſuo magiſtratui ſubeſſe, ſiue ſit Eccleſiaſticus, ſiue politicus, vt clariſſimè liquebit ei; qui ipſum Chryſoſtomi Commentarium legerit; cuius nec verba, nec ſenſum nouus Marſilius in ſua prima propoſitione fideliter protulit, aut retulit. Rom. 13.

At iam enumeremus Marſiliana ex Hiſtoriarum monumentis argumenta. *A tempore primitiua Eccleſia vſque ad Iuſtinianum Imp. nullum in Iure legitur priuilegium de Eccleſiaſticis facta exemptione; ergo hac exemptio non eſt de Iure diuino.* Ita nouus Marſilius Propoſitione Quinta. Quæ conſequentia, præter imperitiam Theologicam, inſigni inſcitia hiſtoricâ notabilis eſt; quam huic Marſilio eximere poterat Marſilius de Padua, qui exemptionem Clericorum à Conſtantino Magno repetit. Poterat eandem eximere vel inſpectus ſolummodo Codex Theodoſianus, vbi multæ leges exſtant; quibus à Conſtantino Magno; Conſtantio item & Conſtante filiis Magni Conſtantini, eximuntur Clerici à foro & iuriſdictione ciuili; vt taceam aliorum Imperatorum leges, quæ eandem exemptionem ſtabiliunt; & in eodem Codice exſtant; omneſque Iuſtiniani Imperium longè anteceſſerunt. Defenſ. Pacis p. 2. cap. 25. Cod. Theo. li. 16. Tit. 2. de Epiſcopis, &c.

Poterat hac ipſa de re inſtrui nouus Marſilius à collega ſuo F. Paulo Seruita; qui ſimiliter, vt Marſilius vetus à Conſtantino Magno originem huius exemptionis repetit; qui tamen quàm bona fide dicat hanc exemptionem gradatim creuiſſe à Conſtantino Magno vſque ad Heraclium in Oriente; copioſè oſtendit Ioannes Antonius Bouius in libro Italico, quem contra F. Pauli inconſideratiſſimas *conſiderationes* euulgauit. Quidquid ſit de hoc; Argumentum iſtud: *Conſtantinus Magnus & alij Imperatores, nominatim Iuſtinianus, exemerunt Clericos & res Eccleſiaſticas à Iuriſdictione & poteſtate ſæcularium; vt patet ex eorum conſtitutionibus: ergo exemptio Clericorum ſolo iure humano & ciuili introducta eſt.* maximam ſimilitudinem habet cum argumento iſto; quod Nouatoribus noſtri temporis perpetim eſt in ore & calamo. *Phocas Imperator ſanctionem edidit; qua Romanam Eccleſiā omnium Eccleſiarum primam eſſe declarauit; ergo primatus Eccleſiæ Romanæ eſt à Phoca.* Belliſſimum argumentum, & Veneto illi prorſus gemellum. Quaſi verò Imperatores non poſſint declarare & promulgare, ſi neceſſitas poſtulet; id, quod lege diuina ſancitum eſt. Quod fecit Phocas; inualeſcente Conſtantinopolitanorum Patriarcharum inſolentia & arrogantia; qui caput ſuum ſupra Eccleſiam Romanam attollere conabantur; Hoc ergo ſupercilium, vt Imperator comprimeret; ſua ſanctione, eum Eccleſiæ Romanæ primatum, quem diuina lex ſanxerat; iterum firmauit; firmatumque vniuerſis propoſuit. Similis prorſus eſt ratio exemptionis Eccleſiaſticæ. Nil enim noui legibus ſuis Conſtantinus & alij Imperatores ſanxerunt; ſed quod Eccleſiaſticis iure diuino conceſſum erat; legibus latis declararunt; & explicarunt; & de integro auctoritate etiam Imperiali ſtabilierunt.

F. Paul. in ſuis Conſid. ſupra Breue Apoſt. fol. 67.

Lege Bellarm. li. 2. de Pontif. cap. 17.

II. Argu.

II. Argumentum. *Imperatores Clero multas leges præſcripſerunt; & ad earundem obſeruationem eundem, etiam pœnis propoſitis, compulerunt; vt patet ex multis legibus, quæ adhuc exſtant in Codice Theodoſiano & Iuſtinianeo; ergo Clerici olim erant legibus Imperatorum & principum ſubiecti.* Et hoc eſt; ipſiſſimum Marſilij de Padua argumentum; his verbis comprehenſum. *Sub legibus & ordinationibus ciuilibus Principum vixerunt antiquis temporibus, & dudum totum ſacerdotale Collegium; ab eiſdem, & à populo collationes, confirmationes, & inueſtituras ſuorum officiorum ſeparabilium, vt prælationum, curarum, & reliquorum ſimilium, aut minorum: ac temporalium, ſeu beneficiorum diſtribuendi & diſpenſandi poteſtatem ſuſcipientes. Nec propter huiuſmodi ſubiectiones contendebant Paſtores antiqui Romanorum Epiſcopi aduerſus principes Romanorum; neque aduerſus populum, aut ſingulares perſonas Eccleſiarum patronos; quoniam ad hoc, ſe teneri nouerant diuina, & humana lege, &c.* Ad hanc, & id genus alias obiectiones iam pridem reſponſum eſt; multa olim facta non de Iure, ſed de facto: multa conſenſu ſummi Pontificis & Eccleſiaſticorum, ac proinde licitè. Multa: quia ſpectata temporum ratione, aliter fieri non poterat. Neque hæc talia in conſequentiam trahenda ſunt, niſi etiam Imperatoribus ius de ipſis fidei dogmatibus, deque doctrina Chriſtiana leges condendi tranſcribere velimus. *Marſ. p. 2. cap. 25.*

Eſt & hic inſignis Marſilianiſmus, quod nouus Marſilius negat, à Pontifice Maximo Imperium ad Carolum Magnum perueniſſe. Quæ non modò eſt damnati Marſilij Paduani; ſed & communis hæreticorum huius ætatis opinatio; præſertim Illyrici, & qui Illyricum defendendum ſuſceperat; Matthæi Dreſſeri in ſcripto aduerſus Illuſtriſſimum Cardinalē Bellarminum. Nihil addo; quia

quia mendacium hoc Marſilianum & Lutheranum iam pridem doctiſſimè à Bellarmino profligatum eſt in tribus libris de tranſlatione Imperij, cum quibus ſi conferatur eiuſdem argumenti Tractatus Marſilij de Padua duodecim capitibus conſtans; nuper in publicum, ſuperuacaneo cuiuſdam Caluiniſtæ ſtudio datus; tum dilucidè apparebit, quàm vanus & mendax cum ſuis ſectatoribus ſit Marſilius, quàm verax, conſtans & ſolida veritas à Bellarmino ex antiquorum monumentis explicata.

III. Argumentum. *Otto Imperator depoſuit Ioannem XII. propria auctoritate ob peſſimos mores; ergo Pontifex eſt Imperatori ſubiectus.* Ita nouus Marſilius propoſitione quarta, & alij paſſim.

IV. Argumentum. *Adrianus primus vult, vt Carolus Magnus habeat auctoritatem eligendi Romanum Pontificem in cap. Adrianus; idem fecit in fauorem Ottonis primi Leo VIII. vt in eadem diſtinct. legitur; ergo Imperator eſt ſuperior Pontifice.* Ita Marſilius à Neapoli loc. citato & alij.

Marſil. in Defen. Pacis c. 25. Vtrunque argumentum eſt Marſilij de Padua: *Quod amplius eſt, Ioannes duodecimus per Ottonem primum Romanum Imperatorem ſuis exigentibus demeritis, conſentiente omni populo, tam clero, quàm Laicis, à Papatu depoſitus eſt. Sic etiam, vbi de nono Benedicto agitur in chronico Martini, legitur de duobus electis contentioſè, atque depoſitis imperiali cenſura per Henricum tunc Principem Romanorum, &c.*

Idem Marſilius: *Non praua, neque illaudabilis conſuetudo fuit, per Imperatores Eccleſiæ Romanæ Paſtores inſtitui. Hanc enim auctoritatem, & ampliori modo iam dicto legimus, per omnem Romanum populum, vt per Epiſcopum, Clerum, & alias ſeculares perſonas, Carolo Magno, & Ottoni primo regi Theutonum, & Romanorum Imperatori poſtmodum fuiſſe conceſſam.*

conceſſam. Vnde, in approbatis legitur hiſtoriis (& verum eſt) edictum hoc emanaſſe de populi Romani conſenſu communi; Leo Papa in ſynodo congregata in Eccleſia S. Saluatoris, &c.

Ad prius argumentum Reſpondet Cardinalis Bellarminus Quod attinet ad hiſtoriam Papæ Ioannis, & Ottonis Imperatoris, duæ falſitates, & errores in tam pauculis verbis, *autoritate propria*, continentur, falſiſſimã ſunt de facto, & iure. Dico, de facto. Otto enim ſciens ſe tanquam Laicum non poſſe iudicare Eccleſiaſticum, petiit à Concilio Romæ congregato, vt determinarent illud, quod fieri deberet. *Sancta ſynodus quid decernat, edicat.* Ita loquitur Otto ad Concilium: itaq; Otto non depoſuit ſummum Pontificem, *autoritate propria*, ſed autoritate Concilij. De iure, dico. In nullo enim autore Catholico inuenietur, Papam ab Imperatore deponi poſſe: benè autem Imperatores à Papa. Vt, Otto IV. fuit depoſitus ab Innocentio. III: Fridericus II. ab Innocentio IV. Et multò antea Henricus IV. à Gregorio VII. atq; adeò hîc autor in ſua opinione, præter hæreticos antiquos, & modernos, ſocios alios non habet, & in particulari Marſilium de Padua, vt teſtatur Cardinalis Turrecremata lib. 4. ſummæ, par. 2. cap. 37. Verùm nec à Concilio, iudicari poteſt Papa, niſi in caſu hæreſis, in quo omnes Catholici conueniunt. Et hic eſt alter autoris error. quia Papa Ioannes XII. nõ fuit accuſatus de hæreſi; ſed ſolùm de malis moribus. Et Concilium illud, quod depoſuit Papam Ioann. XII. non fuit Concilium legitimum, ſed Conciliabulum ſchiſmaticum, & acephalum, atq; ideo paulò poſt abrogatum, & caſſatum fuit.

Ad poſterius argumentum Reſpondet idem Card. Bell. Quid commune habet exemptio Eccleſiaſticorum cum nominatione perſonæ ad Pontificatum? ideo hoc

a tempo-

tempore Eccleſiaſtici Galliæ exempti non ſunt; quia rex perſonas nominat vacantibus Eccleſiis? Et vbicunque ſunt iuriſpatronatus: quandoquidem Patroni, qui ordinariè Laici ſunt, habent ius nominādi, deperdita eſt exceptio? Habuerit igitur aliquādiu Carolus priuilegium Papæ, ſede vacante, nominandi aliquem ad Pontificatum; per hoc tamē Imperator non dedit Papæ auctoritatem aliquā, nec eam auferre, aut imminuere potuit, cùm nominatæ perſonæ, aut alias Canonicè electæ Deus ipſe det Pōtificalem poteſtatem; per quam eiuſcemodi perſona, iure diuino, ſit ſuperior, & caput omnium Chriſtianorū, ſiue principum, ſiue priuatorū. Hæc Card. Bellarminus.

Huſſ lib. de Eccleſ. cap. 17. Notandum eſt autem, etiam Huſſum vti ſupradictis argumentis de electione, confirmatione, & depoſitione Pontif. per Imperatores facta; vt proinde iſti non tantùm Marſilio Paduano magiſtro; ſed & Huſſo gloriari queant. Priuilegium, quod Ottoni conceſſum fertur; penitus eſſe commentitium demonſtrat Tomo IX. Annalium optimè & latiſſimè Card. Baronius.

V. Argumentum. *Populus Romanus ab Imperatore olim petebat ſibi præfici Pontificem: Imperator eundem confirmabat; neq; munere ſuo fungi poterat, niſi conſentiēte Imperatore. Nec aduerſabantur in hoc Pontifices Imperatoribus. Imperatori igitur Pontifex ſubiectus eſt.* Ita nō ſemel dilucidè ſatis aduocati Veneti; cum ſuo Marſ. de Padua; qui iſta in ſuo Defenſore: *Nec propter huiuſmodi ſubiectiones contēdebant paſtores antiqui Romanorum Epiſcopi aduerſus principes Romanorum, neq; aduerſus populum, aut ſingulares perſonas Eccleſiarū patronos, quoniam ad hoc ſe teneri nouerant diuina & humana lege, ſic enim legimus de Symmacho, natiuitate Sardo. Hic enim Laurentio cuidam coëlectus diſcorditer per Theodoricum regem, facto indicio, confirmatus eſt in Papam Romanum ſic etiam ſcribit Martinus de B. Gregorio: Hic, inquit, in Papam eligitur;*

gitur;& ipſe (Mauritius videlicet Imperator) imperialibus literis ſuum affirmat conſenſum. ſic etiam ſuorum priuilegiorum confirmationem, ab Imperatoribus petere ſolebant Epiſcopi Romanorum, vt de Vitelliano, natiuitate Signeno, & Conſtantino, natiuitate Syro, & aliis pleriſq; Romanis Pontificibus legitur: quin imò, pro his, & aliis ſupplicationibus, & confirmationibus impetrãdis, ad Imperatores per loca diſtantia plurimum perſonaliter ſolebant accedere, vt de ipſorum quam pluribus legitur in chronicis, & approbatis hiſtoriis.

Ad hæc omnia breuis eſt & vera reſponſio. Talia non de iure; ſed de facto facta; cũ Eccleſiæ iniuria; diuinis humaniſq; legibus reclamantibus; quæ Pontif. humiliter & patienter tolerabant; quia tanto malo aliter mederi non poterant; reſpexitq; Deus tandẽ humilitatẽ Eccleſiæ ſuę; & ablato iugo, depoſuit ſuperbos, & exaltauit humiles.

VI. Argumentum. *In primitiua Eccleſia non fuit diſtinctio fori ciuilis & Eccleſiaſtici*; quia nullum forum niſi ciuile erat; ergo Clerici ſubdebantur tunc ſæculari poteſtati. Ita nouus Marſilius propoſitione prima. Idem per multa capita verboſiſſimè contendit Marſilius de Padua in ſuo *Defenſore* Pacis, parte ſecunda. Sed antecedens ab omni veritate abhorret. Tẽpore enim primitiuę Eccleſiæ; demonſtrat S. Paulus quod Epiſcopus habeat ſuum tribunal, & iudicet ſuos ſubditos Eccleſiaſticos, vt ex verbis c. 5. 1. epiſt. ad Timoth. Epiſcopum Epheſinum apparet: *aduerſus presbyteros accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, vel tribus teſtibus.* Et in Concilio generali Chalcedonenſi, quod antequam natus fuit Iuſtinianus Imperator, celebratum eſt, Can. 9. ita habetur: *Si clericus aduerſus clericum habet negotium, nõ relinquat Epiſcopum ſuum, & ad ſecularia iudicia non recurrat.* Hæc Card. Bellarminus in refutatione propoſitionis primæ, quem lege.

CONSIDERATIO NONA.

Expenduntur argumenta ex ratione ducta, quibus F. Capellus exemptionem Eccleſiaſticam oppugnat.

NVNQVAM crediđiſſem fieri poſſe, vt vlli Catholico; nec dum viro religioſo, & ingenioſo, Doctori Theologiæ, & Metaphyſices Profeſſori odium veri tantas tenebras offunderet, quantas offuſas video & doleo F. Capello, qui inaniſſimis quibuſdam Sophiſmatiis ex doctrina, vt ipſe arbitratur, illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini exſtructis Eccleſiaſticorum exemptionem ſe penitus euertiſſe exiſtimat; nam Bellarminus lib. de Laicis cap. 5. docet principatum ſeu magiſtratum politicum adeo eſſe naturalem & neceſſarium generi humano, vt tolli non poſſit, quin natura ipſa deſtruatur: hominis enim naturam eſſe; vt ſit animal ſociale; Ex quibus & id genus aliis, quæ loco citato Cardinalis Bellarminus diſſerit hunc ſyllogiſmum architectatur F. Capellus. *De iure naturæ eſt, vt omnis homo ſit ſub poteſtate politica; & qui non eſt ſub illa, is aut Deus eſt; aut beſtia. Eccleſiaſtici ſunt homines; Iure igitur naturæ ſubiecti eſſe debent poteſtati politicæ; & ſi non ſubſint; oportet eos aut Deos eſſe, aut beſtias.* Hoc argumento mirificè exultat F. Capellus. Sed quis eius infirmitatem non videt? Nam primùm ſi de iure naturæ eſt eo ſenſu, quem F. Capellus intendit; vt omnis homo ſit ſub poteſtate politica & quidem coactiua; ſic enim ab iſto propoſitio hæc intelligitur; tunc etiam ſupremus princeps politicus, hoc eſt, Rex vel Imperator, & quicunque alius princeps, qui ſuperio-

F. Capell. p. 2. ca. 3. 4. & ſeqq.

ſuperiorem non agnoſcit; debet eſſe ſub poteſtate politica, & quidem coactiua; & ſi non ſit; tùm aut Deus erit aut beſtia. Si Frater Capellus reſpondeat eſſe Deum; hoc eſt, ſupra vulgarem ſortem ac conditionem: idem reſponſum ad Eccleſiaſticos applicet; & ſophiſmatis ſui ſolutionem habebit.

Si dicat, talem principem ſubeſſe Reipublicæ ſeu multitudini cui præeſt, & à qua poteſtatem iuriſdictionis accepit; non quæro, quàm hoc ſit vſquequaque & vndequaque verum; ſed eſto, ſit verum; quæro vtrum illa multitudo hominum; ſeu, quod idem eſt; illi multi homines collectiuè ſumpti, ſubiecti ſint alicui poteſtati politicæ quoad coactionem? Si ſunt; quæro cui? Si non ſunt; aut igitur Dij ſunt; aut beſtiæ. Num beſtiæ? Abnues, ſat ſcio. Si Dij, hoc eſt, ſupra vulgus tritumque & communem morem; quid mirum; ſi idem dicatur de Eccleſiaſticis?

Secundò Reſpondeo, de iure naturæ eſſe, hoc eſt, à natura homines eò inclinari & moueri, vt alicui gubernatori politico ſubſint; niſi altioris ordinis poteſtas & ſubiectio interueniat; quæ naturam ipſi etiam naturæ conuenienter; ad celſiora traducat; id quod hic fit, quia per ſtatum Eccleſiaſticū, qui ſupra naturam eſt, homo ad eminētiorem ordinem ſubuehitur; & ſorte cõmuni maior euadit; atque adeo certo quodam ſenſu Deus efficitur; hinc inopinum videri non debet; ſi poteſtati politicæ non ſubiaceat; Nec propterea natura deſtruitur; niſi forſan & in beatis deſtruitur; vbi abſque controuerſia ſubiectio iſta reſpectu politicæ poteſtatis locum nullum habet: & tamen homines ſunt; & beatiſſimi quidem;

dem; ſed quia ſtatus ille ſatisfacit naturæ, eiuſque inclinationem, & quaſi deſiderium abundantiſſimè explet; natura perficitur, non deſtruitur: Idem & hic cogita. Igitur naturale eſt homini; vt politico Rectori ſubſit; quamdiu in ſtatu naturali ſeu ciuili manet; ſi ad excelſiorem ſtatum transferatur, iam ipſa natura monet; talem ad excelſiorem quoque poteſtatem pertinere.

Dices. Talis adhuc eſt homo; ergo eſt ſubiectus politicæ poteſtati. Reſpondeo primò; ſi hoc argumentum valet, valere & iſtud: Homo in cælo beatus; ſi quis præter Chriſtum & D. Virginem ibi iam corpore & anima denuo coniunctis degit; verè eſt homo; integra natura præditus: ergo eſt ſubiectus poteſtati politicæ. Item Chriſtus in his terris degens veriſſimè erat homo; & nunc etiam eſt in cælo verè homo; ergo & olim erat & nunc eſt ſubiectus poteſtati politicæ. Si dicas: Chriſtum eſſe verè Deum; & beatos eſſe Deos per imitationem & aſſimilationem quandam; atque adeo ſupra naturæ leges & inclinationes; idem & de Eccleſiaſticis tibi reſponſum putato.

Addo demum de iure naturæ eſſe; vt omnis homo ſubſit politico magiſtratui conuenienter ſuo ſtatui: quoad directionem ſcilicet & coactionem; ſi ſit in ſtatu ſolo ciuili: quoad directionem verò ſolum, ſi ſit in ſtatu Eccleſiaſtico.

SECVNDVM argumentum Fratris Capelli. *Pontifex, vt Pontifex, non poteſt regere & dirigere in Politicis; nam quà talis, non habet poteſtatem politicam; cum poteſtas*

teſtas politica ſolam felicitatem temporalem ſpectet: Eccleſiaſtica ſolam æternã. Reſtat igitur vnum de duobus, vt vel debeamus ſubeſſe principi temporali; quod nos affirmamus, vel ſi exempti ſumus à poteſtate temporali; quod Dominus Cardinalis affirmat, non poſſumus in Politicis alicui ſubeſſe, & per conſequens, aut ſumus beſtiæ aut Dŷ. Ad hoc argumentum primò omnium nihil aliud reſpondeo, quàm dolendum eſſe, optima ingenia neſcio quo caſu, ad hanc tantam coecitatem perueniſſe, vt argumenta non tantum hæreticis ſimilia, ſed & hæreticis deteriora forment, & ſuper *aurum ac topazion* vendicent. Multos legi hæreticos, qui contra Illuſtriſſimum CARDINALEM BELLARMINVM ſcripſerunt; impudenter, vt ſolent, ſed apertè. At necdum ſtatui qui plus cladis rei communi adferant, Iſti, liceat dicere; idem faciunt; ſed per cuniculos & artes; quæ neſcio num plus detrimenti pariant; quàm illa parens patensque improbitas nullis verborum fucis compta, nullis *aulicismorum* phaleris ornata.

Deinde dico me in argumento Fratris Capelli agnoſcere Macchiaueliſmos & Marſilianiſmos Paduanos. Ait politicam gubernationem dirigi ad proſperitatem temporalem. Libenter addidiſſet, *ſolam*. Sed hæc nimis fuiſſet ingenua, hoc eſt, Macchiauelliſtica confeſſio. Siccine ad ſolam felicitatem temporalem deſtinatur Reſpublica temporalis? Ergone religio in poſtremis habenda; vel flectenda, prout Machiauelliſmi fert vertigo & impetus? Ergone Chriſtianus Magiſtratus, nullam dabit operam; vt ſubditi ad felicitatem æternam dirigantur, ſed id ſolum curabit; vt opibus floreant; pa-

latia extruant, & cætera ſuſque deque habeant? Pontificis poteſtatem ait, *ad ſolam felicitatem æternam extendi & tendere*; hoc eſt, ſola ſpiritualia attingere, qui eſt Marſilianiſmus *Marſilianiſſimus*; Ex tuo fundamento ſequitur; Pontificem ne hiſcere quidem poſſe, ſi hæretici, & alij nefarij homines bona; imo & templa Eccleſiaſticorum occupent. Quid ita? Quia Pontificis poteſtas non extendit ſe niſi ad ſolam felicitatem æternam. Obſecro, quis hæc ferat; quis toleret, niſi aut ipſe ſit Prædicans aut Prædicantium pullus & aſſecla? Quanquam ne ipſis quidem omnibus ſectariis hoc tolerabile videtur, vt libro tertio planum faciam.

Adhæc poteſtas Eccleſiaſtica, quæ ad ſpiritalem finem ſibi ſubditos dirigit; ſimul etiam dirigit eoſdem ad finem temporalem; quia eminenter continet finem politicum; & experientia cōſtat ad finem ciuilis vitæ ſecundùm leges Chriſtianas, tametſi non ſecundum Macchiauellicas & Alcoranicas; nullos aptiores eſſe, & plus momenti conferre; quàm Eccleſiaſticarum conſtitutionum obſeruantes.

Vt ergo ad argumentum Fratris Capelli directè reſpondeam, nego Pontificem, quà Pontifex eſt; non habere poteſtatem in politicis, indirectè ſaltem & ex conſequente. Er miror Fratrem Capellum, qui gloriam & famam ex illuſtriſſimi, eruditiſſimi & celebratiſſimi CARDINALIS oppugnatione ſibi comparare voluit; non accuratius opera Bellarmini euoluiſſe; vt paulò ſubtilius ſyllogiſmos contexere diſceret. Deinde, vt Pontificis poteſtas, ne indirectè quidem ad temporalia

exten-

extenderetur; quod cum iſtis *Marſilianiſtis* nemo vnquã catholicorum affirmabit: falſum tamen foret dicere, poteſtatem Eccleſiaſticam dirigendo ad finem & felicitatem ſpiritualem; non dirigere pariter ad finem & felicitatem temporalem; quia nemo temporalis huius & publicæ pacis, quietis, tranquillitatis & proſperitatis amantior, cupidior, & ſtudioſior eſt; quàm poteſtas Eccleſiaſtica; neque ſolidius & conſtantius temporalis felicitas plantatur, fouetur & conſeruatur, quàm vbi ad ęternam felicitatem ſollicitè & cum cura ſubditi à ſpirituali poteſtate diriguntur & quaſi manuducuntur.

Itaque ſpiritalis poteſtas eminenter, *vt ſuprà dictum*, continet vim & efficaciam poteſtatis politicæ; quia ducendo ad ſuperiorem finem; ſimul etiam ducit ad inferiorem, qui eſt pax & tranquillitas temporalis. Antecedens igitur multis nominibus falſum eſt; nec vno pilo melior conſequentia; & tota inaniloquentiæ fabrica his collectiunculis innititur: *Eccleſiaſtici ſunt homines; ergo dirigi debent ad finem omnibus hominibus à natura præſtitutum: qui eſt felicitas temporalis.* Concedo totum. Perge. *Eccleſiaſtici non poſſunt ad hunc finem dirigi per poteſtatem Eccleſiaſticam; ergo per politicam; ergo ſubſunt poteſtati ciuili.* Negatur antecedens. Ratio antea reddita eſt. Perge.

Qui non ſubeſt politicæ poteſtati, is aut Deus eſt aut beſtia; Eccleſiaſtici non ſubſunt politicæ poteſtati ex noſtra ſententia; Sunt igitur aut Dij aut beſtiæ; non Dij; ergo, &c. Hoc enim ſatis inſinuat F. Capellus cum dicit, *ex noſtra doctrina ſequi, concluſionem iniurioſiſſimam in Deum, ſtatumq; clericalem*; monetque vt Bellarminus diſpiciat, *vtri plus honorent clericos; ipſi; qui eos ſubdunt poteſtati politicæ, an ipſe; qui eos inde eximit.* Sed F. Capellus indigno hoc ſophiſmate vti etiam cum hęreticis poterit aduerſus illos eremitas;

qui planè ſolitariam vitam egerunt; extra omne conſortium & commercium aliorum. *Nam & illi aut Dij fuerunt; aut beſtiæ; non Dij, ergo*, &c. Bellè & ſcitè. Si dicat; *Dei* nomine intelligi eum; qui communem ſortem, vulgaremq; viuendi morem tranſcendat; accipio quod dat; ſed iubeo, vt eandem quoq; *Dei* notionem ad Eccleſiaſticos applicet; moxque ſophiſmatis indignitas clara in luce eluceſcet.

Nec omiſſum oportuit à Fratre Capello, qua notione vox *Dei* in Ariſtotelico illo dicto vſurpetur; cum eandem apud Bellarminum in illo ipſo capite; vnde putat ſe ſyllogiſmos ſuos hauſiſſe, legerit. Sed ſi non omiſiſſet; fallaciæ ſtruendæ occaſionem non habuiſſet.

Cap. 5. Poſthæc multa philoſophatur Frater Capellus de obiecto adæquato politicæ & Eccleſiaſticæ poteſtatis; de obiecto viſus, guſtus; phyſicæ, medicinæ, Ethicæ; & tandem poſt obliquos & ſinuoſos anfractus, ait, *hominē eſſe obiectum poteſtatis Eccleſiaſticæ, quatenus capax eſt, æternæ beatitudinis; obiectum verò poteſtatis politicæ, quatenus capax eſt temporalis felicitatis; & hanc capacitatem temporalis felicitatis eſſe prædicatum, quatenus omne*; hoc eſt, omni homini; quatenus homo eſt, conueniens; *& hanc capacitatem temporalis felicitatis non niſi à ſæculari & temporali poteſtate expleri poſſe*. Ex quibus tandem hæc argumentatio cuditur. *Natura humana, quatenus felicitatis ciuilis capax eſt; eſt obiectum adæquatum poteſtatis ciuilis; ergo omnis homo, qui felicitatis ciuilis eſt capax; eſt ſubiectus poteſtati ciuili. Sed non eſt homo, qui non ſit ciuilis felicitatis capax; cum ciuilis ſocietas ſeu propenſio ad ciuilem ſocietatem, ſit homini naturalis; ſicut riſibilitas ex doctrina Cardinalis Bellarmini; ergo non inuenitur vllus homo, qui non ſit poteſtati ciuili ſubiectus.*

Si hoc

Si hoc argumentum validum eſt: tum plus probat, quàm velit Frater Capellus; I. Etiam ipſum principem, qui ſuperiorem non agnoſcit, ſubiectum eſſe politicæ poteſtati, quoad *coactionem* ſcilicet: quia & talis princeps vtique homo eſt.

II. Etiam Rempublicam, quæ ſuperiorem non agnoſcit, eſſe politicæ poteſtati ſubiectam, nam & talis Reſpublica nihil aliud eſt, quàm collectio quædam & congregatio hominum. Et hæc duo iam ſupra tetigimus.

III. Pontificem Summum non potuiſſe Clericos eximere à poteſtate ciuili & exemptionem fuiſſe iniuſtam; de facto, non de iure tentatam: ſicut enim Pontifex non poteſt facere; vt homo non ſit *riſibilis*; ita ſecundum Fratris Capelli diſcurſum facere nequit, vt homo non ſubſit poteſtati politicæ. Quo fit, vt ruant omnes Canones qui exemptionem & immunitatem Eccleſiaſticam ſtabiliunt.

IV. Nec Imperatores potuiſſe clericos eximere, & per conſequens, leges ab illis ſuper hac re latas, iniuſtitia non carere; quia Imperatores non poſſunt facere, vt *riſibilitas* homini non competat; ergo neq; illud; vt poteſtati politicæ non ſubſit: quia vtriuſq; eſt par ratio, ex F. Capelli philoſophia.

V. Etiam Chriſtum Dominũ ſubiectũ fuiſſe poteſtati ciuili, quia verè & verus homo fuit: & omnes naturæ humanæ proprietates & conditiones habuit;

VI. Etiam beatos in cœlo poſt reſurrectionẽ ſubiectum iri poteſtati ciuili; quia verè erunt homines, ergo præditi omnibus humanæ naturæ cõditionibus & affectionibus, ergo & hac; quæ eſt ſubiectio ſub poteſtate politica, propter obtinendam felicitatem politicam.

Sed vt ad argumentum directè reſpondeam; conceſſo antecedente, negatur prima conſequentia; quia ex ratione obiecti non infertur neceſſariò ſubiectio; alioqui F. Capellus probare poſſet, omnes homines ſubiici Ethico vel Medico. Quia natura humana ſeu homo, vt felicitatis moralis capax, eſt obiectum adæquatum Ethici; & vt capax eſt ſanitatis; ſic eſt adæquatum obiectum medici. An ne igitur rectè inferemus? ergo omnis homo, qui felicitatis moralis, & omnis homo, qui ſanitatis eſt capax, ſubiectus eſt poteſtati Ethici vel Medici; & quidem quoad coactionem? de hac enim F. Capellus ſemper diſputat. Egregia profectò conſequentia. Ad id quod additur: rurſus negatur conſequẽtia; quia ſimilis eſt huic. *Non eſt homo, qui non ſit felicitatis moralis & ſanitatis capax; cum propenſio ad felicitatem moralem & inclinatio ad ſanitatem ſit homini naturalis; ſicut riſibilitas; ergo non inuenitur vllus homo; qui non ſit poteſtati Profeſſoris Ethici vel Medici ſubiectus.* Vt tibi arridet hęc conſecutio? Si bene; gaudeo. Si male; oportet; vt & tua tibi diſpliceat; quia hæc eius ſoror eſt.

Cauſſa cur non ideo omnis homo ſubiiciatur poteſtati ciuili; quamuis omnis homo ad ciuilem, hoc eſt, temporalem felicitatem inclinationem à natura inſitã habeat; eſt iſta; quia cuiuis nihilominus liberum eſt, per ſe loquendo, vt vel ciuilem ſocietatem cũ hominibus ineat; vel ſi iniit, in eadem permaneat; quemadmodum cuiuis liberum eſt: vt matrimonium contrahat, non obſtante inclinatione naturali ad ineundum matrimoniũ. Ergo ſi hanc ſocietatem ciuilem cum cæteris inire nolit; non ſubiicietur poteſtati ciuili, ſed aut Deus erit; hoc eſt, diuinus homo; & ſupra vulgi ſortem, quales fuerunt noſtri Eremitæ & Anachoretæ prorſus à communione cæterorum hominum ſeiuncti; qui per vitæ ſanctitatem

non

non modo æternæ, ſed & temporalis felicitatis participes facti ſunt: aut beſtia; quales multi barbari; qui ſoliuagam vitam abſque foco & lare ducunt. Quod ſi quis reuera in ſocietate ciuili degit; vt Eccleſiaſtici & pleriq; religioſi; non oportet tamen, vt politicæ poteſtati ſubdantur, propter temporalem felicitatem conſequendã: quia ad hanc diriguntur, eámque etiam conſequuntur, per poteſtatem ſuam, hoc eſt, Eccleſiaſticam; quæ ſuperior eſt quàm politica; eiusque perfectionem eminẽter complectitur; & propterea æquè, imò melius & ſecurius, ad felicitatem temporalem quoq; dirigit ſibi ſubditos, ac politica poteſtas ſuos. Hinc cum Eccleſiaſtici directione ad finem Eccleſiaſticæ poteſtatis ſimul etiam dirigantur ad finem poteſtatis politicæ; atque adeo inclinationem illam naturalem ad temporalem felicitatem expleant; nil neceſſe eſt; vt poteſtati ciuili ſubdantur: neque dixit Bellarminus, viuere in ſocietate ciuili eſſe naturam hominis; ſicuti natura hominis eſt; vel, vt rectius loquar; naturam hominis cõſequitur, *riſibilitas*; ſed dixit; hominis naturam eſſe; vt ſit animal ſociale: hoc eſt, propenſionem ad ciuilem ſocietatem ineundã habeat; quæ tamen & per ſublimius viuendi genus, vt per anachoreticum in melius mutari poteſt; ſicut & propenſio naturalis ad matrimonium, mutatur in melius per profeſſionem perpetuæ caſtitatis; vel ſi quis naturalem propenſionem ciuilis ſocietatis ineundæ ſecutus ſit; atque adeo inter cæteros & cum cæteris degat; non oportet tamen; vt propterea ſubiiciatur ciuili poteſtati; eo quod altius vitæ inſtitutum ſit amplexus; vt reuera Eccleſiaſtici amplexi ſunt; quod inferiori vitæ inſtituto ſubiici indignum ſit & prorſus indecorum ac præpoſterum.

Falſum eſt autẽ quod F. Capell. ſemper quaſi pro explorato ſumit ac ſupponit; temporalem felicitatem nõ poſſe obtineri, niſi quis ſubiiciatur, quoad coactionẽ, politicæ poteſtati: perinde eſt, ac ſi diceret, coloratum non poſſe cognoſci, niſi à viſu: Neminem calefieri poſſe; niſi ab igne. An non & intellectus coloratum, etiam qua coloratum cognoſcit? An non & ſol calefacit? Idem hic cogita de poteſtate Eccleſiaſtica; quæ eminentior, ſuperior & perfectior eſt, quàm politica; eiq; in fine temporalis felicitatis comparando & adipiſcendo æquiualet. Nec eſt riſibilitatis & propenſionis ad vitam ciuilem par ratio: neque id vnquam aſſeruit Cardinalis Bellarminus: quia riſibilitas eſt vera & realis naturæ humanæ potentia: propenſio illa eſt affectio quædam naturæ ita comparata; vt per celſius & diuinius viuendi genus mutari & quaſi corrigi queat; vt patet etiam de naturali inclinatione ad matrimonium, quod de ridendi potentia, aliiſque eiuſdem generis nequaquam affirmari poteſt.

CONSIDERATIO DECIMA.

Conſiderantur reliqua F. Capelli ſophiſmata.

CAPITE ſeptimo multa diſputat de ſubordinatione ſcientiarum; vt inde oſtendat, poteſtatem politicam non ſubordinari Eccleſiaſticæ, perfectumque Marſilianiſmi aut Machiauelliſmi iconiſmum nobis exhibeat: Ait ergo: I. *poteſtatẽ ciuilẽ ſubſiſtere poſſe ſine Eccleſiaſtica: vt patet exemplo infidelium; qui habent poteſtatẽ politicã ſine Eccleſiaſtica.*

Dicit

Dicit ſecundò; *Naturam humanam ſtare poſſe ſine Eccleſiaſtica; non autem ſine politica poteſtate: cum homo natura ſit animal ciuile; neque vllus inueniri queat; qui non ſit animal ciuile; impoſſibile autem ſit reperiri humanam naturam ſine poteſtate ciuili; vt demonſtrat Cardinalis Bellarminus*, inquit F. Capellus, lib. 3. de laicis.

Tertiò dicit: *Humanam naturam, poſſe eſſe ſine poteſtate Eccleſiaſtica; ſicut poteſt eſſe ſine fide & baptiſmo.*

Quartò dicit; *In artibus, quæ ſibi ſubordinantur & ſubſeruiunt; id euenire; vt ſi ſuperior ceſſet; inutilis efficiatur inferior; veluti ſi deſinat ars militaris: inutilis redditur ars faciendi arma; enſes, galeas, clypeos, & ſimilia.* Hinc colligit, *temporalem poteſtatem non ſubordinari Eccleſiaſticæ; quia ſublata Eccleſiaſtica poteſtate non propterea temporalis poteſtas inutilis euadit; quod infidelium exempla docent.*

His præmiſſis ſic argumentatur Frater Capellus. *Eſſentiale non dependet ab accidentali; poteſtas politica eſt naturæ humanæ eſſentialis; Eccleſiaſtica, accidentalis; quia poteſt adeſſe & abeſſe ſine corruptione humanitatis, & tantum neceſſaria eſt ex ſuppoſitione: ergo poteſtas politica non dependet ab Eccleſiaſtica.*

In quo argumento, neſcio quid prius mirer. Leuitatemne in re tanti ponderis, an ineptiam. Dic, quæſo, eſtne poteſtas politica homini *eſſentialis*? Eſtne de eſſentia hominis, vt ſit ſub poteſtate politica? Tu affirmas diſertis & rotundis verbis. Non fuit ergo Adamus homo, cum ſolus in hac rerum vniuerſitate degeret; ſub nullius enim politica poteſtate fuit. Nec homo fuit poſt creatam Euam; quia nec Euæ ſubfuit. Nec CHRISTVS homo aut eſt

aut

aut fuit; quia ſub politica poteſtate non fuit, niſi ſecundum damnati Marſilij de Padua damnatam opinionem. Nec beati poſt reſurrectionem homines erunt; quia nõ erunt ſub aliqua poteſtate politica. Nam cui id, quod naturæ humanæ eſſentiale eſt, deeſt; is homo non eſt; quia aut homo non eſt, aut integra eſſentia eſt.

Si autem F. Cappellus per *eſſentiale* intelligat, Caluiniſtarum more, id quod ex hominis eſſentia fluit; hoc eſt, proprietates, qualis eſt riſibilitas; quo exemplo ipſe vtitur, tum rurſus grauiſſimè hallucinatur: quia inprimis ſequitur, Adamum, & Chriſtum non habuiſſe omnes proprietates ex eſſentia humana manantes. Deinde Pontificem & Imperatores, quando exemerunt Clericos à poteſtate politica, perinde egiſſe; ac ſi conati fuiſſent *riſibilitatem* ab hominis natura ſeparare; quandoquidem poteſtas politica naturę humanę eſſentialis eſt, hoc eſt, ex eſſentia fluens, nec ſine illa ſubſiſtere poteſt. Ex quo rurſus conficitur, Paulum primum Eremitam, & alios ſolitudinis incolas, quorum nonnulli ſupra ſexaginta & amplius annos extra mortalium ſocietatem vixerunt; vel homines non fuiſſe: quandoquidem non habuerunt omnia naturæ humanæ *eſſentialia*; vel proprietatibus ex natura hominis profluentibus caruiſſe; ſine quibus natura humana ſubſiſtere nequit, ſecundũ F. Capelli ratiocinationem.

Certè propenſio ad vitam ciuilem, & ipſa etiam vita, quæ actu in ciuili ſocietate tranſigitur, non magis eſt homini eſſentialis, quàm propenſio ad matrimonium; & vita, quæ reipſa in matrimonio ducitur. Hinc ſicut ſalua & incolumi hominis eſſentia: omnibusque humanæ naturæ proprietatibus integris & illæſis, poteſt quis per cælibatus perpetui profeſſionem non ſequi inclina-

tionem

tionem ad matrimonium,& extra coniugium totam vitam conſumere: ita idem fieri poteſt extra poteſtatem politicam,reſpectu ſingulorum hominum. quia quando dicitur,poteſtatem politicam eſſe neceſſariam, & ſine illa humanam naturam conſiſtere non poſſe; id minimè intelligitur reſpectu ſingulorum indiuiduorum; quaſi hic vel ille homo ſine politica poteſtate ſubſiſtere nequeat; ſed intelligitur in genere reſpectu totius vniuerſitatis humanæ; vt cum dicimus;matrimonium eſſe humano generi neceſſarium; nequaquam ſignificare volumus;huic vel illi in indiuiduo matrimonium eſſe neceſſarium. Quo fit, vt quãuis hic vel ille matrimonium non ineat;nil contra naturę præſcripta delinquat. Præterea, quænã hæc eſt philoſophia, vel potius Theologia, dicere;in Chriſtiana Republica; de hac enim nobis ſermo eſt: *Eccleſiaſticam poteſtatem eſſe accidentalem: & politicam eſſentialem?* An non eſt hoc ordinem inuertere;& ſpiritum corpori; ipſamque fidem naturæ ſubiicere? An non eſt hoc politicos principes ſupra Eccleſiaſticos euehere;illisque neceſſariam & eſſentialem, vt F. Capellus appellat;his autem accidentalem;hoc eſt,non neceſſariam poteſtatem largiri? Vter enim maior & veneratione dignior eſt;is,qui habet poteſtatem ſimpliciter neceſſariam, & humanæ naturæ *eſſentialem*;iuxta nouam iſtam doctrinam, an qui accidentalem tantum; & qua ablata homo nihilominus ſubſiſtere poteſt?

Ignoſcat F. Capellus. Huiuſmodi diſcurſus ex intimis Machiauelli penetralibus depromptos exiſtimo. Quis verè Chriſtianus vnquam hactenus negauit; quin Eccleſiaſtica poteſtas moderetur;dirigat;ordinet;& vbi neceſſitas exigit, corrigat & inſtruat poteſtatem politicam? Subeſt igitur tanquam diſcipula magiſtræ. Quis

vnquam hactenus audiuit huiuſmodi argumẽtationes: *politica poteſtas non poteſt abeſſe à natura humana; etiam ab hac vel illa in indiuiduo*; ſic enim F. Capellus intelligit; *ergo eſt illi eſſentialis.* cuius & antecedens & conſequentia à vero penitus abhorrent. Item: *In Republica Chriſtiana; poteſtas politica eſt eſſentialis; Eccleſiaſtica, accidentalis, ergo illa non ſubordinatur huic.* Portenta iſtæc ſunt; non argumẽta; indigna viro vel mediocriter litteris tincto; nedũ Doctore Theologo. Itaq; ad argumentum in forma negatur inprimis maior illa: *Eſſentiale non dependet ab accidentali*; nam hæc & in philoſophia vniuerſim ſumpta falſa eſt; nam eſſentialis vnio, quæ eſt inter materiam & formam ſubſtantialem, dependet à diſpoſitionibus accidentalibus tam initio, cum vnio illa efficitur; quàm poſtea cum conſeruatur & continuatur: Impoſſibile enim eſt de lege Dei ordinaria, vt vel fiat vel duret, niſi dependenter à quibuſdam accidentibus. Sic impoſſibile eſt naturaliter vt eſſentia ſeu ſubſtantia exiſtat independenter à quantitate, & aliis nonnullis accidentibus. Falſum eſt ergo eſſentiale nõ dependere ab accidentali.

Præterea Minor falſa eſt. Negamus enim poteſtatem politicam eſſe naturæ humanæ, hoc eſt, huic vel illi indiuiduo, eſſentialem; imò neque naturæ humanæ eſſentialis eſt in communi ſeu collectiuè ſumptæ: ſicut neque accidentia eſſentialia ſunt ſubſtantiæ; licet ſubſtantia non poſſet ſine accidentibus exiſtere. Deinde loquendo Chriſtianè de Chriſtiana Republica, ſi alterutra poteſtas nominanda ſit eſſentialis; potius Eccleſiaſtica, quàm politica hoc nomen merebitur: Tolle enim ex Chriſtiana Republica poteſtatem Eccleſiaſticam: quid inde exiſtet; niſi Macchiauelliſtica quædam Babylon; & Chriſtianiſmus ſine Chriſto; at non ſine Macchia-

Macchiauello. Tolle poteſtatem Eccleſiaſticam; an non ſimul cœlum æternamque beatitudinem tolles; cum per ſolam Eccleſiaſticam poteſtatem eò dirigantur homines non per temporalem; vt fatetur Frater Capellus, cœlumque & æterna beatitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ obiectum ſit; non poteſtatis politicæ. Et ſi Chriſtiana Reſpublica alterutra poteſtate carere deberet, longò commodius careret temporali; quàm Eccleſiaſtica. Et prorſus falſum eſt & Macchiauelliſticum, quando dicit; *poteſtatem Eccleſiaſticam poſſe adeſſe & abeſſe ſine corruptione humanitatis; eſſe igitur tantummodo accidentalem*: proba, ſi potes, poteſtatem Eccleſiaſticam poſſe abeſſe ſine corruptione Chriſtianæ Reipublicæ, & tū non facies nihil. Nam quod ad Turcicam, & ſimiles infidelium Reſpublicas confugis, vbi ſola poteſtas politica regnat; nugas agis: de Chriſtiana Republica ſermo eſt: ſicut & illud abs re eſt; quod *humanitatis* vocabulum intrudis. Nam & ab hoc vel illo homine politica poteſtas abeſſe poteſt; non eſt igitur illi eſſentialis, ſed accidentalis. Et licet abeſſe nequiret; non ideo eſſentialis eſſet. Etiam quantitas naturaliter à corpore abeſſe nequit; num corpori eſſentialis eſt?

Similitudinem ab artibus inferioribus comparatione inferiorum non moramur; quandoquidem neq; Illuſtriſſimo Cardinali Bellarmino placet, vt dicit F. Capellus; & verum eſt. Illud miror; qua ratione F. Capellus afferat Dominum Cardinalem libro 4. cap. 3. & ſeqq. dicere; *imperium non dependere à Pontificatu*; loquēdo de Chriſtiana Republica Nihil huius dicit Bellarminus in eo vel ſeqq. capitibus: quin potius in tota diſputatione de Pontifice, contrarium euidenter docet. *Bell. lib. 5. de Pontif. cap. 6.*

Quocirca hic ſyllogiſmus: *Vbi non eſt dependentia; ibi nõ eſt ſubordinatio, Imperium, vel dominium temporale non dependet à poteſtate Eccleſiaſtica; ergo non eſt illi ſubordinatum.* non eſt exſtructus ex ſententia Bellarmini; neque Minor eſt Bellarmini; vt dicit F. Capellus. Et Minor abſolutè falſa eſt; & expreſsè contra Bellarmini doctrinam lib. 5. de Pontif. cap. 6.

Nec concludit hæc, vt appellatur à F. Capello, demonſtratio. *Res quæ vno reſpectu naturaliter ſubduntur vni potentiæ, vel habitui, vel facultati. ſi ſubiiciantur habitui vel potentiæ diuerſæ, non tamen ex vi iſtius ſubiectionis liberantur à prima, etiamſi ſecunda ſit excellentior & nobilior, quàm prima. omnes homines à natura ſubiecti ſunt poteſtati ciuili; igitur licet induant habitum clericalem, ſubdanturq́; poteſtati Eccleſiaſticæ à ciuili, genere diuerſæ, & longè præſtantiori; non tamen ex vi huius ſubiectionis liberantur à prima. Maior,* inquit Capellus, *ſupra diuerſis modis declarata & probata eſt: & ſi noſtris probationibus necdum contentus es; aſpice infideles, qui ſi baptizentur, atq; adeo poteſtati Eccleſiaſticæ ſubiiciantur, nihilominus manent ſuo politico principi ſubiecti. Minorem,* inquit, *probaui auctoritate Domini Cardinalis.*

Vt à Minore incipiam. Minor falſa eſt; neque vnquã dixit Bellarminus, omnes homines à natura poteſtati politicæ actu ſubiici; ſed omnes à natura inclinari; vt ſocietatem cum cæteris hominibus ineant, atque adeo ſub aliquo rectore ciuilis vitæ degant: at hoc longè eſt aliud, quàm quod nobis iſte apponit.

Bell. lib. de clericis, cap. vlt.

Ad Maiorem, quę etiam à Ioanne Medina allata eſt; Reſpondet Cardinalis Bellarminus, eam eſſe veram, ſi duæ diuerſæ ſubiectiones & obligationes ita comparatæ ſint; vt altera alteri non repugnet; tunc enim ſimul ſtare poſſunt; ſicut ſimul ſtare poſsũt ſubiectio, qua Chri

ſtianus

ſtianus laicus ſubiicitur magiſtratui ciuili; & ſubiectio, qua ille ipſe laicus ſubiicitur ratione baptiſmi poteſtati Eccleſiaſticę, in iis, quæ ad fidem pertinent. Falſam autē, ſi altera ſubiectio alteri aduerſetur; & hoc in propoſito fieri; quia clericatus; vt & monachatus non poſſet rectè ſuo munere fungi; ſi poteſtati ciuili ſubiiceretur.

Aduerſatur etiam ordini naturæ; vt pater ſit ſubiectus filio; paſtor, ouibus. Reſpondet F. Capellus, *ſibi non videri ſolutam ſuam & Medinæ rationem, non enim demonſtraſſe Bellarminum, quòd clericus nequeat ſuo munere fungi; ſi ſit ſubiectus laico. Defectum Cardinalis dicit ſuppleri ab Vgolino in Tractatu de Monitorio Pauli V. Pontif. aduerſus Venetos*, cuius cap. 3. hæc ſunt verba: *Secundò, capiendis Eccleſiaſticis perſonis, in carceremq́ coniiciendis, & in foro laicorū ipſis vexandis, à diuinis officiis amouentur; ex quo in iudicio laicorum iudicandi ſunt, quibus Eccleſiaſtica perſona ſæpius odio ſunt, vt experientia in caſu noſtro præſertim nunc, docet, vt infra etiam diximus.*

Reſpōdeo, id quod per ſe notum eſt, non egere probatione; nam clericos, ſi ciuili poteſtati ſubiecti ſint; nō poſſe diuino cultui vacare, vt decet; tam eſt notū; quā meridie lucere ſolem: quot enim onera, munera & negotia imponi poſſunt clericis, ſi non ſint exempti à poteſtate politica? Quoties cum eundum eſſet ad Eccleſiam, vocarentur ad curiam; vel aliò ablegarentur? Inſpiciat, obſecro, F. Capellus in Codice Theodoſiano Titulum *de Epiſcopis, Eccleſiis & Clericis*; forſan intelliget; quæ nam ſint illa impedimenta cultus diuini; quibus remouendis meritò à politica poteſtate exempti ſunt.

Ridet F. Capellus latinitatem doctiſſimi & celeberrimi viri Bartholomæi Hugolini: omiſſo riſu; neſcio quā iuſto; certè non graui; videbimus quantus Cicero ſit

Frater Capellus; cum aliquid latinè ſcripſerit.

Duas cauſſas, inqt iſte, *adfert Hugolinus, propter quas princeps politicus non debet iudicare vel in carcerem mittere clericos.* Prima eſt, *quia dum ſunt in carcere, impediuntur à diuinis officiis.* Secunda, *quia laici clericos ſæpè valde oderunt. Signor Vgolino*, inquit Frater Capellus, *pace veſtra dixerim: Prima ratio eſt impertinens & periculoſa. Altera cuiuſdam hæretici. Reuocemus ad formam. Qui Eccleſiaſticos in carcerem coniicit; hic impedit diuinum officium. Princeps Venetus in carcerem coniicit religioſos, impedit igitur diuinum officium. Qui impedit diuinum officium peccat; igitur Princeps Venetus peccat. Videamus quàm bene hæc veſtra ratio concludat. Qui religioſos in carcerem coniicit; impedit diuinum officium. Prælati Eccleſiaſtici coniiciunt religioſos in carcerem, igitur illi impediunt diuinum officium. Qui impedit diuina officia peccat; igitur Prælati Eccleſiaſtici peccant. Domine Hugoline; portate hanc veſtram rationem non ad Catholicos; qui caſtigare peccata, obſequium diuinum ducunt; ſed ad Anabaptiſtas: qui vobis vberem mercedem ſoluent. Ergone Eccleſiaſtici à nulla poteſtate iudicabuntur?* Hæc ad verbum recitare volui; vt Lector videat, quàm leuibus ſpiculis auctor iſte pugnet: neque enim doctiſſimus Hugolinus ideo præcisè clericos à ciuili magiſtratu exemptos dicit; quia ſi non exempti eſſent; in carcerem à politica poteſtate mitti poſſent; non ignarus; clericos delinquentes ab Eccleſiaſtica poteſtate incarcerari & poſſe & debere; ſed ideo exemptos affirmauit; quia ſæpius, præſertim accedente odio, iniuſtè & temerè in carcerem compingerentur; inque vinculis violenter detinerentur; aliisque modis à ciuili magiſtratu vexarentur & affligerentur, præcipuè odio, vt dixi, interueniente; & contemptu Eccleſiaſtici ſtatus; quæ duo mala; nunc

la; nunc charitate refrigeſcente; vitiiſque exundantibus, nimium quantum inualuerunt. Ex quibus iniuriis nemo non videt varia impedimenta diuinis officiis obiici poſſe. Neque talia pericula imminent clericis à foro Eccleſiaſtico. His circumſtantiis veſtitum argumentum clariſſimi Hugolini robore ſuo non caret; neque per prædictas cauillationes eneruatur.

Quod Hugolinus ait, *Clericos laicis ſæpe eſſe odio; hinc non expedire vt laicorum poteſtati ſubſint*; id ait Frater Capellus *petitum à Petiliano Donatiſta hæretico apud Sanctum Auguſtinum; qui quòd Catholici in Africa opem Imperatorum aduerſus Donatiſtas implorasſent: in eos his verbis incurrit; Quid autem nobis eſt cum Regibus ſæculi, quos nunquam Chriſtianitas, niſi inuidos ſenſit?* Sed hæc itidem cauillatio facilè auertitur & euertitur; nam quod Petilianus dicebat, id manifeſtè falſum eſſe demonſtrat Sanctus Auguſtinus; & vel vnico Conſtantini Magni exemplo ſatis ſuperque redarguitur falſitatis. qui adeo Chriſtianitati inuidus non fuit, vt propemodum nil aliud cogitaret; quàm quomodo Chriſtianæ religionis maieſtatem toto terrarum orbe diffunderet. Hugolini dictum comprobat, prô dolor, quotidiana experientia; nam plerique ita comparati ſunt; vt in lucro deputent; ſi quid moleſtiæ clero creent. *Lib. 2. contra Petilian. c. 92.*

Neque tamen Catholici Epiſcopi Afri confugerunt ad Imperatores, vt ad ſuos ordinarios iudices; vt hic Frater Capellus inſinuat; ſed vt ad fidei & Eccleſiæ defenſores; quorum opem contra Donatiſtarum furores expoſcebant, ne efferatæ illæ beſtiæ vineam Domini penitus deuaſtarent ac diriperent. Ingenioſa profectò eſt conſequentia, quam Frater CAPELLVS inſinuat, & ſimilis huic. *Epiſcopi in GERMANIA ſæpe*

implo-

implorarunt opem Imperatorũ; & Epiſcopi Galliæ & Belgij opem Regum contra graſſantes hæreticos; ergo Epiſcopi agnouerunt Imperatorem & Reges pro iudicibus: & ſe pro ſubiectis. Quaſi verò *defenſor*, & *iudex* ſeu *ſuperior* neceſſariò reciprocentur.

Innuit F. Capellus etiam hoc argumentum. *Epiſcopi aliquando accuſant laicos & hæreticos apud ſæcularem magiſtratum; ergo fatentur ſe magiſtratui ſæculari ſubiectos.* Egregiè. *Quaſi verò nequeat etiam à non ſubdito ſubditus accuſari apud ſuum magiſtratum: aut neceſſe ſit; vt ſacerdos, cui lis cum laico; ideo foro ciuili ſubdatur; quia laicum ad iudicem politicum defert?*

Iudicium Conſtantini in cauſſa Cæciliani non iure factum eſt; ſed importunitate & coactione Donatiſtarum, qui poſt reiectos ſuos, hoc eſt, Eccleſiaſticos Iudices ad Imperatorem appellarant: quos admiſit Imperator, probè gnarus ſibi alioqui hoc iudicium non competere; hinc non aliter iudicium hoc inſtituit; quàm veniam facti ab Epiſcopis poſtulaturus: vt ſcribit Sanctus Auguſtinus.

Redit F. Capellus ad Bellarminum; & examinat, *num ſit contra ordinem naturæ; vt pater ſubſit filio; paſtores, ouibus: & ſpiritualia temporalibus.* Primum exemplum refutat hoc argumento. *Qui patrem ſubiicit filio, is peruertit ordinem naturæ: Qui facit filium Epiſcopum patris, is ſubiicit patrem filio; ergo qui facit filium Epiſcopum patris, peruertit ordinem naturæ.*

II. Qui ſubiicit paſtorem ouibus, is peruertit ordinem naturæ. Papa eſt paſtor omnium Chriſtianorum; non poteſt ergo alicui ſubiici niſi peruerſo & inuerſo naturæ ordine; At in confeſſione ſubiicit ſe ſuo patri ſpirituali; peruertit ergo ordinem naturæ; & per conſequens peccat.

III. Qui

III. *Qui res ſpirituales temporalibus ſubiicit, hic peccat & peruertit ordinem naturæ; Medicus habet poteſtatem temporalem; & corporalem; Papa Eccleſiaſticam & ſpiritualem: igitur ſi Papa ſe ſubiiciat medico, eiusq́ præceptis, ſubiicit rem ſpiritualem & Eccleſiaſticam mundanæ & temporali; & per conſequens, peruertit ordinem naturæ. Sed hæc omnia ſunt abſurda; igitur & illud ex quo ſequuntur; nimirum; patrem non poſſe ſubiici filio; paſtorem oui; rem ſpiritalem temporali; quod Bellarminus aſſerit; cùm tamen certum ſit; non quidem patrem vt patrem, & paſtorem vt paſtorem; remque ſpiritualem vt ſpiritualis eſt; ſubiici poſſe filio; oui; rei temporali; ſed ſub alio atque alio reſpectu. Nam filium poteſt quis conſiderare*, inquit F. Capellus *vel tanquam filium naturalem; vel tanquam prælatum; priore modo non poteſt pater ei ſubiici, poſteriore; poteſt. Sic Papa conſiderari poteſt; vt Vicarius Dei; & vt peccator; & vt morbis obnoxius. Priore modo non poteſt vlli ſubiici. Poſteriore, poteſt. Sic & clerici ſpectari poſſunt, vt homines & ciues, itemque vt clerici, & ad cæleſtem paradiſum duces: vt clerici; non ſunt ſubiecti poteſtati ſæculari; quia, vt ſic, ſunt Patres & paſtores; vt ciues ſunt; ſubiecti ſunt magiſtratui ciuili; quia, quà tales; filÿ ſunt & oues poteſtatis ciuilis,*

Hæc & id genus plura F. Capellus; quibus rem confectam; & Bellarmini rationem funditus euerſam & ſubrutam opinatur; quæ ſi penitius intuearis; cernes; ſpecioſiora; quàm ſolidiora; volubiliora, quàm conſtantiora, & maturiora, Nam quando Bellarminus dicit; peruerti ordinem naturæ; ſi pater ſubiiciatur filio; paſtor, oui, minimè locutus eſt vniuerſim de quocunque parente & quocunque & qualicunque paſtore; ſed de patre & paſtore ſpirituali; nec de quacunque & qualicunque ſubiectione; ſed de coactiua; & qui talem patrem & talem paſtorem poteſtati ſæculari ſubiicit; etiam ſecundum diuerſum reſpectum; (nam qui ſubiiciat patrem vt pater

d eſt,

eſt, filio; & paſtorem vt paſtor eſt; oui; nemo faciet, niſi fatuus fuerit.) eum ordinem naturæ peruertere, rectè aſſeruit Bellarminus; quia ea; quæ ſimpliciter ſuperiora & ſublimiora ſunt; ſubiicit inferioribus quoad praxin & vſum, & quoad ſubiectionem coactiuam; id quod indignum eſt, & prorſus abſonum.

Et licet in quouis Eccleſiaſtico ratio aliqua reperiri queat; ſecundum quam cogitari poſſit tanquam alteri poteſtati ſubiectus; à parte tamen rei hoc fieri non poteſt, ſine indignitate, & naturalis ordinis inuerſione; quemadmodum licet ſubſtantia corporea per intellectum abſque vlla quantitate, aliiſque accidentibus concipi queat; nunquam tamen fieri poteſt; vt abſque vlla quantitate, aliisque accidentibus, in rerum natura exiſtat; Et quandocunque hoc contingeret; id non niſi inuerſo & commutato naturæ ordine contingeret. Sic in noſtro propoſito; licet quis in homine Eccleſiaſtico, hoc eſt, in paſtore & patre conſiderare poſſit nonnullas rationes, ſecundum quas ſubiici poſſit poteſtati politicæ; non tamen propterea reipſa aut ſubiectus eſt poteſtàti politicæ, aut inuiolato naturæ ordine ſubiici poteſt. Nam & in F. Capello reperiri queant rationes, ſecundum quas præcisè ſpectatus poteſt eſſe maritus, & iugo matrimoniali deuinctus. Nihilominus ſi has rationes ſecutus vxorio iugo ſe ſubdere vellet ſacerdos & Monachus; an non ordo naturæ peruerteretur?

Itaque vt ad ſophiſmata F. Capelli directè reſpondeatur; dico; Maiorem eſſe intelligendam de Patre ſpirituali; quales ſunt clerici reſpectu Laicorum: & de ſubiectione coactiua; & propterea Bellar. diſertè vſus eſt illis verbis: *& ſpiritualia corporalibus ſubiicienda ſint*: vt oſtenderet ſe de patre & paſtore ſpirituali loqui. Hoc poſito; falſa

falſa eſt Minor illa; *Qui facit filium Epiſcopum patris; hic ſubiicit Patrem filio*; negatur enim, quod patrem ſpiritalem ſubiiciat filio; ſed naturalem; Quod non mirum; cum pater filio, etiam in ciuilibus, ſubiici queat; vt ſi filius fiat conſul, prætor, Princeps.

Illud de Pontif. mera eſt cauillatio: nam ſubiiciendo ſe confeſſario, non ſubiicit ſe diuerſæ à ſua poteſtati; ſed ſpirituali & Eccleſiaſticæ; qualiſcumque illa ſit ſubiectio: de qua nil neceſſe in præſentia diſputare: nec tam miniſtro ſubiicitur; quàm Deo; cuius ſacerdos in hoc ſacramento inſtrumentum eſt: nec ſubiicitur ſimpliciter quoad coactionem; ita; vt confeſſarius etiam inuitum & reluctantem ad ſubeundam pœnitentiam compellere poſſit; ſicut qui ciuili magiſtratui ſubiectus eſt; cogi poteſt quantumuis reluctans, ad exſoluendam pœnam.

Tertium de Medico inſignis eſt cauillatio. Eſtne Medicus; qui Pōtificem; aut quemcunq; alium clericum, ſanat; ſuperior Pontificis aut clerici? Habetne ius & auctoritatem in Pontificem vel clericum? Ius, inquam, coactiuum, cuiuſmodi ad ſuperioris propriè dicti rationem & functionem requiritur?

Dicit F. Capellus, *Bellarmini dictum, quod pater non poſſit ſubiici filio; niti ſola æquiuocatione.* Rectiſſimè & veriſſimè hoc de omnibus hiſce Frater Capelli cauillatiunculis, affirmaueris; nam Medicus non niſi impropriè ſuperior eius appellatur, quem ſanat; quatenus illum præceptis & præſcriptis ex arte ad ſanitatem vel tuendam vel recuperandam dirigit.

Sed en aliam pluſquam Archimedeam demonſtrationem. *Cui non repugnat natura, ei multo minus repugnant conditiones & proprietates eſſentiales eius naturæ; ſtatui clericali non repugnat natura humana; ergo ſtatui clericali non*

repugnant conditiones & proprietates eſſentiales naturæ humanæ: At eſſe animal ciuile, & per conſequens, ſubiectum eſſe poteſtati politicæ, eſt proprietas eſſentialis naturæ humanæ, vt demonſtratum eſt ſupra (ſcilicet) *ergo non repugnat ſtatui clericali; vt ſæculari poteſtati ſubiiciatur.*

Hoc argumento palam profitetur F. Capellus intellectum ſuum ad aſſenſionem cogi. Quod tamen prorſus eſt inane. Nam ſi quid in eo ponderis ineſſet; probaret, omnes ſacerdotes & Monachos debere ducere vxores; quia homo eſt animal ſociale etiam ſocietate coniugij; imò hæc prior eſt, quàm ſocietas ciuilis; & eò quiuis à natura propendet; *ergo viuere in matrimonio;* (cum F. Capello argumentor) *eſt proprietas eſſentialis, hominis; cui ergo conuenit natura; huic conuenit etiam eſſentialis proprietas; ſed eſſentialis proprietas eſt viuere in matrimonio; & ſubditum eſſe coniugali iugo, ergo, etc.* Hoc argumẽtum nõ mirarer, ſi ex Saxonia ad me ab aliquo Prædicãte miſſum perueniſſet; ſed quia ex Italia venit, & à ſacerdote & Monaſticę vitę profeſſore; non tãtum miror; ſed & penitus obſtupeſco; quomodo odium veritatis, ingenia, alioqui bona & acria, excœcet; & ad quiduis, licet futiliſſimum, nomine *demonſtrationis* venditandum impellat.

Ad argumentum in forma, concedo liberaliter Maiorem, Minorem & Concluſionem. Quod additur; *ſubiectum eſſe reipſa poteſtati ciuili eſſe proprietatem eſſentialem naturæ humanæ, id falſiſſimum eſt*; & inde directè ſequuntur Marſiliana illa paradoxa: *Chriſtum poteſtati ciuili fuiſſe ſubiectum*; quia habuit naturã humanam; *cui autem natura humana conuenit ei conueniũt etiã proprietates eſſentiales naturæ humanæ, inter quas, ſecundum F. Capell. vna eſt; eſſe ſubiectum poteſtati politicæ.* Imo & in cælo beati huic poteſtati ſuberunt; quia nullam humanæ naturæ eſſentialem pro-

prietatem

prietatem amittent. Nec Pontifices vel Imperatores potuerunt eximere clericos à iuriſdictione ſæculari; quia non potuerunt vllam eſſentialem naturæ humanæ proprietatem à clericis ſeparare. Et tamen his nugamentis, ex quibus talia portenta ſequuntur; dicit F. Capellus, *intellectum ſuum ad aſſentiendum penitus cogi.*

Necdum finis demonſtrationum. *Ad omnes illos, qui ſunt felicitatis temporalis capaces, extendit ſe poteſtas politica; cleri ſunt felicitatis temporalis capaces; ergo ad eos extendit ſe etiam poteſtas politica*; conſequenter, poteſtati huic ſubiecti ſint. F. Capellus enumerat duas ad hoc argumentum ſolutiones; vtramque impugnat. Ego neutram moror. Ex doctrina ſuperius iam tradita, nego Maiorem: quià licet clerici ſint temporalis felicitatis capaces, hanc tamen ſatis ſuperque aſſequi poſſunt per eminentiorem poteſtatem Eccleſiaſticam. Inſtat F. Capellus. *clericus aut eſt homo; aut non:* vtique homo. *Ergo animal ciuile.* Eſto. *Ergo reipſa ſubiectus poteſtati ciuili.* Negatur conſequentia. Niſi cum Marſilio Paduano argumentari velimus. *Chriſtus aut eſt homo aut non. Si homo, ergo animal ciuile, ergo poteſtati ciuili ſubiectus.* Quale monſtrum illud; cum F. Capellus dicit, *liberari à poteſtate ciuili nil aliud eſſe; quàm liberari ab humana natura*; hoc eſt, eo redigi; vt quis non ſit homo. Quo innuit; Pontif. & Imperatores, imò & Deum, tam non potuiſſe clericos ab humana poteſtate eximere; quàm non potuerunt efficere; vt non eſſent homines. Quo tendis Frater Capelle? proteſtaris quidem te hoc non velle; at tua argumenta proteſtationi tuæ contradicunt. Ponis duos modos, quibus clerici à poteſtate ciuili eximi potuerint, prior eſt; *vt penitus à poteſtate ciuili fuerint liberati*; Et hunc negas ſub intelligentiam cadere. Fieri enim non poſſe; vt homo, ani-

mal ciuile, penitus à poteſtate ciuili liberetur. quæ eſt; pace tua dixerim; grandis hallucinatio; in Chriſtum; inque Eremitas, & ſacros canones, ipſasq; ciuiles leges iniurioſa. Alter eſt; *Principes politicos conceſſiſſe facultatem & feciſſe poteſtatem Eccleſiaſticis, vt clericos in rebus ciuilibus gubernarent; & ſic Eccleſiaſticos quaſi in partem politicæ gubernationis à principibus politicis vocatos eſſe.* Et hic modus tibi arridet; qui priore vix eſt tolerabilior: ex hoc enim rurſus ſequitur; Chriſtum fuiſſe ſubiectum poteſtati ſæculari; quia nullus tum extitit princeps; qui Eccleſiæ dediſſet poteſtatem regendi ſuos in rebus politicis. Sequitur etiam ſacros Canones & ſummum Pontificem hac in exemptione non vſos auctoritate ſua; ſed Imperatoris & aliorum principum. Quæ omnia tuetur Frater Capellus in gratiam poteſtatis politicæ; vt facultatem conceſſam à Prælatis Eccleſiaſticis auferat, quando & prout iubet; ratus, ne Deum quidem hoc modo clericos à ſæculari poteſtate exemiſſe. Idem & ego reor; quia modus prorſus eſt commentitius, & in phantaſia Fratris Capelli natus; qui nobis hanc quoque demonſtrationem cæteris parem proponit.

Non poſſunt clerici eſſe liberi à magiſtratu politico de iure diuino, ſi de iure diuino & de manu Dei non acceperunt communicatam ſibi poteſtatem politicam; ſed prælati Eccleſiaſtici non habent à Deo commiſſam ſibi poteſtatem, vel curam politicam, ſed ſolam ſpiritualem & Eccleſiaſticam, quæ eſt ordinata ad felicitatem æternam; ergo clerici non ſunt à Deo exempti à magiſtratu politico. Omiſſis Thraſoniſmis Fratris Capelli; breuiter nego Maiorem. Nam vt clerici exempti ſint à poteſtate ſæculari, ſatis eſt communicata à Deo prælatis Eccleſiaſticis poteſtas ſpiritualis, quæ eminentior & ſuperior

ſuperior eſt; & dirigendo ſibi ſubiectos ad felicitatem æternam, ſimul eoſdem optimè & fideliſſimè dirigit ad felicitatem temporalem: & perinde eſt, ac ſi Frater Capellus diceret: *Nulla cauſſa poteſt calefacere, niſi quæ calorem accepit: ſolus ignis calorem accepit; ergo ſolus ignis poteſt calefacere.* Quid promptius, quàm negare Maiorem? Nam vt cauſſa calefaciat; ſatis eſt; vt eminenter vi calefaciendi prædita ſit; neque enim oportet, vt formaliter calorem habeat: Eadem eſt ratio in propoſito.

Audi adhuc ſubtiliora. *Politicus magiſtratus eſt paſtor, poteſt ergo quemlibet lupum gregi ſuo Laico damnum ſeu exitiũ ſtruentem punire & repellere, etiamſi lupus ille ſit clericus; ergo clerici ſubiecti ſunt poteſtati politicæ.* Reſpondeo, vel nomine *lupi* inuadentis intelligitur illa violenta inuaſio, contra quam aduerſus cuiuſcunque inſultum & impreſſionem ſe licet iure naturali defendere; & tunc argumentum non eſt ad propoſitum; quia clarum eſt; ipſum ius naturale cuiuis facere poteſtatẽ, vt ſe ab inuaſore, qualiſcunque ille ſit, tutum præſtet; nec ad hoc requiritur auctoritas, vel, vt ſic loquar, *ſuperioritas*; Vel ſermo eſt de lupo inuadente non cum huiuſmodi violentia, contra quam ipſo iure naturali defenſio concedatur; & tunc vigilare & attendere licet, ne lupus gregi politico noceat: capere tamen aut occidere non licet; ſed hoc ei committendum eſt; ad cuius tribunal pertinet; nempe Eccleſiaſtico magiſtratui: aut ſi capiatur; quia res non fert moram, vel quia periculum eſt; ne aufugiat: tradendus eſt ſuo magiſtratui: prout fieri videmus in nonnullis ciuitatibus; & in hac noſtra INGOLSTADIENSI ACADEMIA; quæ clericorum Priuilegio gaudet; vbi noctu ſi tumultuans Cap. 10.

clericus

clericus aut ſtudioſus ab excubiis capitur, aut in crimine quopiam deprehenditur, elapſo præfinito tempore, magiſtratui ſuo ſiſtitur.

Dicit F. Capellus, *ſibi perquam inſolens & abſonum videri; vt quis ſit paſtor; & tamen non habeat poteſtatem caſtigandi & interficiendi quoque lupi, ſi neceſſitas poſtulet. talem enim eſſe paſtorem non paſtorem, quippe eſſentiali paſtoris conditione deſtitutum.* Hoc leuiculũ eſt: quia poteſt euenire caſus; vt liceat occidere, quod antea dictum; iure naturæ vindicationem à violenta inuaſione exigente. Deinde paſtori Laico ſemper liberum & licitum eſt implorare opem poteſtatis Eccleſiaſticæ aduerſus lupum clericum. Nec deerit ille ſuo muneri. Itaque quod Paſtor per alium facilè & expeditè poteſt; eius faciendi facultate priuatus cenſeri non debet. ſæpe etiam, negotio moram non ferente; capi poteſt talis lupus, & coniici in vincula; ſed hac lege; vt ſuo iudici quàm primùm fieri poterit, tradatur. Quæ ſunt vel expreſſa vel tacita pacta conuenta inter magiſtratum politicum & Eccleſiaſticũ. At vide quo non progrediatur iſte Eccleſiaſticæ libertatis hoſtis & impugnator. *Reus*, inquit, *ſortitur forum ratione delicti; ergo & clericus reus.* Ex quo infert; *clericos ratione delicti ſubiici principibus politicis; in quorum ditione peccãt; licet alioqui ab eiuſmodi principum iuriſdictione exempti eſſent; quemadmodum Hiſpanus aut Gallus quiſpiam homicidium Venetiis perpetrans; ſubiicitur ratione facinoris Principi Veneto; quantumuis aliâs non ſit ſubiectus.* Sed negatur conſequentia. Nullus hactenus extra Marſilianam ſcholam; vel quem ſcholæ illius aura non afflauerit, exſtitit; qui ob delictum præcisè, diceret clericos ſubdi magiſtratui politico; De ſolis Laicis & legum & Canonum Doctores id tradiderunt: quia vt quis ratione delicti forum ſortiatur; oportet, vt iuriſdictioni, quæ eſt in illo foro, ex vi ſtatus

ſui

ſui poſſit ſubiici: nam Hiſpanus Laicus aut Gallus Venetiis homicidium perpetrans, ex vi ſtatus Laici, in quo degit, foro illi poteſt ſubiici; At clericus ex vi ſtatus ſui non poteſt ſubiici iuriſdictioni ſæcularis fori; ergo neque ratione delicti, quod committit; ſortitur clericus forum ſęculare.

Accedit, quod vbicunque peccat clericus, in aliqua diœceſi Eccleſiaſtica peccat; eſto igitur, quod ſortiatur forum ratione delicti; at non ſortietur aliud; quam Eccleſiaſticũ; Ab illo enim Eccleſiaſtico magiſtratu puniri poterit, intra cuius fines deliquit. Et hæ ſunt rationes ex ratione ductæ, quibus F. Capellus Eccleſiaſticam libertatem & à ſæculari poteſtate exemptionem oppugnatum iuit.

F. Paulus Seruita in ſuis inconſideratis conſiderationibus etiam hoc argumentum adfert. *Si clerici iure diuino eſſent ſub poteſtate Eccleſiaſtica, tunc Pontifex non poſſet Laicũ dare poteſtatem in clericos; ſicut non poteſt Laicis dare poteſtatem vt dicant Miſſam, & confeſſiones audiant; ſed conſequens eſt falſum; ergo & antecedens.* Si quis obiiciat; eſſe iuris diuini; ſed in eo diſpenſari poſſe: occurrit F. Paulus: *Eſſe ius diuinum, & eſſe diſpenſabile; implicare contradictionem.* Hoc argumentum meritò irridet Ioan. Bouius in ſuo ſcripto aduerſus F. Paulum. Breuiter, diſtinguitur ſequela: Non poteſt Pontifex dare Laicis poteſtatem, vt ipſi ſua & propria auctotitate ius in Clericos habeant: eſto Maior. poteſt Laicis dare poteſtatem in Clericos delegatam, tanquam commiſſariis & Vicariis ſuis; negatur ſequela: Quod illuſtratur exemplo excommunicationis. Pontifex de iure diuino habet poteſtatem excommunicandi ſua & propria auctoritate; & tamen excommunicandi poteſtatem, etiam Laico, delegare poteſt; vt communis

fert Theologorum opinio; qui Laicus ſi excommunicet, non ſua; ſed ſibi delegata auctoritate excommunicat. Et alia ratio eſt Miſſæ dicendæ, & confeſſionum audiendarum; hæc enim & ſimilia ordinis ſunt; Itaque committi non poſſunt Laico, absque ordine. Contradictio illa fictitia eſt; nam quidquid ſit de diſpenſatione propriè dicta; num cadat in legem diuinam; hic nulla interuenit propriè loquendo diſpenſatio; quia non eſt iuris diuini; vt poteſtas iudicandi & puniendi Clericos non poſſit Laico delegari; ſi neceſſitas id efflagitet; ſed hoc iuris diuini dicimus; vt nemo id poſſit ſua & propria auctoritate, niſi Eccleſiaſticus magiſtratus, & quod hinc eſt conſequens; vt nullus Laicus ſua & propria auctoritate; ſed tantùm ſibi delegata id poſſit.

Inſtat F. Paulus; *Si eſſet iuris diuini, tunc poteſtas ſæcularis nõ poſſet per diuturnam conſuetudinem ius clericos iudicandi & caſtigandi obtinere: at poteſt; ergo, &c.* Sed negatur Minor. quam iſte nec probat; nec probare valet; cum etiam ſacri Canones & Pontificum Reſcripta huiuſmodi conſuetudines & præſcriptiones etiam ab immemorabili tempore accerſitas damnent ac irritas faciant; vt Bouius copioſè docet.

CONSI-

CONSIDERATIO VNDECIMA.

Quantum valeant ſolutiones, quibus F. Capellus diſſoluere nititur argumenta Illuſtriſſ. Card. Bellarmini pro libertate Eccleſiaſtica.

PROBAT Card. Bellarminus in ſua Diſputatione de Clericis exemptionem clericorum à ſæculari poteſtate eſſe Iuris diuini *Poſitiui*. Poſtea eſſe itidem Iuris naturalis; quod etiam diuinum eſt; Hoc autem, quomodo explicet, leges apud ipſum Cardinalem. *cap. 28.* *cap. 29.*

F. Capellus obiicit. I. *Si exemptio Clericorum eſſet de iure naturali, ſequeretur Deum tuliſſe legem iniquam; qua Leuitas politicæ poteſtati in cauſſis politicis ſubiecit, hoc non eſt dicendum, ergo, &c.* Vbi verò illa lex? Dicit F. Capellus, *ſe iam ſupra demonſtraſſe talem legem à Deo eſſe latam.* At ego nec ſupra nec infra vidi talem legem; nec in Bibliis meis reperio. *F. Capell. p. 2. cap. 27.*

II. *Sequeretur Salomonem grauiter peccaſſe, quando Abiathar à ſacerdotio expulit.* Negatur ſequela. Cauſſa liquet ex ſupradictis.

III. *Sequeretur Dauidem, omnesq́ alios Reges & Iudices Iſraëliticos fuiſſe in ſtatu damnationis; quia iudicarunt Leuitas.* Negatur ſequela: cuius falſa eſt cauſſa. Mirum F. Capellum non adduxiſſe cum F. Paulo Regem Ioas, qui occidit Zachariam; filium Ioiadæ. Sed eodem iure adferri poſſet Nero, qui occidit Petrum & Paulum. *2. Paralip. 24.*

IV. *Epiſcopos Concilij Nicæni peccaſſe mortaliter; quia accuſarunt ſe mutuò coram Conſtantino Imperatore.* Reſpondeo, Nullus Hiſtoricus dicit; omnes Nicæni concilij Patres hoc feciſſe. Deinde negatur ſequela, cauſſa ſuo loco eſt reddita.

V. *Sequeretur peccaſſe Cæcilianum Epiſcopum Carthaginenſem; quia acceptauit Iudicem Conſtantinum Magnum.* Negatur ſequela, quia non acceptauit; niſi Donatiſtarum importuniſſima importunitate coactus.

VI. *Sequeretur Melchiadem Papam peccaſſe, quando iudicauit Cæcilianum per commiſſionem Imperatoris.* Reſpondeo, falſum eſt Melchiadem iudicaſſe per commiſſionem Imperatoris; quia iudicauit ſua & propria auctoritate. At Conſtantinus miſerat Donatiſtas ad Melchiadem Papam. Ita eſt; ſed non ideo Melchiades Imperatoris ſubdelegatus Iudex erat: ſicut neque iam Pontifex Imperatoris ſubdelegatus iudex eſt; ſi hæreticos cum Catholico antiſtite litigantes ſuo à foro amandet, & ad Pontificis tribunal ableget.

VII. *Sequeretur S. Auguſtinum fuiſſe ignorantem; quia commendat hoc iudicium.* Meo iudicio, magis ſequitur, eum eſſe ignorantem, qui tali obiectione vtitur; nam S. Auguſtinus commendat iudicium factum à Melchiade; quia & legitimè & à legitimo & ordinario iudice factum fuerat.

VIII. *Sequeretur patres Concilij Epheſini primi & Chalcedonenſis grauiter offendiſſe Deum, quia ſponte ſua ibant ad iudicium Imperatoris quando ſententia de Epiſcopis erat ferenda; & tantum abeſt; vt eorum ſententiam damnarent; vt potius tanquam à Deo pronunciatam, vehementer commendarent.*

Sequela nulla eſt; quia futilis eſt; & inanis probatio, quæ additur. Nunquam confugerunt ad Imperatorem, vt ad ſuum legitimum iudicem; Nec vlla in omnibus illis legitima ſententia exſtat; quæ independenter à ſynodis per Imperatores lata ſit.

IX. *Sequeretur omnes Epiſcopos Chriſtianos, tot ſanctos, tot*

tot Papas fuiſſe denſiſſimis ignorantiæ tenebris inuolutos, vel grauis peccati reos, dum obedierunt decretis principum de congregando Concilio. Longè mihi ſit veriſimilius, illum, qui hac obiectione vtitur, talibus in nebulis degere; præſerſertim cum hanc coronidem adiiciat. *Ea propter concludo ad honorem Dei, ad honorem antiquitatis, ad tot ſanctitate præſtantium virorum defenſionem, ad confirmandam Conciliorum infallibilem auctoritatem; clericos nec de iure diuino naturali; neque de iure diuino ſcripto à poteſtate Laicorum exemptos eſſe.* Logos meros audio; verbis obſtreperos, rerum inanes. Quid ad gloriam Dei tuæ, tuorumq; collegarum diſputationes collaturæ ſunt; videmus iam perſpicuè; & ſi periculum eſt; ne clarius hoc viſuri ſimus in poſterum, niſi Deus clemẽter ex alto nos reſpiciat. Tantum videlicet iſtæ lucubrationes ad publicam vtilitatem & diuini nominis gloriam illuſtrandam faciunt; quantum olim ſcripta Marſilij Paduani, & ſimilium; qui flabellis & fabellis ſuis ſchiſmata & inobedientiam erga ſedem Apoſtolicam fouebant.

Vt probet Bellarminus clericos iure diuino poſitiuo à ſæculari poteſtate exemptos eſſe; hac, præter cæteras, ratione vtitur. In libro Numerorum cap 3. Deus non ſemel, ſed ſæpius repetit, Leuitas propriè ſuos eſſe atque eos ſibi ex omni populo delegiſſe. & in eodem loco, dono dari iubet omnes Leuitas Aaroni, & filiis eius, ideſt, ſummo ſacerdoti, & ſucceſſoribus eius. Quos enim ſibi ipſe delegit ad miniſterium templi, rerumque ſacrarum; ſoli Pontifici, qui locum Dei repræſentabat in terris, ſubiectos eſſe voluit, ac per hoc à iuriſdictione terrenorum principum liberauit. Conſtat autem id eſſe nunc in Eccleſia clericos, quod erant Leuitæ in Teſta-

mento veteri; & Pontificem Chriſtianorum non minoris eſſe auctoritatis, ſed longè maioris in Eccleſia Chriſti, quàm fuerit Aaron in ſynagoga Iudæorum.

Quid Frater Capellus? *Eſt certè hæc ratio pulchra & ingenioſa; ſed videtur mihi, quod deficiat in fundamento, nihilque concludat. Supponit enim illuſtriſſimus, in hoc argumento;* inquit Frater Capellus, *ſacerdotes fuiſſe exemptos à ſæculari iudicio: & à poteſtate temporali in cauſſis politicis; & ſic concludit, etiam Leuitas, tanquam ſacerdotum miniſtros, ſimiliter exemptos fuiſſe; ſed nos iam demonſtrauimus errorem huius fundamenti.* Vbi? ſemper iactat F. Capellus demonſtrationes; Et cum ad rem ventum eſt, nil adfert, niſi ſophiſmata ex *æquiuocationum* phantaſmatibus contexta. Etſi hoc, quod ipſe ait, non eſt fundamentum Bellarmini; ſed Scripturæ auctoritas; nam ſi Leuitæ exempti fuêre, quanto magis ſacerdotes.

Leuitas fuiſſe donatos Aaroni fatetur F. Capellus. Sed addit ſuum coccyſmum. *In ſpiritualibus fuiſſe ſubiectos Aaroni; in temporalibus Moyſi.* Hoc neque hic probat, neque ſuperius probauit vnquam; ſed tantum aſſerit, & aſſeruit, abſque vlla probatione; aut ſi quam attulit; illa ex Marſilij, Lutheri, vel Caluini ſchola deprompta eſt.

Ait; *non ideo Leuitas fuiſſe exemptos à poteſtate, cui ex præſcripto naturæ ſubiecti erant; quod in ſortem Domini tranſiſſent, quemadmodum neque iam filij facti clerici liberantur propterea à poteſtate paterna;* Vbi rurſus Frater Capellus fumos vendit. Negamus filium clericum, quoad coactionem, patri ſuo ſubiectum eſſe. Imò per clericatum longè perfectius ex ſubiectione iſta eximitur, quàm per emancipa-

mancipationem. Nam quod ad honorem, reuerentiam & obſeruantiam filialem patri debitam attinet; quis neſcit, filium; etiam ad ſummi Pontificatus dignitatem eueĉtum, ſemper patri obligatum eſſe? At nōn eſt hic ſermo de hoc naturali debito; ſed de ſubieĉtione, quoad vim & poteſtatem coaĉtiuam. Et tamen Frater Capellus in his *æquiuocis* poteſtatis & obedientiæ latibulis, perpetuò latebram quærit. Et cum de exemptione à lege humana ſermo ſit; iſte perpetuo recurrit ad ius naturæ; &, quod mireris, etiam ad corpora cæleſtia; quibus etiam clericos ſubieĉtos dicit: Quaſi verò quæſtio ſit de exemptione à lege naturali & diuina; vel à curſu ordinario naturæ; & non potius ab exemptione legis humanæ; humanę, inquam, politicæ & ſæcularis. Vt ergo clericus iuri naturali & diuino ſubieĉtus maneat; quantumuis licet in cleritorum ordinem adſcitus; attamen non manet ſubieĉtus vlli poteſtati ſæculari & ciuili; quatenus talis eſt; ſed ſoli Eccleſiaſticæ ſubditur; quæ diuinam & naturalem minimè excludit. Si tamen clericus aduerſus legem naturalem in quocunque obieĉto vel aduerſus diuinam delinquat, non poteſt puniri niſi à poteſtate Eccleſiaſtica; aut ſi à ſæculari, permiſſu tamen poteſtatis Eccleſiaſticæ.

Probat BELLARMINVS, exemptionem Clericorum eſſe de iure diuino poſitiuo Conciliorum teſtimoniis; & inprimis Tridentini; quæ vt F. Capellus eludat, ait, *ſe poſſe Concilia Conciliis opponere.* Sed nullum vnquam adferet; quod vel faĉto, vel exemplo, vel decreto doceat ſtatuatue, clericos ſæculari poteſtati ſubieĉtos eſſe; Nam quantū ponderis in illis inſit, quæ ſupra produxit; ſatis ſuperque ſupra viſum eſt. Multa poſtea tautologicè

& batto-

& battalogicè declamat de iudicibus à Moyſe conſtitutis, ſuaſu Ietro ſoceri; & ſupponit ſemper in diuerſarum tribuum ciuitatibus alios non fuiſſe Iudices pro vllis incolis ordinatos, quàm Laicos; ex quo infert, etiam Leuitas à Laicis in porta pro tribunali ſedentes iudicatos fuiſſe; Leuitas, inquam, ſparſim in reliquarum tribuum vrbibus degentes. Et hoc tamen nullo veriſimili argumento confirmat; vt ſupra viſum. Taceo Leuitas habuiſſe ſuas ciuitates proprias, & in iis magiſtratus; ad quos fortaſſe ex toto Iſraële iuris obtinendi gratia vel vltra ibant, vel mittebantur, vel citabantur.

Vt autem Frater Capellus & ſe & illos; quorum cauſſam tuetur, in ſemel concepta opinione & obſtinatione ſtabiliat; quiduis audacter aſſerit; abſque vllis vel ſcripturæ vel veterum teſtimoniis. Ex quo genere inprimis illud; quod ſcribit, morem illum iudicandi; quem in eremo inſtituit Moyſes, tranſiiſſe etiam ad poſteros; cum ſcilicet Moſes ex ſingulis tribubus conſtituit viros iudicio & virtute conſpicuos, qui res leuioris duntaxat momenti iudicarent; & grauiores cauſſas ſiue politicas, ſiue Eccleſiaſticas ad ſe referrent. *Morem hunc*, inquit Frater Capellus *tranſmiſſum eſſe ad poſteritatem; & poſt Moyſen, Rectores populi Iſraëlitici; Iudices primùm, deinde Reges; per ſingulas ciuitates ſenioribus id mandati dediſſe; vt cauſſas leuiores tantummodo iudicarent; omneſque grauiores, ſiue politicas ſiue Eccleſiaſticas ad Iudicem, vel Regem, qui tunc Imperium tenebat; referrent; ad imitationem formæ à Moyſe in deſerto inſtitutæ. Poſtea Imperio ad Chriſtianos Imperatores & Reges delato; eoſdem ſimilem iudicij formam introducere, & clericis noua legis concede-*

concedere voluiſſe, conſimili modo priuilegia ſimilia illis, quæ olim Leuitis conceſſa fuerant; quibus exempti ſint de iudicio ordinario fori ſæcularis; reſeruata tamen cauſſarum criminalium & grauiorum cognitione ipſi Imperatori; ſicut quondam reſeruabatur Moſi. Quæ omnia prorſus ſunt commentitia; neque alio fine excogitata; quàm vt F. Capellus cõmenta ſua ſimplicioribus eò facilius inſtillet; nam ex capite 17. Deut. & aliunde manifeſtiſſimè patet; fuiſſe aliã iudiciorum formam inſtitutam; & illam, quàm Moyſes ſoceri ſui ſuaſu inſtituerat; mutatam; quando Iſraëlitæ, finita peregrinatione ſua, in ciuitatibus terræ promiſſæ cœperunt habitare. Imò adhuc in ipſo deſerto mutata eſt; nam, vt cap. 11. Num. legimus, iuſſu Dei, cõmiſſa eſt populi iudicandi poteſtas ſeptuaginta ſenioribus; & quidem abſque reſtrictione & limitatione illa; quæ in Exodo cap. 18. legitur: *de leuioribus tantùm cauſſis cognoſcendis & definiendis, grauioribus autem ad ipſum Moyſen referendis.* Quod verò forma iudicij cap. 18. Exodi deſcripta, poſtmodum fuerit mutata, patet ex c. 17. Deut. vbi ſingulis ciuitatibus ſuos fuiſſe ordinarios iudices legimus; qui de omni controuerſia exorta iudicarent & pronunciarent: nulla enim excipitur: nam inter *cauſſam & cauſſam*; inter *lepram & lepram*; interque *ſanguinem & ſanguinem* iudicare iubẽtur: & ipſe etiam Ioſaphat Rex, *2. Paralip. 19.* non reſtrinxit, more Moſis, ad res duntaxat leuiores poteſtatem iudicum, quas ſingulis ciuitatibus præfecerat; ſed abſolutam illis controuerſias cognoſcendi copiam fecit; tametſi ſi quid difficile, ambiguum, arduum & obſcurum incideret, quod à iudicibus intra portas decidi & terminari non poſſet; mittebantur partes litigantes; Quo? Num ad Principem temporalem vel Regem, qui poteſtatem grauiora iudicandi ſibi reſeruarit; vt vult F.

Deut.17. Capellus? Audi verba ſacri contextus. *Surge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus* (Is primum quidem fuit Silo; poſtea Hieruſalem) *veniesq́ ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore*, &c. En quo ablegati ſint homines, ſi quando huiuſmodi lis extitiſſet; quæ ab ordinariis iudicibus intra portas terminari nequiret. Ad magnum Concilium Hieroſolymitanum amandabantur. Quis in illo Concilio? *Sacerdotes Leuitici generis; & ſacerdos, qui eo tempore miniſtrabat Domino Deo*; hoc eſt, Pontifex Summus. Huc iubentur tendere, quibus ab ordinariis iudicibus ſatisfieri non poterat: Et horum ſententia, quacunque in cauſſa, adeo inuiolabilis & ſancta erat; vt ſi quis refragaretur; extremo ſupplicio afficeretur. Quo ergo calamo ſcribit F. Capellus; hunc ſemper in Iſraële ſeruatum morem, vt politici Principes grauiores cauſſas, etiam Leuitarum, exemplo Moſis ſibi reſeruarent? Quæſo, quò mittuntur; quorum cauſſæ tam erant difficiles & arduæ, vt intra portas ab ordinariis iudicibus diiudicari & definiri non poſſent? Nonne mittuntur ad ſacerdotes; & ad ſacerdotum Antiſtitem Summum Pontificem?

Licet verò fortaſſe non ſit improbabile, huic Hieroſolymitano magno Conſilio etiam laicos interfuiſſe & aſſediſſe; omnia tamen gerebantur arbitrio & decreto ſacerdotum; præſertim Summi. Hinc diuinum mandatum: *Venies ad ſacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresq́ ab eis; qui indicabunt tibi iudicij veritatem*; definiendo ſcilicet, quid tenendum, quidue omittendum ſit. Nec dicit ſacer contextus. *Et facies, quæcunque tibi dixerint Rex, vel princeps politicus*; ſed, *qui præſunt loco*; hoc eſt, ſacerdotes Leuitici generis: iſti enim præerant loco; quem elegerat Dominus: Nec dici-

dicitur: *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Regis vel principis politici;* ſed, *ſacerdotis imperio; qui eo tempore miniſtrat Domino* DEO *tuo; ex Decreto iudicis morietur homo ille.* Cum ergo quod iſte ſcribit, merum ſit figmentum, figmentis pariter accenſeri debet, quod fingit; *Imperatores Chriſtianos poſtmodum ad exemplum Moſaicæ Reipublicæ exemiſſe à poteſtate ſæculari clericos; in rebus videlicet minutioribus; grauioribus ſibi reſeruatis.* Quod, vt dixi, perquam vanum eſt, nec contradictionis expers; nam ſupra multis contenderat iſte, Leuitas *ſimpliciter in omnibus rebus politicis fuiſſe ordinariis iudicibus intra portas conſidentibus ſubiectos;* nunc eoſdem exemptos fuiſſe ait, *ſed in rebus leuioribus, non in criminalibus, & grauioribus.* Quæ hæc conſtantia?

Illud mihi placet, quod F. Capellus, ſuos collegas, hoc eſt, nouum Marſilium à Neapoli, erroris arguit; quia dicant; *Iuſtinianum Imperatorem fuiſſe primum, qui clericis conceſſerit exemptionem à iudicio, & diſtinctionem fori introduxerit*: cum Sozomenus teſtetur, hac exemptione à foro ciuili donatos fuiſſe clericos ante Iulianum Apoſtatam; qui denuo eoſdem foro ciuili ſubiecit, de quo prædictus Hiſtoricus: *clericis omnia priuilegia, honores conſuetudinesq́ ſubtraxit, & leges poſitas pro eis ſoluit, ipſosq́ Curiæ tradidit.* Sozom. lib. 5. cap. 5.

Adducit F. Capellus *Capitularia*, (ſic vocant) hoc eſt, leges Caroli Magni; in quorum libro ſecundo, cap. 2. dicit; *In hoc certare & nos, & filios, ac ſocios noſtros diebus vitæ noſtræ optamus, vt tria ſpecialiter capitula, & à nobis, & à vobis, Deo opem ferente, in huius regni adminiſtratione ſpecialiter conſeruentur; id eſt, vt defenſio, & exaltatio, vel honos ſanctæ Dei Eccleſiæ, & ſeruorum illius con-*

gruus maneat; & pax, & iuſtitia in omni generalitate populi noſtri conſeruetur. In his quippe maximè ſtudere, & de his in omnibus placitis, quæ vobiſcum Deo auxiliante habituri ſumus, vos admonere optamus, ſicut debitores ſumus. Et cap. 3. ſubiungit. *Sed quanquam ſumma huius miniſterij, in noſtra perſona conſiſtere videatur, tamen & diuina auctoritate, & humana ordinatione, ita per partes diuiſum eſſe cognoſcitur, vt vnuſquiſque veſtrum in ſuo loco, & ordine, partem noſtri miniſterij habere cognoſcatur. Vnde apparet, quòd ego omniũ veſtrum admonitor eſſe debeo, & omnes vos noſtri adiutores eſſe debetis. Nec enim ignoramus, quid vnicuique veſtrum, in ſibi commiſſa portione conueniat, & ideo prætermittere non poſſumus, quin vnumquẽq; iuxta ſuum ordinem admoneamus.* Hæc Carolus Magnus: quæ quid F. Capellum iuuant? Non vocat ſe *Eccleſiaſticorum iudicem*; ſed *admonitorem*: ſibi incumbere dicit, diſpicere, vt religio ſarta tecta conſeruetur. Quis abnuit? ſibi inprimis defenſionem Eccleſiæ commiſſam profitetur. Quis negat Reges Eccleſiæ tutores ac defenſores primarios eſſe? Ait: *vnumquẽque Epiſcoporum habere partem miniſterij regalis in procurãdo Eccleſiæ bono.* Et quid inde pro ſuo errore colligit F. Capellus? Et Regis & Epiſcopi eſt Eccleſiam incolumem præſtare: mutuasque operas ad hoc eos conferre debere; nemo inficias ierit.

Cap. 13. vult Carolus Magnus ad ſe deferri, *ſi qua cauſſa exiſtat, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat; quæ etiam ſine noſtra poteſtate*, inquit Imperator, *corrigi non poſſit; nos diu latere non permittatis, qui omnia, Deo auxiliante, corrigere debemus.* Ex quibus colligit F. Capellus, cauſſas criminales & grauiores clericorum, & ipſorum etiam Epiſcoporum Carolum ſibi reſeruaſſe, ſed ſolito vtitur acumine. Non enim ideo

vult

vult omnia atrociora ſuam ad notitiam perferri; quod ipſe eſſet omnium iudex; ſed quia ipſius erat curare; vt omnia per competentes iudices corrigerentur. Non eſt vetitum principibus; vt diligenter circumſpiciant, quid agatur tam ab Eccleſiaſticis quàm à politicis; dentq; operam, vt ſi quæ minus recta ſunt, corrigantur; ſed per ſuos quæque magiſtratus & competentes iudices.

Quàm autem leges Caroli & aliorum Imperatorum & Regum, qui in volumine Francicarum legum exſtant; planè contra Eccleſiaſticam libertatem & immunitatem nihil contineant; inde liquet, quod non niſi aſſentientibus & adiuuantibus Epiſcopis latæ & rogatæ ſunt: in fauorem & incrementum ſtatus clericalis, non in odium & decrementum.

Miror porrò F. Capellum tam aſſiduum legũ Francicarum lectorem non incidiſſe in caput 33. & 34. libri Quinti: vbi adeo Carolus Magnus in cauſſis criminalibus iudicium in ſacerdotes ſibi non arrogauit, vt cum magna eſſet exorta quęſtio, quid agi deberet, cum ſacerdotibus accuſatis, qui teſtimoniis conuinci non poſſent: Carolus neque ſuo, neque ſuorum Epiſcoporum conſilio quæſtionem definiri voluerit: ſed ad Leonem Pontificem Max. pro inſtructione miſerit. Obſecro te, ſi in criminalibus & grauioribus cauſſis ſacerdotum Carolus Iudex erat, quid opus erat conſulto Leone Pontifice? Cur ipſe cum Epiſcopis rem non decidit? niſi fortè putat iſte Carolum adiiſſe Leonem Pontificem, vt Reges, litibus exortis, adire ſolent Iuriſconſultos. Exſcriberē duo illa capita verbatim, niſi liber in quo exſtant in promptu eſſet, & niſi ipſe etiam illuſtriſſ. Baronius ea Annalibus intexuiſſet. *Anno Christi 806.*

Miror inſuper F. Capellum nõ vidiſſe lib. 7. cap. 205. vbi

vbi hæc ex doctrina D. Gregorij Papæ ſanciuntur. *De presbyteris verò vel quolibet ſacerdote à populo accuſato, ſi certi non fuerint teſtes, qui crimine illato approbent veritatem, iuſiurandum erit in medio, & illum teſtem proferat de innocentiæ ſuæ puritate, cui nuda & aperta ſunt omnia*, &c. *Iſta verò, quia vires noſtras excedunt, in iudicio Epiſcoporum, iuxta Canonicam ſanctionem definienda relinquimus.* Si Carolus erat in criminalibus & grauioribus clericorum cauſſis iudex ordinarius; cur, obſecro, iudicium hoc ait eſſe ſupra ſuum captum; idque ad Epiſcoporum tribunal ablegat? Hæc ſcilicet luce clariora non vidit Capellus: illa; quæ non niſi obtorto collo ad partes aduerſas trahi poſſunt; vidit. Ita nimirum contingit; vt ad præconceptas opiniones adſtruendas, etiam id, quod non eſt, nobis videamur videre. & id quod eſt, non videamus: Nam ſi F. Capellus in legibus Francicis vidiſſet illam
Lib. 6. cap. 187. ſententiam: *Auctoritas Eccleſiaſtica atque Canonica docet, non debere abſque ſententia Romani Pontificis concilia celebrari.* forſan tanto conatu cum hæreticis, probare nõ contendiſſet; Concilia olim à ſolis Imperatoribus & Principibus politicis conuocata fuiſſe.

CONSIDERATIO DVODECIMA.

Conſiderantur reſponſa F. Capelli quæ dat ad Concilia ab Illuſtriſſimo Bellarmino producta.

PRIMO profert Cardinalis Bellarminus Concilium Tridentinum, quod ſeſſ. 25. cap. 20. de Reformatione ſic loquitur. *Eccleſiæ & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas Dei ordinatione*

natione & Canonicis ſanctionibus inſtituta eſt: Reſpondet F Capellus, *Concilium non affirmare hoc definiendo, quaſi eſſet res certa; & creditu neceſſaria*; Eſto, quod Concilium non abſolutè definiat exemptionem clericorum eſſe iuris diuini; attamen Concilium hoc aſſerit. Aut igitur verum dicit, aut falſum. Si verum; cur obſtrepit F. Capellus? Si falſum; tot ergo & tanti Patres, flos Chriſtiani orbis; à vero in re grauiſſima deflexerunt; Quod quis ſibi perſuadeat? Quis credat Fratrem Capellum vnà cum ſuis oculatiorem tot perſpicaciſſimis Concilij illius oculis? Quis ſincerè Catholicus Fratri Capello fidem habeat; ſi dicere audeat: Synodum Tridentinam dixiſſe falſum; ſe dicere verum?

Miratur, cur Bellarminus hunc *Tridentini Concilij locum tanti faciat; & adeo vrgeat.* Atqui mirandum potius eſſet; ſi Bellarminus hoc facere intermitteret; cum locus hic ſit illuſtriſſimus & ad iſtorum peruicaciam retundendam appoſitiſſimus.

Secundò reſpondet F. Capellus, Concilium non dicere: *omnem immunitatem, ſed immunitatem*: *Indefinitam propoſitionem non æquiualere vniuerſali; neq; enim quia hac: Homo currit; vera ſit, eſſe etiam veram illam: omnis homo currit: ſed hanc; aliquis homo currit. hinc Concilium non loqui de immunitate à iudicio politico, maximè in re graui.* Quis hanc reſponſionem ferat? Quis niſi odio Eccleſiaſticæ libertatis planè excæcatus, eam approbet? Nam licet Concilium in *actu ſignato* vocem vniuerſalem non adiecerit; adiecit tamen in *actu exercito.* Admonet enim Synodus Principes ſæculares, vt defendant in cleri gratiam, Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum immunitatẽ *Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutã*: at immunitas, quę Canonicis ſãctionib. cõſtituitur

non

non eſt partialis, ſed totalis; quia omnimodè excipit clericos à foro ſæculari; etiam in criminalibus, & atrociſſimis caſibus; vt norunt qui vel primoribus labris ſacros Canones deguſtarunt, ergo hoc ipſo, quod monuit Synodus Principes politicos, vt clero immunitatem, ex Canonum præſcripto debitam; ſartam tectam præſtent; ſimul monuit, vt totam, integram & adæquatam immunitatem ſartam tectam præſtent; quia Canones non ſanxerunt dimidiatam; ſed integram & perfectam immunitatem & exemptionem à foro ciuili.

Secundò, Synodus decernit & præcipit, ab omnib. exactè obſeruari, ſacros Canones, & Concilia generalia omnia, & Apoſtolicas ſanctiones omnes in fauorem Eccleſiaſticarum perſonarum & libertatis Eccleſiaſticæ, contra eius violatores editas: ergo Synodus Tridentina loquitur de omni immunitate; hoc eſt de tota, perfecta, & adæquata; quia loquitur de illa quam ſacri Canones, Concilia generalia omnia, nec non aliæ Apoſtolicæ ſanctiones clero concedunt. Hæc autem integra & perfecta eſt; & totalis à foro politico exemptio; hæc, inquam, illa eſt exemptio; de qua Synodus Lateranenſis ſub Leone X. cum ait: *Laicis nullam in Eccleſiaſticas perſonas poteſtatem attributam eſſe; idq́; iure tam diuino, quàm humano.* Si nulla illis in Eccleſiaſticas perſonas poteſtas conceſſa eſt; ſunt ergo integrè & perfectè exemptæ: de integra ergo & perfecta exemptione loquitur Synodus Tridentina; quia loquitur de illa quam Canones ſanxerũt; ergo & de hac, quam Synodus Lateranenſis ſanxit. At hæc integra eſt & perfecta.

Addo, licet indefinita propoſitio in materia contingenti non æquiualeat vniuerſali, ſed particulari; tamen vt in materia neceſſaria æquipollet vniuerſali; hæc enim

enim: *Homo eſt animal*; æquipollet huic; *omnis homo eſt animal*: ſic etiam in moralibus indefinita ſæpiſſimè ęquiualet vniuerſali: vt cum Academia vel ciuitas quæpiam poſtulat à principe vetera ſua priuilegia cōfirmari. Quis non videt huiuſmodi petitionem ad omnia priuilegia extendi?

Obiiciet cauillator quiſpiam; *propoſitionem non eſſe vniuerſalem; non addito vniuerſalitatis ſigno*. Verè quiſquis hoc dicit; is ſe cauillorum, quam veritatis ſtudioſiorem indicat; nam ex omnibus talis poſtulati circumſtantiis, & ex communi omnium ſenſu apparet, his in optatis eſſe, vt omnia ſua priuilegia confirmentur.

Ait F. Capellus. *Dato, ſed non conceſſo Synodi indefinitam propoſitionem ad vniuerſalem reduci poſſe; tamen non loquitur Synodus de ſupremo tribunali politico; in caſu, & cauſa graui; quaſi & tunc clerici ſint à tribunali laico exempti.* Reſpondeo; loquitur Synodus Tridentina ſicut Lateranenſis ſub Leone X. quia conſeruatam defenſamque cupit immunitatem Eccleſiaſticam: quam & diuina ordinatio & Concilia generalia; & ſacri Canones, & Apoſtolicæ ſanctiones clericis conceſſerunt: At hæc in hoc conſiſtit; vt nulla ſit laicis in clericos poteſtas; vt Synodus Lateranenſis diſertè declarat: ergo etiam Tridentina Synodus de tali immunitate loquitur.

At vide, quò contumacia hominem non adigat. F. Capellus hunc ſyllogiſmum adfert; vocatque demonſtrationem. *Concilium loquitur de tali iudicio, quo clerici liberi ſunt & ordinatione diuina, & lege humana: At à ſupremo iudice* (politicum intellige) *in caſu & cauſſa graui liberi nō ſunt, nec ordinatione diuina, nec lege humana: vt iam vidiſti.* (ſed vbi?) *ergo*, &c. Minor falſiſſima eſt: quia vt alias ordinationes humanas taceam; Synodus Lateranenſis dicit; &

cit: *& diuina & humana lege nullam eſſe laicis in clericos poteſtatem:* In nullo ergo caſu, quãuis graui, illis ſubdũtur.

At vide, obſecro, ſummam cauillandi impotentiam. Quia Synodus Tridentina dicit: *confidere ſe, ſæculares principes, vt catholicos, quos Deus ſanctæ fidei, Eccleſiæq́ protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui, non tãtum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes, ad debitũ erga clerum, Parochos, & ſuperiores ordines reuerentiam reuocaturos; nec permiſſuros, vt officiales, aut inferiores magiſtratus, Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam, aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent: ſed, vnà cum ipſis Principibus, debitam ſacris ſummorum Pontificum, & Conciliorum conſtitutionibus obſeruantiam præſtent*: ideo colligit hinc F. Capellus: *Clericos à ſupremo iudicio politico in cauſſis grauibus neque diuina, neque humana ordinatione exemptos eſſe; ſed tantum ab inferiorum iudicum ordinario foro in cauſſis leuioribus*: hinc *Concilium monere, ne Principes patiantur à ſuis ſubditis immunitatem Eccleſiaſticam violari; ipſis interim, ſuo iure in clericos grauiter delinquentes integro permanente.* Qua cauillatione neſcio num deterior ab vllo Prædicante Lutherano vel Caluiniano excogitari potuiſſet: quia Synodus non tantum monet, vt Imperator, Reges & Principes curent à ſuis Eccleſiaſticam immunitatem illæſam conſeruari; ſed vult vt idem præſtetur ab ipſis Principibus, hæc enim ſunt verba Synodi: *Propterea admonet Imperatorem, Reges, Reſp. Principes, & omnes, & ſingulos, cuiuſcunque ſtatus & dignitatis exſtiterint; vt, quò largius bonis temporalibus, atque in alios poteſtate ſunt ornati, eò ſanctius, quæ Eccleſiaſtici iuris ſunt, tanquam Dei præcipua, eiusq́ patrocinio tecta venerentur; nec ab vllis Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliiſue Do-*

ne Dominis temporalibus, ſeu magiſtratibus, maximeq́; miniſtris ipſorum Principum lædi patiantur; ſed, ſeuerè in eos, qui illius libertatem, immunitatem, atq; iuriſdictionem impediũt, animaduertant; quibus etiam ipſimet exemplo ad pietatẽ, religionem, Eccleſiarumq́; protectionem exiſtant: imitantes anteriores, optimos, religioſiſſimosq́; Principes, qui res Eccleſiæ ſua inprimis autoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum iniuria vindicarunt.

Quibus verbis, quid clarius, quàm Synodum velle, vt ipſi etiam Principes, immunitatem Eccleſiaſticã ſaluam & integram prę̨ſtent; illam, inquam, immunitatẽ, quam Canones & Synodi, & antegreſſæ cõſtitutiones Apoſtolicæ ſanxerunt. At hę̨c immunitas nullo prorſus caſu ſubiicit clericos Imperatoribus, Regibus & Principibus; ſed eos penitus ab eorum foro & iuriſdictione eximit; quia vt Concilium Lateranenſe dicit; *à iure tam diuino, quàm humano laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa eſt.* Si nulla laicis; ergo neq; Imperatorib. Regibus, & Principibus laicis. Si nulla; ergo neq; in cauſis enormibus & atrocioribus.

Quod Synodus tam ſollicitè monet; ne Principes patiantur immunitatem Eccleſiaſticam violari à *Baronibus, Domicellis, Rectoribus, aliisq́; Dominis temporalibus, ſeu magiſtratibus; maximè miniſtris ſuis*; id eò fit; q̃a ab his plerunq; maius diſcrimen immunitati Eccleſiaſticę̨ imminet; quã ab ipſis Principibus: Deinde quia immunitas Eccleſiaſtica eſt in tutela Principũ. Rectè ergo monẽtur dent operã, ne per ſubditos & miniſtros ſuos aliquid detrimenti Eccleſiaſtica libertas capiat. Nec, vt dicebam, Principibus hoc tantũ iniungitur; ne ab aliis Eccleſiaſticam immunitatem violari ſinant; ſed ne & ipſi eam violent; & eam quidẽ, quæ à Canonib. ſancita & clericis attributa eſt; quę̨ (ſę̨pius n. ingerere oportet propter iſtorũ

 perui-

peruicaciam) nullam penitus concedit laicis poteſtatẽ in clericos. Bone Deus; quæ nam hæc eſt veritatis obnubilandæ ipſiuſque adeo ſolis obſcurandi temeraria cupiditas?

Cuius & hoc luculentum ſpecimen: cùm ait; illud Synodi: *ordinatione diuina*: ſignificare; *Clericis conceſſam eſſe libertatem Eccleſiaſticam iure diuino ad imitationem & exemplum, quo Moyſes, vel Deus per Moyſen exemit Leuitas à politico magiſtratu; exemptionem hanc in hoc conſiſtere, quòd in politicis negotiis leuioribus duntaxat ſoluti fuerint à ſæculari poteſtate; grauioribus Leuitarum cauſſis Moyſi, vt politico principi reſeruatis, & hanc ait nõ eſſe ſuam, ſed Illuſtriſſimi Bellarmini doctrinam.* In quo certè fidem huius ſcriptoris deſiderare cogor. Hoccine Bellarminus? Moyſen, vt politicum principem Leuitas iudicaſſe in atrocioribus criminibus? Hoccine Bellarminus. *Moyſen tantum in leuioribus Leuitas à foro ciuili liberaſſe*; grauiora *Leuitarum ſibi, vt politico principi, reſeruaſſe?* Hoccine Bellarminus; *ad hanc fictitiam exemptionis imaginem Imperatores & Principes Chriſtianos, exemptionem clericorum inſtituiſſe?* Neſcio quid dicam: hoc ſolùm aio, me etiam atque etiam mirari, quomodo vir Catholicus, & religioſus, audeat hæc talia tam apertè falſa chartis mandare.

Ad Concilium Colonienſe productum ab Illuſtriſſimo Bellarmino reſpondet F. Capellus, *non eſſe Conciliũ generale.* Reſpõdeo, licet generale eſſet; tu tamẽ ęquè ac Tridentinum tuis gloſſis peruerteres. Secundò dicit: *Synodum hanc non dicere exemptionem à iudicio, eſſe à iure diuino & humano; ſed tantùm illam, quæ eſt à vectigalibus, & ne quis confugiens ad Eccleſiam inde extrahatur.* At hoc ſatis eſt Cardinali Bellarmino, vt quintam ſuam propoſitionem

tionem probet, exemptionem clericorum in rebus politicis tum quoad perſonas, tum quoad bona introductam eſſe iure humano pariter & diuino. Hanc enim concluſionem directè probat teſtimonium Concilij Colonienſis. Deinde, ſi vt Synodus Colonienſis eodem loco dicit; non licet ſęcularibus magiſtratibus criminoſos ex Eccleſiis extrahere; in illis itidem caſibus, in quibus alioqui criminoſi extrahi poſſunt; niſi *conſultis Eccleſiaſticis officialibus*, eorumque facultate impetrata; quis dubitet, mentem huius Concilij fuiſſe non licere item ſæcularibus clericos in cauſſis criminalibus ad tribunal politicum rapere & ſententiam de illis pronunciare?

Ad Concilium Lateranenſe, reſpondeo, inquit F. Capellus, *ſicut ad Tridentinum*; hoc eſt, inaniter. Quid enim reſponſis illis futilius? Et quæ caligo tanta ſit, vt verborum Lateranenſis Concilij lucem exſtinguat? Eodem modo teſtimonia & decreta Pontificum iſte eludere conatur. *Nam aut in ſuis legibus nominatim expreſſerunt ſupremum principem; aut non*: inquit F. Capellus, *ſi non expreſſerunt, tum loquuntur de iudicibus ordinariis, & inferioribus: ſi expreſſerunt; loquuntur in cauſſis merè Eccleſiaſticis, vel in cauſſis politicis, ſed leuioribus; quale Eccleſiaſticis iudicium commiſſum eſt in clericos, quoad cauſſas minutiores politicas, exemplo Moyſis; & dicere poſſumus: ordinatione diuina; tanquam Principum adiutoribus, Prælatis Eccleſiaſticis conceſſum eſſe.* Hæc omnia planè ſunt vana, eo ſolum fine excogitata; vt veritas tenebris inuoluatur; & rebelles in ſua contumacia corroborentur. Nam vt ſupra viſum; Canones loquuntur de perfecta & abſoluta exemptione clericorum à poteſtate ſæculari; ita vt nulla penitus ſit poteſtas laico in clericos: ergo eodem etiam modo loquuntur Summi Pontifices. Et ſi F. Capellus

vel vno oculo *Bullam cœnæ* inſpexiſſet; & Apoſtolicæ Sedi obediĕtiam; quam toties in ore habet; ex animo præſtare cogitaret; has & id genus alias pueriles cauillationes nunquam papyro illeuiſſet. Quid enim euidentius mente Pontificis in illo Anathematiſmo, qui eſt decimus nonus in Bulla cœnæ à S. D. N. Paulo V. editæ. *Excommunicamus & anathematicamus omnes, & quoſcunque magiſtratus, & Iudices, Notarios, Scribas, Executores, & ſubexequutores quomodolibet ſe interponentes in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus contra perſonas Eccleſiaſticas, illas proceſſando, bannando, capiendo, ſeu ſententias contra illas proferendo, vel exequendo, ſine ſpeciali, ſpecifica, & expreſſa huius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ licentia; quiq́ eiuſmodi licentiam ad perſonas, & caſus non expreſſos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiamſi talia committentes, fuerint Conſiliarij, Senatores, Præſidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quouis alio nomine nuncupati.*

CONSIDERATIO DECIMATERTIA.

Quomodo F. Capellus reliquas Cardinalis Bellarmini rationes cauilletur.

SVBORDINATIONEM politicæ poteſtatis ad Eccleſiaſticam; huiuſq; ſupra illam, excellĕtiam & præeminentiam oſtendit Card. Bellarminus cum D. Gregorio Nazianzeno, aliisq́; auctoribus, ex ſimilitudine, & coniunctione, quã inter ſe habent ſpiritus & caro in homine: nam caro & ſpiritus ſunt quaſi duæ Reſpublicæ, & ſeparatæ, & coniũctæ inueniri poſſunt. Habet caro ſenſum, & appetitũ, quibus reſpõdent actus, & obiecta proportionata, quorum

Bellar. lib. 5 de Pontif. cap. 6. & lib. de clericis cap. 29.

rum omnium finis immediatus, eſt ſanitas, & bona conſtitutio corporis: habet ſpiritus intellectum, & voluntatem, &c. Ex quo apparet neutrum eſſe præciſè propter alterum: inuenitur etiam caro adiuncta ſpiritui in homine: vbi, quia vnam perſonam faciunt, neceſſariò habent ſubordinationem, & connexionem, &c. Ita prorſus politica poteſtas, habet ſuos Principes, leges, iudicia, &c. & ſimiliter Eccleſiaſtica ſuos Epiſcopos, canones, iudicia. Illa habet pro fine temporalem pacem: iſta, ſalutem æternam. Inueniuntur quandoq; ſeparatæ, vt olim tempore Apoſtolorum: quandoq; coniunctæ, vt nunc. Quando autem ſunt coniunctæ, vnum corpus efficiunt; ideoq; debent eſſe connexæ, & inferior ſuperiori ſubiecta, & ſubordinata, &c.

Reſpondet F. Capellus, *huic argumento facillimè ſatisfieri poſſe; ſi dicas: ſimilitudines non currere iiſdē pedibus*: ſeu *omnē ſimilitudinē claudicare: nec per omnia cōuenire. Nam S. Gregoriū nil aliud velle, quā poteſtatē Eccleſiaſticā eſſe nobiliorem temporali & politica; quia hac ius habet in corpus; illa in animā; corpore nobiliorē.* cætera, quæ addūtur, ait Capel. *eſſe contra S. Gregorij mentē; quippe qui in eadem oratione ad populū timore perculſum multis oſtēdat; omnem hominem ſuo temporali Principi debere ſubiici.* Reſpōdeo D. Gregor. nō tantum hoc vult, quidquid tu contra tendas; ſed & Eccleſiaſticam poteſtatem appellat *ſpiritum*; politicā verò; *carnem*; Quare, vt ſuo modo ſeſe in homine habent ſpiritus & caro ſimul cōnexa: ſic ſeſe habebunt in Eccleſia duæ iſtæ poteſtates ſimul coniunctæ & vnitæ, quandoquidem vna carnis; altera ſpiritus vices gerit; ſed certū eſt ſpiritum carni, etiam in iis, quæ ad carnis officia ſpectant, imperare & frænum imponere debere: ſi quando caro à recto tramite vel deflectat vel deflectere cupiat.

Nam

Nam quod in ſimilitudinibus ſit ſemper aliqua diſſimilitudo, nil opus erat monitore F. Capello; quia nemo neſcit etiam in hac ſimilitudine grandem diſſimilitudinem ineſſe: caro enim & ſpiritus ſunt duæ ſubſtantiæ, quæ in vnum conductæ & coagmentatæ efficiunt perfectam & completam ſubſtantiam; quod de poteſtatibus Eccleſiaſtica & ſæculari, licet ſimul iunctis, nō poteſt aſſeri. Eſt tamen ſimilitudo in hoc, quòd vt ſpiritus carne nobilior eſt; eique, ſi neceſſitas efflagitet; imperat; ita etiam poteſtas Eccleſiaſtica nobilior ſit ciuili; eique, ſi extra recti orbitam feratur; frænum imponat. Nam quod præterea S. Gregorius Nazianzenus in eadem oratione monet auditores ſuos, vt principibus obediant; id nos non ferit; quia idem nobis eſt ſenſus, eadem mens; omnes enim principibus pro ratione ſui ordinis, ſaluisque ſtatus, in quo degunt, immunitatibus, obtemperare debent: Et non mirum, S. Gregorium generatim omnes ad obſequium cohortari, quia pleriq;, ad quos verba faciebat: Laici erant, & poteſtati politicę non tantum quoad directionem, ſed & quoad coactionem ſubiecti.

Nunc F. Capellus cauillari incipit. *Mihi videtur argumentum illuſtriſsimi eſſe ſimile huic: Tonſor gubernat caput, & ſutor pedes: ergo ſecundum proportionem, quam caput habet ad pedes, nobilior eſt ars tonſoris, quàm ſutoris. Hoc verum eſt*; inquit iſte, *& hoc concludit S. Gregorius: ſi vlterius progrediaris dicasq́, ſicuti caput poteſt imperare pedi; ita tonſor ſutori, nemo admittet conſequentiam; & in hoc deficit ſimilitudo.* At F. Capelli cauillatio minimè deficit; ſed egregiè ſibi conſtat; quia tonſor & ſutor non vniuntur ſibi mutuò in Republica ciuili; ſicut mutuò vniuntur in corpore humano ſpiritus & caro; & ad horum ſimilitudinem

dinem in Eccleſia Chriſtiana; quæ vnum quoddam corpus eſt; poteſtas Eccleſiaſtica & politica; neque finis ſutoris ordinatus ad finem tonſoris; nam ſi tonſor & ſutor ita vnirentur, tum etiã ſibi mutuò ſubordinarentur, & finis inferioris referretur ad finem ſuperioris; & per conſequens; nobilior imperare poſſet inferiori; At quia inter iſtos non inuenitur talis connexio; conſequenter neque talis ſubordinatio inuenitur; Quare mera eſt cauillatio hoc de *ſutore* & *tonſore* exemplum; quorſum fines planè ſunt diuerſi, nec ſibi ſubordinati; ordinantur quidem ad bonum cuiuſdam tertij, nempe corporis humani; ſed ſine mutua ſubordinatione. quę ſi daretur, iam poſſet tonſor, tanquam nobilior artifex, ſutori imperare; quemadmodum medicus imperare poteſt chirurgo circa corpus humanum curandum; quia chirurgus cum arte ſua ſubordinatur Medico & medicinæ.

Negamus, inquit F. Capellus; *quod ſicut anima corpori imperare poteſt in omni re ad corpus pertinente; ſic etiã poteſtas Eccleſiaſtica imperare ciuili poſſit, dicimusq́; eam tantummodo imperare poſſe intra ſuos fines; & in iis, quæ ad ſuum finem ſpectant*; Ego ſubſumo; *Sed omnia temporalia ad finem poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpectant*; Hinc omnia temporalia ratione hominis, ita diſponenda, inſtituenda & dirigenda ſunt; vt æterna nec lædant, nec impediant; neque homines à cæleſti beatitudine auocent. Quare ſi quid huiuſmodi poteſtas tẽporalis cõmittat, ꝙ fini Eccleſiaſticæ poteſtatis fraudi ſit, & detrimẽto; munus Eccleſiaſticæ poteſtatis eſt id ſedulò corrigere & debitis remediis emendare.

Si ratio petita ex vnione ſpiritus & carnis valeret, inquit F. Capellus, *ſequeretur Clericos nec quoad directionem legibus Laicorum obligari, quia corpus non dirigit animam; igitur neque poteſtas temporalis ſpiritualem; quod communi ſenſui*

& omnium rectè ſentientium iudicio repugnat. Hic debebat F. Capellus ſuum illud; *ſimilitudines non currunt iiſdem pedibus*; in memoriam reuocare; nam licet corpus non dirigat animam; abſurdum tamen non eſt; vt clerici ſe dirigant & conforment in rebus politicis, præſertim in commerciis & contractibus, ſecundum leges politicas Eccleſiaſticis non contrarias, vbi poteſtas ſpiritualis, hoc eſt, ius Eccleſiaſticum, nihil præſcribit; Itaque negatur obiectionis ſequela; & ad rationem Reſpondetur, ſimilitudinem à ſpiritu & carne petitam non in eo conſiſtere; vt ſicut anima non ſubeſt corpori, quoad directionem; ita clericus legibus ciuilibus non ſubſit quoad directionem; vbi nil præſcribunt leges Eccleſiaſticæ; ſed in hoc, vt quemadmodum quoad coactiuam iuſſionem, ſpiritus non ſubeſt carni; ſed potius vice verſa; ita nec Eccleſiaſtica poteſtas ſubſit temporali; tametſi abſonum non eſt, vt ſi alicubi Eccleſiaſtica directio non exſtet, eam ſuppleat politica; non contraria, vt ponimus, Eccleſiaſticæ.

Pergit F. Capellus. *Sequeretur etiam, quando clericus vehitur naui quapiam; is poſſit mandare nauclero quomodo nauis gubernanda ſit: quia ſicut ſe habet anima ad nauim, ita clericus ad nautam; ſed mens & anima regit nauim, & non regitur à naui: ergo clericus debet regere nautam & ipſi imperare in moderamine nauis. Coſa da ridere*, inquit F. Capellus. Verè ridicula & ſibilis digna eſt hæc tua obiectio. Subordinatur ne nauta clerico; aut ars nautica clericatui; ſicut ſubordinatur in corpore Eccleſiæ poteſtas politica Eccleſiaſticæ? Si nauta clerico; & nautica ars clericatui ſubordinatur in eadem naui, tantum ꝓpterea; quia clericus & nauta ſimul ſunt in eadem naui; tum obiectio tua locum habebit. At ſi hoc nullus capitis ſani affirmat; quomodo

tu

tu hanc tam abſonam ſequelam in medium proferre audes?

An Bellarminus aliiue auctores ita argumentantur? *Eccleſiaſtica poteſtas eſt nobilior quàm ciuilis, ergo imperat ciuili?* Nemo ita ratiocinatur; alioqui Imperator imperaret Duci Veneto, quia eſt præſtantior & dignior; ſed hoc argumentum Bellarmini & aliorum Catholicorum eſt; *Qualis eſt inter ſpiritum & carnem ſimul in eodem compoſito coniuncta proportio & ſubordinatio, talis eſt inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & politicam quando in eodem Eccleſia corpore coniunguntur & vniuntur: Sed inter ſpiritum & carnem ea eſt proportio & coniunctio; vt ſpiritus carni imperet; etiam in rebus; quæ carnis ſunt, ſi ad ſpiritus detrimentum redundent; ergo talis etiam eſt inter Eccleſiaſticam & temporalem poteſtatem proportio & ſubordinatio.*

Ex quibus corruit quoque ſequens cauillatio. *Sequeretur Papam debere inſtruere medicum, eique præſcribere præcepta ſanandi corporis;* quia; *ſicut ſe habet anima ad corpus, ita Põtifex ad medicum: ſed anima imperat corpori, ipſumq́; regit; ergò & Pontif. debet regere medicum, ipſiq́ue imperare, & non ab ipſo regi, ab ipſo doceri, ipſiue parere. Igitur, ſi quis infirmus ſit; accipere debet medicinã à religioſo; non à medico; & medicus non poteſt iudicare ſacerdotem infirmum; quia corpus non iudicat animam.* Quanti fumi? Quantæ nebulæ? Vniturne Papa vel religioſus Medico, ſicut ſpiritus carni; vel ſicut poteſtas Eccleſiaſtica ciuili in eodem corpore Eccleſiæ? ſubordinaturne & vnitur Medicus Papæ vel ſacerdoti infirmo, ſicuti ſubordinatur ſpiritui caro in eodẽ compoſito; aut poteſtas politica Eccleſiaſticæ in eodem Eccleſiæ corpore; vt proinde ex hac vnione & ſubordinatione ius & auctoritas imperandi oriri queat?

Deinde quomodo Papa aut ſacerdos ægrotans ſub-

eſt medico? Num vt Domino; qui cum auctoritate & *deſpoticè* mandata edere; & ad obſequium etiam pœnis propoſitis compellere queat? Quomodo iudicat medicus Papam vel ſacerdotem languentem? Num ex præſcripto legum ciuilium? An ex ſcripto artis medicæ abſque vlla in eum, quem curat; iuriſdictione, ſeu iuridica poteſtate? Si Auctoris huius friuolæ obiectiones ab aliquo Prædicante Luthcrano vel Caluiniano proficiſceretur; non mirarer; Nunc totus obſtupeo, quomodo vir religioſus, Theologiæ Doctor, & Metaphyſicæ profeſſor; nor ad uertat quantas nugas agat; quando hæc talia chartæ mandar.

Argumenta à nominibus patris & paſtoris ſupra ſatis ſunt diſcuſſa & defenſa. Hæc & eius generis alia ex variis appellationibus & ſimilitudinibus deprompta, non eſſe valde efficacia oſtendit F. Capellus ex appellationibus *brachij dextri & ſiniſtri*; quarum illa tribuitur poteſtati Eccleſiaſticæ; hæc politicæ. Ex quo hunc ſyllogiſmum format. *Qualem proportionem habet brachium dextrum cum ſiniſtro talem habet poteſtas Eccleſiaſtica cum politica: Brachium dextrum, licet nobilius ſit ſiniſtro, non habet aliquam auctoritatem imperandi ſiniſtro; illudue in re quapiam regendi; igitur neque etiam poteſtas Eccleſiaſtica poteſt regere ciuilem, aut ei aliquid mandare in cauſſa politica.* Si negetur Maior, quò ſe vertet Frater Capellus? Quibus argumentis oſtendet, politicam poteſtatem non magis Eccleſiaſticæ ſubordinari, quàm ſubordinatur ſiniſtrum brachium dextro? Qua ratione planum faciet, non eſſe maiorem dependentiam ciuilis magiſtratus ab Eccleſiaſtico; quàm manus ſiniſtræ à dextra? Cur hic immemor fuit ſui illius dicti? *Similitudines non currunt iiſdem pedibus?* Nam poteſtas Eccleſiaſtica vocatur *brachium dextrum,*

trum, quia nobilior eſt & validior: poteſtas politica, *brachium ſiniſtrum*; quia & nobilitate & vigore minor eſt; neque alia conuenientia in hac ſimilitudine quæri debet. At in ſpiritu & carne, (cum quibus poteſtas Eccleſiaſtica & politica comparantur) exſtat vnio, ſubordinatio, & dependentia inferioris à ſuperiore; carnis nimirum à ſpiritu; & hæc ipſa inuenitur quoque in poteſtate Eccleſiaſtica & ſæculari.

Quanquam ſi quis etiam Minorem negaret; in nullam abſurditatem incurreret. nam actiones ſiniſtræ regi aliquando, gubernari & temperari à dextra manu patet euidenter, cum quis vtraque manu aliquid agit; vt ſi pugnet v. g. ſemper actio *brachij ſiniſtrij* ſequitur *dextri* actionem; & ab ea dirigitur, roboratur; & ad optatum effectum deducitur.

De Leuitis ſuprà copioſè diſputatum eſt. Regerit hic F. Capellus, *fuiſſe Moyſi, vt politico principi, in cauſſis politicis ſubiectos.* Sed tantùm affirmat; nihil probat; Idem eſt hic, qui ſupra. Aſſertor, non probator. Dicit, ſibi non videri inconueniens, *vt princeps Laicus habeat poteſtatem in rem ſacram; quia non habet illam vt homo profanus, ſed vt miniſter Dei, à quo poteſtatem accepit; & ſic clericum ſubdi principi non vt Laico; ſed vt principi, hoc eſt miniſtro Dei.* Credo hæc talia & huic & collegis, Eccleſiaſticæ immunitatis oppugnatoribus non videri abſona; quia vix quidquam adeo eſt abſonum; quod non tueri incipiant: & ſi hoc pede progredi velit F. Capellus, paulò poſt aſſeret, non eſſe abſurdum, vt ipſæ etiam cauſſæ merè ſpirituales, & ad fidẽ doctrinamq́; religionis Chriſtianæ pertinẽtes, ſubiiciantur principibus politicis; Dicet enim; non ſubiici illis vt Laicis; ſed vt Dei miniſtris; à quo hanc poteſtatem acceperint. At ſemper quæremus,

vtrum principes politici per hoc, ꝙ ſunt Dei miniſtri, deſinant eſſe Laici; an non? Si deſinunt; nihil ergo ad rē diſſerit F. Capellus; ſi non; tum negamus in praxi & à parte rei poſſe res ſacras ſubiici ei quoad auctoritatem ſcilicet coactiuam; qui adhuc manet Laicus; nam etiam princeps ille licet ſic Miniſter Dei, verè tamen Laicus eſt; neque ex hoc ſtatu per miniſterium illud extrahitur; imò miniſter Dei eſt, non niſi in ſtatu Laico; poteſt quidem & debet quoque religionem, fidem, & Eccleſiaſticam immunitatem tueri; & quidem, vt Miniſter Dei; at non ideo ius & poteſtatem coactiuam habet in Eccleſiaſticos; quos defendit; quia aliud eſt defenſio; aliud *deſpoticum* imperium. Aliud defenſor; aliud, auctoritas ſtatuendi, etiam propoſitis pœnis.

Ait F. Capellus, *abſurdum quidem eſſe, vt*, exempli cauſſa, *filius Regis Hiſpaniæ ſubiiciatur Vaſallo; at ſi Rex parens Vaſallo in filium poteſtatem concedat, iam omnem abſurditatem ceſſare. Abſurdum item eſſe, vt Vicarius in Epiſcopum aliquid iuris habeat; hoc tamen abſurdum ceſſare; ſi Papa delegatam poteſtatem Vicario in Epiſcopum largiatur. Ita & in propoſito; abſurdum quidem eſſe, vt Laicus, quà Laicus in ſæculares habeat poteſtatem; at id rationi non aduerſari; ſi illam poteſtatem habeat; vt Miniſter & delegatus Dei.* Libenter dixiſſet, vt *Vicarius Dei*, quò iſtos Papæ ſimiles faceret, & exæquaret: ſed non eſt auſus. Probet nobis Auctor, & non tantùm aſſerat, Principes politicos eſſe quoad hoc ſeu *delegatos* ſeu *Miniſtros* Dei; & poteſtatem diuinitus, tametſi *delegatam*, in clericos accepiſſe; ſi hoc demonſtrauerit, dabimus manus. Sed tantum aſſerit; nihil probat; vt ſæpius dictum.

Concilij Chalcedonenſis Canon nonus ſic edicit; *ſi clericus aduerſus clericum habet negotium, non relinquat Epiſcopum*

piſcopum ſuum; & ad ſecularia iudicia non recurrat. Frater Capellus prorſus cauillatoriè, ne quid aliud dicam; reſpondet; *prohiberi, ne clerici ſe mutuò accuſent apud Laicum magiſtratum; non autem ne reſpondeant, ſi apud ſæcularem magiſtratum accuſati fuerint.* Hæc reſponſio cædit vineta Fratris Capelli; nam ſi clerici à foro ſæculari exempti non ſunt in cauſſis grauioribus; vt iſte perpetuò contendit; cur non liceret illos apud ciuilem magiſtratum accuſare? legitimè enim quis aliquem accuſat apud eum iudicem; à quo legitimè iudicatur. At canon ſimpliciter vetat, ne ad ſæcularia tribunalia clerici recurrant. Adhæc, ſi clerici in leuioribus cauſſis exēpti ſunt à foro Laico; vt dicit Frater Capellus; non tenetur igitur, quamuis accuſatus, in illo foro reſpondere, vt iſte tradit; quia in eo foro non tenetur quis reſpondere; in quo licitè & legtimè non poteſt iudicari; quippe liber & exemptus.

Obſerua autem Actiones decimamquintam & decimam ſextam Concilij Chalcedonenſis, non eſſe legitimas, vtpote abſentibus & reclamantibus Apoſtolicis legatis factas; ac proinde nec Canones Actione decima quinta comprehenſos ex illa parte ſynodicos eſſe; niſi quatenus aliunde robur & autoritatem acceperunt; vt docet Cardinalis Bellarminus. Quapropter quod ſubiicit Frater Capellus ex Actione decima ſexta, *Bell lib. 2 de Pontif. cap. 22.* *Legatos ſedis Apoſtolicæ confugiſſe ad Iudices politicos, non obſtante Actionis decimaquintæ decreto de clericis ad Laicum tribunal non deferendis; & hinc eluceſcere; Canonem illum non loqui, niſi de exemptione à foro ciuili in leuioribus, non autem in grauioribus cauſſis; niſi quis dicere velit; Concilium, & quidem tale Concilium, leges ſuas aut non intellexiſſe; aut vix natas violaſſe:* id non vrget; quia nec Actio

decima

quis clericum apud ſæcularem iudicem præſumat, Epiſcopo non permittente, pulſare; Reſpondet Frater Capellus, *hic Canon non tantùm non eſt pro illuſtriſſimo Bellarmino; ſed contra illum. Nam ſi exemptio à foro ciuili eſt de lege naturæ vel diuina, tum non poteſt Epiſcopus dare facultatem; vt fiat res contraria legi diuinæ & naturæ; ſed poteſt dare facultatem vt clericus apud ciuilem magiſtratum accuſetur; ergo hæc accuſatio non eſt contra legem diuinam vel naturalem.* Similem futilitatem, non enim dicere licet, ſubtilitatem adfert Frater Paulus in ſuis conſiderationibus, quam ſupra iam refellimus. Breuiter, negatur Maior. Quia data facultate à legitimo magiſtratu; iam deſinit eſſe iuris diuini & naturalis. Nam hoc iuris diuini & naturalis eſt; vt nullus Laicus iudicet clericum ſine facultate à legitimo magiſtratu accepta: Qua accepta, iam non ſua propria; ſed delegata ſibi auctoritate & iuriſdictione iudicat: Hinc nihil in ius diuinum vel naturale committit; alioqui cum clericus morte plectendus eſt; non poſſet *brachio ſæculari* iudicandus tradi; at poteſt; vt habet praxis Eccleſiæ; Nec tamen ciuilis magiſtratus tunc ius diuinum vel naturale violat; quia id quod facit; facit delegata ſibi auctoritate ab Eccleſiaſtico Magiſtratu; & quod hinc conſit; id agit quod lex diuina & naturalis iubet.

Secundò Reſpondet Capellus; *principes non comprehendi ſub hoc Canone; ſed inferiores duntaxat iudices; ac proinde, ſaluo Canone, poſſe ſacerdotes apud Principes & ſupremos iudices accuſari.* Sed cum Canon generatim dicat clericum à nullo debere accuſari apud ſecularem iudicem, & hoc nomine ipſi etiam principes politici comprehendantur, quia & ipſi ſunt ſæculares iudices,

non eſt, quod Fratris Capelli cauillationem multùm moremur.

Qui tandem addit, *hoc Concilium non fuiſſe generale, ac proinde non potuiſſe toti Eccleſiæ legem præſcribere.* Hoc reſponſum non miror, poſtquam video, F. Capellum ita comparatum, vt etiam Generalium Conciliorum, cuiuſmodi Tridentinum, Canones, ſimilibus reſponſiunculis eludere audeat. Concilia prouincialia Eccleſiæ auctoritate approbata certum nobis eius, quod adſtruunt, fidem faciunt, & eò ducunt, vt lōgè citius & promptius eis aſſentiamur; quàm priuatis quibuſdam contrarium ex affectu occœcato aſſeuerantibus. Illud hiſtoriæ periticæ F. Capelli deputes, quòd Agathenſe concilium in Africa celebratum dicit; niſi forſan & Africa in Gallia Narbonenſi reperitur.

Canonem octauum Concilij Tertij Carthaginenſis ait, *non eſſe ad propoſitum.* Quid ita verò? An ideo nō eſt *ad propoſitum*; quia iudicium de presbyteris & Diaconis demandat Epiſcopis, non autem Laicis; vt & Canon ſeptimus Epiſcoporum iudicium Primatibus decernit; non Laicis principibus. Certè ad F. Capelli *propoſitum* nihil; verùm ad Bellarmini propoſitum valde multum hic Canon facit. Addit F. Capellus: *excipi principes in caſu enormium delictorum.* Vbi illa exceptio? Non in Canone, ſed in perſuaſione ipſius. Canon abſque vlla reſtrictione iudicium presbyterorum & Diaconorum Epiſcopis demandat. Addit denique F. Capellus. *Eſſe Concilium Prouinciale; quod non potuerit toti Eccleſiæ leges præſcribere.* At vt Prouinciale ſit; tamen hoc Canone morem totius Eccleſiæ indicauit & ſanxit; & Canon iſte à tota Eccleſia approbatus fuit; vt & ſeptimus de iudicandis Epiſcopis,

Canonem

Canonem decimum tertium Concilij Toletani Tertij ſimili fermè artificio eludit; quo ſupra Canonis Chalcedonenſis auctoritatem eleuare tentauit; Videlicet, *prohiberi, ne apud Laicum iudicem clericus accuſetur; non autem vt non reſpondeat; ſi fuerit accuſatus.* Has nebulas iam antea, cum de Chalcedonenſi Canone ſermo eſſet, diſpulimus. Et ipſa Canonis verba luce ſua caliginem ab iſto offuſam diſiiciunt. *Inolita præſumptio vſque adeò illicitis auſibus aditum patefecit, vt clerici conclericos ſuos, relicto Pontifice ſuo, ad iudicia publica pertrahant. Proinde ſtatuimus, vt hoc de cetero non præſumatur, ſi quis hoc præſumpſerit facere; & cauſam perdat, & à communione efficiatur extraneus.*

Quod Reccaredus Rex in edicto ſuo dicit: *ſe iuſſiſſe, vt omnes Hiſpaniæ Epiſcopi ſuo præſentarentur culmini*, in Concilio videlicet Toletano; id F. Capellus argumento eſſe ait; *Epiſcopos Regi fuiſſe ſubiectos; ſi enim non fuêre ſubditi; & Rex ſuperior; quomodo illis imperat? & ſi ibi fuerunt ſuperiores Regis, quomodo ipſi obediuerunt?* Pares fucos iam ſæpius vendit F. Capellus. Mandauit Rex Epiſcopis, vt in ſynodum conuenirent; at non niſi Primatis conceſſu: nam Primates, Patriarchæ, Archiepiſcopi alij vices ſuas hac in re aliquando principibus commendare ſolebant; vt mandata eò eſſent efficaciora; Regumque & principum tanquam religionis defenſorum; opera in colligendis & celebrandis ſynodis vtebantur; ne vel impedirentur; vel improborum ſtudiis diſturbarentur. Nec mandatum ſemper cum *coactione* coniunctum eſt: qua ſubiectione negamus Epiſcopos principibus ſubiici; ſed ſæpius idem eſt, quod *hortamentum*, & ad id quod rectum eſt, inuitamentum: & ſi cum *coactione* copuletur, ſic, non prouenit à principibus præcisè, vt ſunt prin-

cipes Laici; ſed vt ſunt quaſi ſummi Pontificis, Primatis vel aliorum delegati & vicarij.

Canonem octauum Concilij primi Matiſconenſis tractat F. Capellus, vt Canones Concilij Chalcedonenſis & Toletani, de quibus antea. Addit. *Si Dominus Cardinalis ſtare vult iſtius Concilij auctoritate; lis præſens finem habebit; & ſententia pro ſereniſſima Republica dabitur; quia Concilium hoc Canone ſeptimo vult clericos à ſæculari iudice iudicari poſſe, in cauſſis criminalibus, homicidij nimirum, furti, aut maleficij*, Canon ita habet. *Vt nullus clericus de qualibet cauſa extra diſcuſſionem Epiſcopi ſui à ſæculari iudice iniuriam patiatur, aut cuſtodiæ deputetur. Quod ſi, quicunque iudex cuiuſcunque clericum abſque cauſa criminali, id eſt, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortaſſe præſumpſerit; quàm diu Epiſcopo loci illius viſum fuerit, ab Eccleſiæ liminibus arceatur.*

Reſpondeo Canonem hunc non aduerſari nobis: nam Epiſcopi dederunt ſæculari iudici in illis caſibus facultatem puniendi Clericos; atque adeo iuſſerunt, eos quaſi vice & munere ſuo fungi. Quod fieri poſſe non diffitemur; imò & fit, quoties clericus homicida, fur, aut maleficus ſæculari brachio traditur.

Profert Bellarminus Epiſtolam S. Caij Papæ ad Felicem, in qua hæc. *Nemo vnquam Epiſcopum apud iudices ſæculares accuſare præſumat.* Et ſecundam Epiſt. Marcellini, vbi hæc: *clericum cuiuslibet ordinis abſque Pontificis ſui permiſſu nullus præſumat ad ſæculare iudicium attrahere nec Laico quemlibet clericum accuſare.* Reſpondet Frater Capellus, *hos Pontifices vixiſſe, cum Imperatores Idololatræ ſceptra tenerent; ideo meritò eos edixiſſe, ne apud tales; Chriſtiano nomini infeſtiſſimos accuſarentur.* Sed hæc reſponſio inanis eſt: nam iuſſa prædictorum Pontificum ſunt generalia; neque

neque illud duntaxat tempus aut illum; ſed totum Eccleſiæ ſtatum reſpiciunt: neque enim vetuerunt, ne quis Epiſcopos aut alios clericos apud Ethnicum magiſtratum accuſaret; ſed ne apud ſæcularem; vel Laicum; qui non tantum comprehendit Laicos Idololatras, ſed & Laicos Chriſtianos. Nec aliud ſancti illi Pontifices Caius & Marcellinus voluerunt, quàm S. Sylueſter, qui pace iam reddita Eccleſiæ, ſedem Petri tenuit: qui pro omni ſtatu & tempore decreuit in Concilio Romano: *nulli omnino clerico licere cauſſam quamlibet in publico examinare, nec vllum clericum ante iudicem ſæcularem ſtare. Et dixerunt omnes Epiſcopi: placet.*

Falſum eſt, quod ait Frater Capellus *hæreticos Donatiſtas ſimili modo contra Catholicos fuiſſe argumentatos dicendo; Epiſcopi exempti ſunt à poteſtate ſæculari; Quare ergo vos nunc ad Imperatores, tanquam ad Epiſcoporum iudices, confugitis, & opem illorum aduerſus Epiſcopos inuocatis?* Non eſt hoc Donatiſtarum argumentum; (neque enim Catholici Epiſcopi & ſacerdotes, lupis hæreticis ingruentibus & irruentibus, recurrerunt ad Imperatores, tanquam ad legitimos Epiſcoporum & clericorum iudices, ſed tanquam ad veræ fidei defenſores & patronos, quibus gladius hoc etiam fine datus eſt; vt veram religionem tueantur) ſed iſtud: *Olim non inuocabant Epiſcopi aduerſus alios Epiſcopos opem Imperatorum; ergo neque iam id facere licet.* Ad hoc argumentum Reſpondet D. Auguſtinus in Epiſt. ad Bonifacium à Fratre Capello adducta: *Aliud tunc fuiſſe tempus; aliud nunc eſſe: Chriſtianis rerum potientibus, &c.* Et rectè quidem hunc in modum Petiliani obiectionem D. Auguſtinus diſſoluit.

Præter prædictos citat Cardinalis Bellarminus S. Gregorium Magnum lib. XI. Regeſti Epiſt. 54. ad Ioan-

nem defenſorem. Hic præ gaudio exiliens F. Capellus vix ſe capit; & tantum non vulgatum illud: *Io triumphe*: concinit. Quid ita? *Quia nihil magis potuiſſet contra Bellarmini & noſtram ſententiam produci*, ſi credere dignum. Ego tamen non video, in quo hæc tanta exultandi cauſſa conſiſtat; niſi fortè hoc pectus Fratris Capelli tanto gaudio complet; quòd non Imperator, ſed Pontifex pro munere & auctoritate ſua Defenſorem in Hiſpaniam miſit; qui, *ſicut Canonicus ordo deſiderat*, (verba hæc ſunt ſanctiſſimi Pontificis) Monachos Capricanæ inſulæ iuxta Maioricam ſitæ ſub diſciplinam redigeret; & inter Epiſcopos digladiantes cognitor ac iudex reſideret *ex deputatione & iuſſione beatiſſimi atq; Apoſtolici Papæ Greg.* & hoc in peregrinis & à Romana longè diſſitis prouinciis. Nō hæc F. Capellum tam liquida voluptate perfundunt; ſed illud quod S. Gregorius Ioanni Defenſori eunti in Hiſpaniam, *dedit inſtructionem non ex Canonibus; ſed ex Nouellis & Codice Iuſtinianeo: non dixit*: clamat Frater Capellus; *clerici iure diuino exempti ſunt; Non; Papa Caius, Papa Marcellinus hoc determinarunt; ſed quia hoc definiuit Iuſtinianus Imperator in quadam Nouella; cuius Paragraphum recitat ſanctus Gregorius; qui & alias leges ad eandem cauſſam; quam Ioannes Defenſor tractaturus erat, profert.* Hic etiam nimis intempeſtiuè plaudit Frater Capellus. Nam ideo ſanctus Gregorius leges illas protulit, non Canones; quia pauculis, quæ admiſcentur, exceptis, Canonibus planè erant conſentaneæ; & in magna exiſtimatione tunc apud omnes; cum Imperatores adhuc per fas & nefas legibus condendis Eccleſiaſticam libertatem grauarent. Ne ergo Defenſor in Hiſpania munere ſibi commiſſo impediretur, legibus ciuilibus; quibus ab omnibus obſequium de-

Nouell. 123.

um deferebatur, armandum cenſuit; non autem, quòd, vt iſte interpretatur; ſanctus Gregorius, Imperatorem pro ſuo & clericorum iudice agnouerit. Et tamen ob tam leuem & ludicram obiectiunculam inſultat Frater Capellus Apoſtolicæ ſedis propugnatoribus; *Eant*, inquit, *Bouij, Philothei, Comitoli & ſimiles; & quantum lubet, dictitent, principem non eſſe de iure diuino ſuperiorem clericorum, neque poſſe de ſacris rebus leges condere, ego interim video hunc Papam; hunc ſanctum, hunc Eccleſiæ Doctorem, acceptare legem, in qua Princeps temporalis abſolutè declarat ſe eſſe ſuperiorem Eccleſiaſticorum; & citius credam illos cum ſexcentis ſui ſimilibus decipi; quàm hunc ſanctimonia tam præſtantem patrem.* Quanta vanitas, Vbi indicat ſanctus Gregorius ſe recipere illam legem Iuſtiniani, tanquam ſui & omnium Eccleſiaſticorum Iudicis? Imò vbi ipſe Iuſtinianus hoc in illa Nouella indicat? Et vt maximè indicaret; num hoc de facto, an de iure faceret? Quæſo te, an non in illa ipſa Inſtructione Ioanni Defenſori data legiſti hæc verba? *Contra hæc ſi dictum fuerit, quia* (epiſcopus iniuſtè condemnatus) *nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham; dicendum eſt; quia à ſede Apoſtolica, quæ omnium Eccleſiarum caput eſt, cauſſa hæc audienda & dirimenda fuerat; ſicut & prædictus Epiſcopus petiiſſe dignoſcitur, qui Epiſcopos alieni Concilij omnino habuit ſuſpectos.* Si ſedes Apoſtolica eſt *caput omnium Eccleſiarum*; ergo ſedis Apoſtolicæ præſul eſt primus & ſupremus inter omnes Iudex, ex ſententia ſancti Gregorij; non Iuſtinianus. Nec dixit; *vbi Metropolita vel Patriarcha deeſt, eundum eſſe ad Imperatorem*; ſed ad ſedem Apoſtolicam; & cauſſam adiunxit; quia hæc eſt caput omnium Eccleſiarum; ergo & iudex omnium Eccleſiarum & Eccleſiaſticarum controuerſiarum,

rum. Neque Ianuarius Malachitanæ ciuitatis Epiſcopus ad Imperatorem; ſed ad ſummum Pontificem, ſtatim initio acceptæ iniuriæ abire voluerat; nec poſtea ad Imperatorem; ſed ad Pontificem confugit; & ab illo ſalutarem opem petiit. Nam quod legibus Imperialibus in Inſtructione Defenſore Gregorius vſus eſt; id ob cauſſas ante dictas fecit.

Inuehitur Frater Capellus ſatis impotenter in ſupradictos Auctores Bouium, Philotheum, Comitolum & alios; quod dicant; *Iuſtinianum cornua contra Eccleſiam exaltaſſe; & ſeparatum ab Eccleſia tales leges tuliſſe.* Obiicit; *à Nicolao Pontifice vocari pium in Epiſt. ad Michaelem Imp. Conſtantinopolitanum. Addit; bonitatem legis non eſſe æſtimandam ex bonitate legiſlatoris; alioqui ſextum Decretalium, cuius auctor Bonifacius Papa VIII. ex corpore Iuris reſecari debere*; & mox calamo laxat habenas in mores & vitam Bonifacij.

Verum hæc omnia nihil aliud ſunt, niſi irati contra veritatis tutores animi argumenta: Nam Iuſtinianum in legibus Eccleſiaſticis ferendis modum exceſſiſſe; & extra lineam ſaltaſſe; euidenter docet Tomo VII. Annalium Illuſtriſſimus Baronius: & non ſemel idipſum monet Illuſtriſſimus BELLARMINVS: & res ipſa hoc loquitur. Pius fuit Iuſtinianus; ſed aliquando; Poſtea à ſe & à tramite recto deſciuit; vt ex Euagrio & aliis copioſè demonſtrat Baronius. Bonitatem legis ſimpliciter à bonitate legislatoris non dependere ſcimus; ſed nec illud ignoramus; vt lex bona & valida ſit; condi debere ab illo; qui legitima poteſtate & auctoritate polleat. Qualis in his legibus nec Iuſtinianus, nec alius princeps Politicus.

Argumen-

Argumentum illud, quod ad extremum carpit F. Capellus; *Clerici iure diuino exempti ſunt à tributis & vectigalibus Principi ſæculari pendendis; ergo etiam exempti ſunt à iudicio Principis ſæcularis*; non eſt tam imbelle & eneruc, vt F.Capello neceſſe fuerit dicere: *Non val punto queſta ragione.* Nam ſi hoc intelligatur de ratione, quam ipſe ſubdit; fateor dictum iſtius verum eſſe: neque enim vel vnius teruncij æſtimandum eſt; quod ait; *filium Regis à tributis Regi ſoluendis exemptum, & tamen à iudicio Regis ſolutum non eſſe.* nam clerici non ſunt filij magiſtratus politici, vt proinde ab vno liberi, ab altero non liberi cenſeri queant; ſed ſunt *filij Dei*; qui à ſuo tributo & iudicio neminem liberat; ſed liberat à tributo & iudicio politico; & ſi quem à tributo politico, quod minus eſt, minusque Eccleſiaſticum ſtatum dedecorat, abſoluit; cur eundem non etiam abſolueret à iudicio politico; *quia* DEI *perfecta ſunt opera*; præſertim in filios.

Eſt ergo inepta comparatio, cum iſte exemptionem clericorum à Deo factam, comparat cum exemptione filiorum à poteſtate paterna Regia; quia Deus liberando clericos à poteſtate ſæculari quoad vectigal & iudicium, non liberat illos à ſua poteſtate: ſed tantum à poteſtate ſæculari; at Rex liberando illos ſeu ab hac, ſeu ab illa obligatione; exſoluit illos à poteſtate ſua; Hinc fieri poteſt; vt ab vno, etiam minutiore, eos liberet, non autem à maiore. Hinc non admodum efficax eſt in his argumentum *à minore ad maius*. At in propoſito noſtro eſt efficaciſſimum. Si enim Deus liberauit iure ſuo diuino clericos à ſoluendis tributis, quod iſte agnoſcere videtur; quia dedeceat vt filij Dei huic oneri ſubiaceant; quanto credibilius eſt, illos immunes eſſe à iudicio ſæculari; quod ſtatum clericalem longè magis dedecet; quàm vectigalium penſio.

Cap. 38. Tandem iactat F. Capellus, *conſuetudinem cuius initium neſciatur; qua freti Domini Venetiani ſemper clericos in grauioribus delictis puniuerint.* Ego nihil aliud reſpōdeo; quàm nullam penitus conſuetudinem; etiam illam, cuius origo ignoratur, contra ius diuinū valere. At vt clerici à ſæculari poteſtate ſint exempti; id iuris eſt diuini; vt teſtantur ſacri Canones & Concilia; & Canonū præcipui Interpretes, & Theologi clariſſimi, non ſine optimis argumentis ex ſcriptura & ratione deductis. Et vt iuris diuini non eſſet, ſed tantum Canonici & ciuilis; attamen aduerſus libertatem Eccleſiaſticam nulla valet conſuetudo, vt patet ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 10. vbi *quacunque conſuetudo*, atque adeò etiam illa, cuius origo ignota; Eccleſiaſticæ libertati aduerſa reiicitur & reprobatur: & Concilium Tridentinum à Dominis Venetis receptum ſeſſ. 25 cap. 20. de reformatione, renouat omnes Canones & Apoſtolicas conſtitutiones in fauorem immunitatis Eccleſiaſticæ ab antegreſſis Concilijs & Pontificibus conceſſas; atque adeò etiam illam Concilij Lateranenſis quæ vniuerſim quācunque conſuetudinem Eccleſiaſticæ libertati contrariam reprobat. Et ſi quem F. Capellus Bullæ cœnæ Domini honorem habendum cenſuiſſet, nunquam hanc conſuetudinem iactaſſet: in qua Bulla hæc viſuntur verba: *Nec non conſuetudinibus, etiam immemorabilibus ac præſcriptionibus, quantumcumque longiſſimis, & aliis quibuſlibet obſeruantiis ſcriptis vel non ſcriptis, per quæ contra hos noſtros proceſſus* (quorum non minimus contra violatores Eccleſiaſticæ immunitatis) *ac ſententias, quo minus includantur in eis, ſe iuuare valeant vel tueri.* Quæ Bulla cum ſingulis annis in Metropoli chriſtianitatis legatur, cenſetur interrupta omnis præſcriptio & conſuetudo.

tudo. Nec refert, quod in Breui quodam Pauli Tertij Romæ dato, Anno Redemptoris milleſimo, quingenteſimo quadrageſimo, die vigeſimo Octobris, dicitur, Senatum Venetum conſuetudine immemorabili nixum in clericos delinquentes animaduertere: nam hæc conſuetudo nulla fuit; ac proinde ipſum etiam Breue nullum; ex falſa informatione prognatum; vt fusè oſtēdunt ſcriptores Italici nominatim Nicomachus Philalitheus Romanus Doctor, in libro, quem inſcripſit: *Auuertimenti veri alla Republica di Venetia è ſuoi ſudditi.*

Et vanitatem huius immemorialis conſuetudinis redarguit *ſolennis illa promiſſio venerabili iuramento roborata, qua Senatus Venetus anno 1510. menſe Februar. per viros nobiles procuratores ſuos legitimè conſtitutos, propter libertatem Eccleſiaſticam multis modis violatam, Iulio II. tunc Romano Pontifici promiſit, nunquam amplius eam violaturum, vt patet ex ſubiectis verbis vnius capituli de multis tunc iuramento firmatis.* *Hæc ex anonyma, ſed doctiſſima quadam lucubratione latinè ſcripta, & vt videtur, Romæ impreſſa, deſumpta ſunt.*

Item nominibus, & modo, quibus ſuprà, promiſerunt deinceps perpetuis futuris temporibus per ſe, vel alium, ſeu alios ex quauis cauſa, & quouis quaſito colore, aut ingenio, non impedire, nec ſe quoquo modo intromittere, quo minus cognitio cauſarum fori Eccleſiaſtici liberè exerceatur per iudices Eccleſiaſticos, & per eos dicta cauſa cognoſcantur, & terminentur in quacunque inſtantia, tam in Romana Curia, quàm in aliis locis prout ſanctiſſimo Domino Noſtro, & Romano Pontifici prò tempore illas in quocunque ſtatu committi contigerit; nec appellationes, & prouocationes in cauſis prædictis ad eandem ſedem, vel alios interponi, & interpoſitas liberè proſequi etiam in Romana Curia, impedient. Nec pariter Clericos, aut Eccleſiaſticas perſonas prædictas abſque ex-

preſſa licentia ſedis Apoſtolicæ, vel alterius Eccleſiaſtici iudicis, ad quem ſpectat, capi, carcerari, detineri, aut quauis moleſtia in eorum bonis, perſonis, aut beneficiis affici facient, aut permittent.

Computet, qui volet, vtrum ab anno Domini 1510. vſq; ad annum 1540. quo Breue Pauli III. datum eſt, poſſit *immemorialis* conſuetudo introduci, præſertim cum à Sixto IV. in ſimplices duntaxat clericos intra ciuitatem ſolummodo Venetam; & non niſi in criminibus læſæ maieſtatis, & monetæ falſatæ poteſtatem acceperint, nec aliter, niſi vt patriarchalis Vicarius toti proceſſui intereſſet. Vbi ergo eſt antiquiſſima illa conſuetudo promiſcuè puniendi nō tantum ſimplices, qui ſola prima tonſura inſigniti ſunt; ſed quoſcunque clericos, in quibuſcunque atrocioribus delictis, etiam extra ciuitatem Venetam; nullo Patriarchæ Vicario, aut alio Eccleſiaſtico præſente? Et quamuis Innocentius VIII. Sixti conceſſionem etiam extenderit ad facta, latrocinia, & alia grauiora facinora; & Clemens VII. etiam ad clericos in minoribus ordinibus non beneficiatos, id tamen commentitiam iſtam conſuetudinem immemorialem potius deſtruit, quàm adſtruit.

Ait F. Capellus, *leges de exemptione clericorum in atrocioribus delictis nunquam fuiſſe vſu receptas in Prouinciis Venetis, ac proinde non obligare.* Non diſcutiam, vtrum & quomodo ad legis efficaciā & valorē, præſertim Eccleſiaſticæ, requiratur receptio & approbatio ſubditorum; quia nimis longum facerem, ſi de hoc differere vellem: Dico id, quod F. Capellus aſſerit, falſum eſſe. Quia Dux & Senatus Venetus acceptarunt & in vniuerſis ſuis ditionibus promulgari iuſſerunt Concilium Tridentinū; de quo in ſcripto illo doctiſſimo, cuius ſupra mentio

facta

facta hæc leguntur: *Concilium Tridentinum cum decretis ſuis die 26. Octob. Anno M.D.LXIV. Hieronymus Priuli tunc Venetiarum Dux, & Senatus Venetus, in Conſilio Rogatorum congregati, promiſſa catholica confeſſione ſuper obligatione, qua Principes Catholici ſacrorum Conciliorum decreta ſeruare tenentur, nominatim acceptauerunt, & in omni ſuo Dominio publicari, & ab omnibus Magiſtratibus, Rectoribus, & Gubernatoribus obſeruari præceperunt; quibus more religioſorum Principum tunc amplius iniunxerunt, vt, ſi nōdum publicatum eſſet in omni Veneti imperij iuriſdictione, vel cum Patriarcha, vel Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel aliis Prælatis, quibus ea cura incumberet, agerent, atque curarent, vt Cōcilium publicari facerent, & pro debita illius executione, auxilium, fauoremq́; præſtarent. Sic enim ſcriptum legitur in eo ipſo decreto, quod tunc Dux, vna cum pio Senatu ſanciuit.* Quis verò neſcit in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 20. renouari omnes Canones, omnesq́ue conſtitutiones Apoſtolicas in fauorem Eccleſiaſticæ libertatis editas? Hoc ipſo igitur, quod Sereniſſimus Princeps & Illuſtriſſimi Domini Veneti Tridentinam Synodum acceptarunt, acceptarunt etiam Canones & conſtitutiones omnes de Eccleſiaſticorum à laico foro omnimoda exēptione conditos; ſeq́ue obligarunt ad perficiendum id; ad quod Tridentina Synodus omnes Principes & Reſpublicas grauiſſimis verbis in illo cap. 20. ſeſſ. 25. cohortatur. Qua ergo ratione ſcribit iſte leges de exemptione clericorum in Venetis prouinciis nunquam fuiſſe receptas?

Falſiſſimum etiam eſt; quod idem ſcribere audet, Sixtum IV. Innocentium VIII. & Alexandrum VI. hanc immemorabilem conſuetudinem Venetorum approbaſſe; non tantùm tacitè, ſed & expreſsè, in Breuibus

pro Venetis: quia in horum Pōtificum diplomatis nulla prorſus fit mentio *conſuetudinis immemorialis*, vt patet apud Nicomachum, de quo ſupra; qui Bullas iſtas ad verbum recitat: In Breui Pauli III. fit quidem mentio; ſed ex falſa *informatione*: vt iam antea dictum. Hinc Breue ſurreptitium eſt; & dolo non bono impetratum, cuius doli etiam index; quod dicitur; Sixtum IV. Innocentiū VIII. & Alexandrum VI. *conceſſiſſe ius in clericos quoque ſacris*, hoc eſt, *maioribus ordinibus initiatos*; quod verum non eſt. & ſimili arte & artificio contexti ſunt ſyllogiſmi, quos coronidis loco F. Capellus hic conſtruit; qui cum alterā ſaltem promiſsā apertè falsā & mendaci cōſtent; veram & veracem concluſionem progenerare nō poſſunt. Conſtat etiam ex litteris Apoſtolicis, quæ teſte Nicomacho & Bouio, in Curia Romana aſſeruantur; à Pontificibus Gregorio IX. Nicolao V. Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Iulio II. Leone X. Clemente VII. Paulo III. Gregorio XIII. perpetuò reclamatum eſſe; contra immunitatis Eccleſiaſticæ læſionem & violationem; quæ ſubinde in Republica Veneta exiſtebat. Quomodo igitur Pontifices hanc non conſuetudinem, ſed potius corruptelam tacito ſuo aſſenſu comprobarunt? Satis de exemptione Eccleſiaſticorum à magiſtratu politico.

Finis libri Secundi.

CON-

CONSIDERATIONVM AD THEOLOGOS VENETOS

LIBER TERTIVS.

CONSIDERATIO PRIMA.

De lege, quæ prohibet, ne ſine Veneti Senatus ſpeciali licentia ædificentur noua Eccleſiæ, Monaſteria, Hoſpitalia, & ſimilia pia loca.

F. Capellvs antiquũ obtinet. Iniuſtitiam huius legis conatur defendere, more ſibi cõſueto; hoc eſt, prorſus ſophiſtico; ex doctrina Illuſtriſſimi Bellarmini. Ponit initio pro legis tutela hanc concluſionem: *Domini Veneti Legem condentes, ne quis in eorum ditione nouam exſtruat Eccleſiam, non ſolum non peccarunt; ſed & actum virtutis exercuerunt.* Addit, *Illuſtriſſimum & Reuerendiſſimum Dominum Cardinalem Bellarminum eſſe huius concluſionis propugnatorem* (non miraris mi Lector, audaciam?) *dum aliud argumentum primo libro de Conciliis cap. 14. tractans, cauſſas reddit, cur Concilia olim ab Imperatore non à Papa fuerint conuocata.* (obſerua hic obiter fraudem; non ita loquitur Bellarminus: ſed dicit: *prima illa Concilia ab Imperatoribus indicta fuiſſe: ſed ex Pontificum ſententia & conſenſu;*) item, *cur autem tunc non ſolus Pontifex indixe-*

F. Capell. part. 3. ſui ſcripti c. 1.

indixerit, vt poſtea factum,&c. Quæ longè aliter ſonant, quàm prout à F.Capello proponuntur.

Prima cauſſa eſt, quia tunc adhuc vigebat lex imperialis antiqua, quæ prohibebat omnia collegia, & frequentes hominum conuentus ſine Imperatoris autoritate; eò quod metuerent Imperatores, ne ſeditio aliqua fieret. Vide l.1.ff.*de collegiis illicitis*,& l. *conuenticula*, C.*de Epiſcopis, & presbyteris*. Hic F. Capellus corrigit contextum: non enim eſſe titulum *de Epiſcopis & presbyteris*; ſed, *de Epiſcopis & clericis*. Vbi mirari ſubit, quomodo huiuſmodi minutulas mendulas notare audeat; idq; non ſemel; cum ipſe non modò ipſum Bellarminum; ſed & alios paſſim mendoſiſſimè allegare ſoleat: & hoc ipſo loco citet caput 14. libri primi de Conciliis; cum non ſit decimum quartum; ſed decimumtertium.

Secunda ratio Bellarmini. Quia etiamſi lex illa non fuiſſet, cùm Imperatores eo tempore in magna parte orbis terræ imperarent, non poterat fieri Concilium, niſi in aliqua vrbe imperiali; nulla autem ratio ſinit, vt in aliquo loco ex toto orbe conuentus fiat ſine licentia Domini illius loci, ſicut etiam modò, ſi Concilium nō fieret in terris Pōtificis, ſed in Gallia, Hiſpania, vel Germania, ſine dubio peteretur cōſenſus eius, cuius eſt illa ciuitas, vel prouincia.

Tertiam cauſſam præterit F.Capellus, quod ſcilicet Concilia generalia fierent ſumptibus publicis Imperatorum.

Quarta cauſſa. quia, eo tempore Pontifex, etſi in ſpiritualibus eſſet caput omnium, etiam Imperatorum; tamen in temporalibus ſubiiciebat ſe Imperatoribus; & ideo, non poterat inuito Imperatore aliquid agere; &, cùm tantùm debuiſſet petere ab Imperatore auxilium

ad con-

ad conuocandam Synodum; vel, vt permitteret Synodum conuocari; tamen, quia Dominum ſuum temporalem eum agnoſcebat, ſupplicabat, vt iuberet conuocari Synodum. At, poſt illa tempora, iſtæ omnes cauſæ mutatæ ſunt. nam nec illa lex nunc viget. nec Imperatores in toto orbe dominantur: nec ſumptibus publicis fiunt Concilia: nec ſunt gentiles, qui impedire poſſint; & Pontifex, qui eſt caput in ſpiritualibus, non eſt ſubiectus in temporalibus; cùm etiam ipſe in ſuis prouinciis ſit Princeps ſupremus temporalis, ſicut ſunt Reges, & Principes alij: id, quod diuina prouidentia factum eſt, vt Pontifex liberè munus ſuum exequi poſſit.

Hæc ſunt, inquit F. Capellus, *verba Illuſtriſſimi Bellarmini; Ex quibus ego hunc in modum argumentor. Si Imperatores potuerunt non vnâ ſolùm, ſed & pluribus legibus vetare congregationes religioſas, ne ſua in ditione abſque ſua licentia inſtituerentur; igitur id ipſum facere poterunt Domini Veneti in ſuis prouinciis; cum habeant ſupremam poteſtatem; teſte Illuſtriſſimo iſto Doctore; ſicut habet Summus Pontifex in ſuo dominio; & Imperatores in Imperio. Si ergo in his prouinciis non potuerunt cogi conuentus Eccleſiaſtici propter fidei negotia, niſi Imperatoris permiſſu; quo iure tu non ſolùm congregare homines, ſed & ædificia exſtruere, & in Venetorum vrbes & propugnacula nouas religiones introducere, abſque eorum conceſſu, poſtulas; ita vt ne quæri quidem velis;* Quod genus hoc hominum?

Reſpondeo primùm, Imperatores lege illa non vetuiſſe congregationes religioſas; vt ſupponit F. Capellus; ſed irreligioſas, factioſas, & tam Reipublicæ, quàm Eccleſiæ damnoſas: id patet ex verbis legis, quæ ſunt iſta: *Conuenticula illicita etiam extra Eccleſiam, in priuatis ædibus celebrari prohibemus; proſcriptionis domus periculo im-*

minente, ſi Dominus eius in ea clericos, noua, ac tumultuoſa conuenticula extra Eccleſiam celebrantes ſuſcepit. Hæc lex, in qua diligenter obſeruare oportet voces illas: *Illicita, noua,*& *tumultuoſa.*Item, *in priuatis ædibus*:quamquam & in Eccleſiis *illiciti, noui & tumultuoſi* conuentus interdicuntur.Ipſa etiam vox,*conuenticula*; finem legis ſat indicat;cum vſu communi *conuenticulum* non niſi in malam partem accipi ſoleat. Apparet quoque ex circumſtantiis hanc legem fuiſſe latam pręcipuè propter hęreticos; qui in perniciem Chriſtianæ Reipublicæ & fidei auitæ huiuſmodi coitiones in priuatis ædibus conflabant; idque non rarò fiebat per Epiſcopos & clericos peregrinos,ignotos,& circumforaneos contra ordinarios & legitimos Epiſcopos atque clericos; vt patet ex hac lege, prout exſtat in Codice Theodoſiano, libro 16. titulo 2.l.37.

Ex hoc legis ſcopo manifeſtè eluceſcit argumẽtum F.Capelli, quantum, quantum; ſi absque fuco & inuolucris proponatur;huc recidere. *Imperatores iure vetuerunt conuenticula illicita, noua, tumultuoſa; & ad ſeditiones concitandas nata & apta; ergo Domini Veneti,iure etiam prohibuerunt exſtructionem Eccleſiarum, in quibus* D E V S *colatur, & recta fides doceatur; & Monaſteriorum, in quibus* D E O *dies noctesq; ſeruiatur; & xenodochiorum in quibus miſericordiæ opera indeſinenter exerceantur, maximo miſerorum ſolatio & ſubſidio.* Quis obſecro, huius argumenti præſtantiam & ſubtilitatem non ſuſpiciat & veneretur?

Dices,*ſi lex tantum loquitur de conuenticulis illicitis, & ad ſeditiones appoſitis; cur Bellarminus eam accommodat ad Synodos generales Eccleſiaſticas,cum ſacrilegij inſtar ſit, huiuſmodi Synodos conuenticulorum illicitorum appellatione afficere,*

ficere, vtpote ſanctiſſimas; & ſummo Eccleſiæ & Reipublicæ Chriſtianæ bono natas.

Reſpondeo, id eò factum; quia ex Apoſtoli monito, non tantum à malo; ſed & ab omni ſpecie mala & mali abſtinendum eſt; cum igitur conuentus & concurſus peregrinorum Epiſcoporum & clericorum ex toto Chriſtiano orbe in alienam prouinciam vel ciuitatem, inconſulto eo, qui regionis vel vrbis illius moderatur habenas; ſpeciem quandam illicitæ & factioſæ coitionis præ ſe ferat; atque adeo videatur in legem illam Imperatoriam impingere; optimè dicit Bellarminus, Pontifices olim generalia Concilia, non niſi per Imperatores indici voluiſſe; vt omnibus innoteſceret, nullam eſſe debere vel tenuiſſimam ſuſpicionem, quaſi illicitum conuenticulum contra legem imperialem tot peregrini & ignoti Epiſcopi & clerici inire cogitarent. Quæ Frater Capellus ad exſtructionem Eccleſiarum; Monaſteriorum, Hoſpitaliorum; xenodochiorum & ſimilium piorum locorum meritò non accommodabit; nec ad conuentus in iis fieri ſolitos: quia inprimis non concurritur aut conuenitur hic ex vniuerſo mundo; & religioſi vel ſacerdotes, quibus noua illa domicilia commendantur; noti ſunt, vt ponimus, & approbati in Eccleſia; nec, inconſulto Epiſcopo, ædificia pia vel exſtruuntur; vel incolis inhabitanda traduntur; & ſi Ordinarius rem commodè tranſigere nequeat; ſupereſt in Eccleſia Summus Pontifex, qui ſtatuat & decernat; quid facto ſit opus. 1. Theſſ. 5.

Nec iniuriâ miretur quis F. Paulum in ſuis peſſimo ſidere progenitis *Conſiderationibus*; & Fratrem CAPELLVM, horumque collegas adeo ſollicitos eſſe;

 ne con-

ne conuentus, qui à catholicis hominibus, in catholicis Eccleſiis fiunt; pernicioſas conſpirationes & coitiones in graue Reipublicæ detrimentum creent; & non formidare eos, ne tot millium Iudæorum; Turcarum, ſchiſmaticorum & hæreticorum conuenticula & conciliabula Venetiis inſtituta; Reipublicæ damnum afferant: de quo cogitando rectè monuit F. Paulum doctiſſimus vir Ioannes Bouius. Qui fit, quòd iſtis, qui religioſorum nomine ſeſe venditant, ſuſpecta ſunt templa catholicæ religioni dedicata; & monaſteria cultui diuino conſecrata; & Hoſpitalia *miſericordiæ* deſtinata? Cur item illis ſuſpecti ſunt horũ inquilini & indigenæ; & tamen tot Iudæorum, Turcarum, ſchiſmaticorum, & hæreticorum diuerſoria & habitacula ſuſpecta non habent; eorumq; incolas Iudæos, Turcas, ſchiſmaticos, hæreticos ab omni ſuſpicione mali libenter liberant; eaq; ſolos catholicos & orthodoxos & monaſticæ religioſæq; vitæ Profeſſores prægrauant? *Verè trepidauerunt timore, vbi non erat timor*; ait verè Bouius: Et vbi timor & eſt & erit; nec trepidant nec trepidarunt iſti; qui tam ſolliciti communis ſalutis cuſtodes videri volunt.

Bou. lib. contra conſid. F. Pauli.

Non abnuimus; fieri poſſe, vt exſtructio religioſarum ædium aliquando vallis & munitionibus officiat: vel vt nouis monaſteriis ædificandis, nouisq; incolis aduocandis, ciues nimium onerentur; verùm propter hæc & alia, quæ interdum occurrere poſſunt; generalem legem ferre non poteſt ſua auctoritate magiſtratus politicus; ne noua huius generis domicilia abſque ſuo eoq; expreſſo conſenſu, condantur; quia talis lex Eccleſiaſticæ libertati, immunitati, & ipſi cultui diuino directè præiudicat, & plurimum derogat; adeundus in tali caſu Epiſcopus vel Pontifex; vel ſi huius rei ius generatim

Prin-

Princeps politicus ſibi delegari velit; à Summo Paſtore id impetrandum erit.

Itaque ſi F. Capellus ſic ratiocinetur: *Domini Veneti prohibere poſſunt illicita & tumultuoſa & Reipublicæ noxia conuenticula & domicilia, ergo prohibere poſſunt, ne quis noua templa, noua cœnobia; noua hoſpitalia, aliàue pia loca cõſtruat*; nemo erit, qui confeſtim, primo intuitu, non videat, conſequentiam riſu, quam reſponſo digniorem eſſe. Quis enim ſanæ mẽtis catholica templa, & in iis catholicos conuentus; quis catholica monaſteria; & in iis catholicos indigenas pro *illicitis, nouis, tumultuoſis & Reipublicæ damnoſis Synedriis* reputet? Non catholico, ſed hæretico ſpiritu caleſcit; quiſquis ita ſentit.

Dices: *poteſt magiſtratus ciuilis lege lata amoliri, quidquid ad Reipublicæ notabile damnum vergere videtur.* Eſto. Quid ſubſumis? Num hoc? *Nouarum Eccleſiarum, nouorumq́; monaſteriorum, & piarum ædium exædificatio ad notabile damnum Reipublicæ vergit.* Negatur aſſumptio. At *fieri poteſt, vt aliquando Reipublicæ damnum adferat.* Hoc per accidens eſt. Num propter talia extraordinaria lex ordinaria ferri debet, quæ ædificationem huiuſmodi domiciliorum vetet abſq; politici magiſtratus conceſſu?

Ait F. Capellus: *Lex illa imperialis de illicitis conuenticulis non cogendis aut fuit iuſta, aut iniuſta*; Reſpõdeo, fuiſſe iuſtam. Inſtat. *Si iuſta fuit; multo magis iuſta erit lex Veneta.* Negatur, quia lex Veneta non prohibet illicita conuenticula; ſed exſtructionem catholicarum Eccleſiarũ & domiciliorum diuino cultui & miſericordiæ operibus & exercitamentis deputatorum. Quid hæc lex commune habet cum lege de *illicitis conuenticulis*; aut hæc cũ illa? *Si*, inquit iſte, *non peccarunt Principes contra immunitatem Eccleſiaſticam, prohibendo ne in ſuis ditionibus conuen-*

carentur Concilia ſine ſua licentia; multò minus Eccleſiaſticam libertatem offendet lex illa, qua duntaxat vetat; ne alicuius certi ordinis abſque politici magiſtratus conceſſu, conuentus inſtituatur. At Frater Capellus paſſim falſum, vel ſupponit, vel aſſumit. Negamus lege illa de *illicitis conuenticulis*, aut aliis de illicitis collegiis prohibitum eſſe ab Imperatoribus, ne Synodi generales colligerentur. Eſt ne Synodus Catholicorum Epiſcoporum; quos Summus Pontifex conuocauit; *conuenticulum* vel *collegium illicitum*, vt ſub illis legibus comprehendi queat? Quocirca falſiſſima eſt hæc ratiocinatio: *Imperatores iure & licitè prohibuerunt ne generales Synodi ſuis in prouinciis, abſque ſuo permiſſu, celebrarentur; ergo Princeps & Senatus Venetus iure & licitè, abſque praiudicio immunitatis Eccleſiaſtica, vetare potuerunt, ne ædificentur noua templa; noua monaſteria, noua xenodochia; quia hoc minus quiddam eſt.* Antecedens à veritate remotiſſimum eſt; quia prohibuerunt *illicita conuenticula*, interdum in Eccleſiis, ſed plerunque in priuatis ædibus celebrari conſueta: ſub quibus Eccleſiaſticæ Synodi minimè includuntur. Quia tamen tot peregrinorum Epiſcoporum & clericorum ex vniuerſo mundo concurſus ſpeciem quandam præ ſe ferebat, quaſi in leges de illicitis conuenticulis incurreret; tot vndique ex vniuerſo orbe alienam in prouinciam & ciuitatem confluentibus, inſalutato loci principe; ideò Pontifices, non niſi conſciis & conſentientibus olim Principibus, Concilia conuocanda curarunt.

Quare quæ prætérea Auctor iſte adiicit; nil ſunt niſi inanes fumi ac nebulæ; imperitorum oculis obfuſcandis diffuſæ.

Ex ſecunda Bellarmini ratione maius adhuc præſidium

dium cauſſæ Venetæ accreſcere putat F. Capellus. Itaque hunc in modum argumentatur. *Princeps politicus prohibere poteſt, ne ſine ſua licentia, ſua in ditione generalis & œcumenica Synodus congregetur: ergo multò magis potuit Sereniſsimus Dux & Senatus Venetus prohibere ne ſine conceſſu ſuo ædificentur noua templa, noua cœnobia, nouique piorum & religioſorum hominum cœtus colligantur; quia hoc maius quiddam eſt; nam cum in ciuitate quapiam Synodus œcumenica congregatur, ſoli homines confluunt; at in iſto propoſito excitantur ingentes ædificiorum moles, & celſiſsimæ turres, quod interdum non ſine graui rei communis nocumento contingit.*

Reſpondeo, antecedēs eſſe falſum, ſupponit enim, Principem politicum lege lata vetare poſſe; ne ſua in prouincia abſque ſua licentia vlla generalis Synodus celebretur; & hoc dico falſum; nec à Bellarmino aſſertum; quia æquè tenderet in præiudiciū Eccleſiaſticæ immunitatis, ac lex illa Veneta: quia nec pendet nec pendere vllo modo debet à politicis magiſtratibus, vbi & quādo Synodus celebranda ſit; ſed hoc totum in arbitrio & poteſtate Eccleſiaſtici magiſtratus ſitum eſt. Secundò ſupponit; Bellarminum docere; Principem; reiicere poſſe ſua à prouincia Synodum generalem, licet Pontifici & Eccleſiaſtico magiſtratui aliud videatur. Hoc non docet Bellarminus; ſed tantùm iſtud: à Domino loci, vbi Synodus celebrari debet; licentiam petendam eſſe: quod ipſa ratio ſuadet. Quid ſi non obtineatur? Quid tum faciendum? Nihil de hoc Bellarminus. Quis verò non videt, quid dicere oporteat? Eccleſiam poſſe vti iure ſuo; etiam inuito illo Principe; quia filius matri & patri potius cedere debet; quàm mater vel pater filio. Nec vnquam affirmauit BELLARMINVS,

Prin-

Principem politicum prohibere poſſe, ne ſua in prouincia Synodus generalis cogatur; ſed tantùm; nullam rationem permittere, vt in aliquo loco ex toto orbe conuentus fiat ſine licentia Domini illius loci.

Obiicit F. Capellus. *Ipſa naturalis ratio dictat; vt quis in alienas ædes ſine Domini vel Patroni licentia non ingrediatur: ergo ipſa etiam ratio dictat nouos conuentus ignotorum hominum ſine licentia ſæcularis magiſtratus in vrbes non eſſe introducendos.* Iterum aërem verberas; & fumos ſpuis, vt veritatem obnubiles. Decretum Venetum non prohibet tantum nouos conuentus hominum ignotorum; ſed & notorum: nam ne Diui quidem Franciſci aut Dominici ſectatoribus & diſcipulis, aliiſue approbatis & notis religionibus & religioſis nouum monaſterium, noua Eccleſia, nouus conuentus, nouumque Collegiū ex hac lege erigi poteſt: & tamen F. Capellus non concedet iſtos religioſæ vitæ Profeſſores Venetiis, & in ditione Veneta ignotos eſſe.

Deinde, quid tu per *ignotos* intelligis? Num religioſos Ordinum à Sede Apoſtolica approbatorum? Negamus hos in Eccleſia ignotos eſſe. Nam vt ignotæ ſint perſonæ quoad ſe; non ſunt tamen ignotæ ratione ordinis in Eccleſia approbati. Verum quidem eſt; neminem inuito Domino domus, in domum pedem inferre poſſe: ſed negamus eſſe parem rationem; in noſtro caſu. Nā ſiquis ſuo in fundo Eccleſiam vel monaſterium conſtruat, pro certis quibuſdam religioſis, vel xenodochiū pro egenis, religioſi & egeni, qui ingrediuntur, non ingrediuntur reluctante, ſed iubente & volente Domino fundi. *At repugnat magiſtratus, cui in illum locū iuriſdictio.* Quid tum? maius eſt ius Domini particulare dominiū in fundum illum habentis; quàm magiſtratus; cui in locum

cum illum ſolum iuriſdictionis dominium competit. *At Magiſtratus priuatur poſtea iuriſdictione in locum illum Deo iam conſecratum?* Quid tum? Etiam tunc priuatur iuriſdictione in ciuem, quando ciuis clericatum aſſumit. Num ideo vetabit politicus magiſtratus ne vllus abſque ſua licentia aut clericus aut Monachus fiat? Grandis profecto res, ſi homo cedat Deo, ſinatque vt ad eius cultum & obſequium aliquid deputetur. Et ſi ipſe homo abſque magiſtratus licentia poteſt ſe perpetim Deo dedicare; cur non poſſet etiam fundum ſuum Deo conſecrare; exſtructo nouo templo, monaſterio, Hoſpitali?

Cum omnia accuratius conſidero; planè videtur mihi hæc lex Veneta ſimilis eſſe illi Mauricij Imperatoris, qua vetuit, ne quis miles, deſerta militia; monaſticam vitam complecteretur. Quam conſtitutionem ego, inquit S. Gregorius, vehementer expaui; quia per eam cælorum via multis clauditur, & quod nunc vſque licuit, ne liceat, prohibetur. An non idem totidem verbis de lege Veneta dicere licet; vt & illud? *Requirat, rogo, Dominus meus piiſſimus, quis prior Imperatorũ talem legem dederit, & ſubtilius æſtimet, ſi debuit dari.* Quis primus hanc legem tulerit; in alia Epiſtola oſtendit S. Gregorius his verbis. *Quam legem primùm (ſicut ij dicunt, qui leges veteres nouerunt) Iulianus* (Apoſtata) *protulit; de quo ſcimus omnes, quantum Deo aduerſus fuerit.* At quis ille, quem Veneti hac in lege ſequuntur? Nicephorus Phocas à Luitprando Cremonenſi Epiſcopo iis coloribus depictus; qui quemlibet, abſterere poſſunt, ne in illius veſtigiis veſtigia ſua ponat. Adde huic Manuelẽ Comnenum; qui vbi talia audere cœpit, inſigniter delirare cœpit; tanque infamem legem tulit; vt abſque mora à filio ſucceſſore antiquata, & in ſpongiam incumbere iuſſa fuerit; vt iam libro primo ſatis dictum.

S. Greg. lib. 2. Epiſt. 62.

S. Greg. lib. 2. Epiſt. 65.

Ex quarta ratione Bellarmini hoc argumentum procudit F. Capellus. *Papa non potuit aliquid facere inuito Imperatore; quia in temporalibus eum agnoſcebat pro ſuo domino; ergo neque clerici vel religioſi, vel laici aliquid agere poſſunt, inuito magiſtratu politico; qui iſtorum; præſertim Laicorum, verus eſt Dominus.* Sed aduertere debebat, Pontificem, neceſſitate ita exigente, ſubieciſſe ſe Imperatori; de facto, non de iure; ſicut Chriſtus ſe ſubiecit Pilato; ne ſi ius ſuum ſtrictè perſequi vellet; Eccleſiæ nauiculam in maiores ſcopulos impelleret ac illideret. quod manifeſtiſſimè eluceſcit ex Epiſtola D. Gregorij ad Mauricium Imperatorem, iiſque, quæ occaſione eiuſdem Epiſtolæ diſputat illuſtriſſimus Cardinalis Baronius ad Annum Chriſti 593. Nunc cum Eccleſiæ ſua libertas integrè reddita eſt; ipſique verè Chriſtiani Principes gaudent, ſibique gratulantur, quòd Eccleſiæ ſua iura reddere & ſarta tecta conſeruare queant; non eſt, quod in iis, quæ olim contigerunt F. Capellus cauſſæ ſuæ præſidium collocet, nobisq; hanc collectionem occentet: *Pontifex agnoſcebat Imperatorem pro ſuo Domino*; teſte illuſtriſſimo Bellarmino, *ergo & hodie clerici ſupremum magiſtratum ſæcularem pro Domino ſuo agnoſcere debent.* Certè Politico Magiſtratui non valde honorificum erit, ſi pro domino agnoſcatur, eo modo, quo Imperatores quondam à Pontifice pro *Dominis* agniti ſunt; non de iure, ſed de *facto* ſcilicet; qua ratione Nero fuit Dominus Apoſtolorum Petri & Pauli; Herodes Iacobi; & Mauricius ſanctiſſimi viri Gregorij.

Quem, quo elogio modeſtiſſimi alioquin & moderatiſſimi ingenij Pontifex decorauerit, ex his eius verbis intelliges. *Noſtris maximè temporibus malitia ſua virus exercuit* (Simoniaca hæreſis) *& totius Eccleſiæ pacem ſchiſmatica*

S. Greg. in pſal. 4. pænit.

matica infeſtatione turbauit. Concitauit enim aduerſus Eccleſiam Dei, non ſolùm innumerabilem populi multitudinem, verùm etiam regiam, ſi fas eſt dicere, poteſtatem. Nulla enim ratio ſinit, vt inter reges habeatur; qui deſtruit potius, quàm regat imperium: & quoſcunque habere poteſt peruerſitatis ſua ſocios, eos à conſortio Chriſti efficit alienos. Qui, turpiſſimi lucri cupiditate illectus, ſponſam Chriſti captiuam cupit abducere, & paſſionis Dominicæ ſacramentum auſu temerario contendit euacuare. Eccleſiam quippe, quam ſui ſanguinis precio redemptam Saluator noſter voluit eſſe liberam, hanc iſte poteſtatis regiæ iura tranſcendens facere conatur ancillam. Quanto melius foret, ſibi Dominam ſuam eſſe agnoſcere, eique religioſorum Principum exemplo, deuotionis obſequium exhibere, nec contra Deum faſtum extendere dominationis, à quo ſua dominium accepit poteſtatis. Ipſe eſt enim, qui ait: per me reges regnant. Sed immenſa cæcatus cupiditatis caligine, & diuino, vt patet, ingratus beneficio, & contra Deum faſtuoſus, terminos, quos poſuerunt Patres noſtri, contempto diuino timore, transgreditur, & contra Catholicam veritatem ſua furore tyrannidis efferatur. In tantum autem ſua temeritatem extendit veſania, vt caput omnium Eccleſiarum Romanam Eccleſiam ſibi vendicet, & in domina gentium terrena ius poteſtatis vſurpet. Quod omninò ille fieri prohibuit, qui hanc beato Petro Apoſtolo ſpecialiter commiſit dicens: Tibi dabo Eccleſiam meam, &c.

Ecce quibus artibus Maruricius ſancti Gregorij, & alij aliorum Pontificum Domini euaſerint. Si laudem ſimilem appetunt, qui hodie Clericorum Dominos ſe conſtituere tentant, non inuidebimus, quin & hanc à ſancto Gregorio eidem Imperatori tributam per nos adiiciant licet: *Quid Nero, quid Diocletianus, quid denique iſte, qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur, nunquid non omnes porta inferi? quis cogitare ſufficiat, quanti promiſſioni-*

bus eorum deuorati ſunt? quanti eorum metu perterriti? quanti afflictionibus eorum ſuperati? quos omnes perpetua mortis profundum abſorbuit, & ad cruciandum damnationis æterna infernus admiſit. Sed Eccleſia in illius, de qua dictum eſt, petra ſoliditate fundata, nec minarum ventis concutitur, nec perſecutionum fluminibus mouetur, nec corporalium pœnarum incommodis titubat, nec mortis ipſius timore vacillat.

Act.7. circa fin. Can.1.

Ait Frater Capellus, in Concilio Chalcedonenſi, ſtatutum quidem fuiſſe, rogatu Imperatoris, ne quis Eccleſiam conderet abſque licentia Epiſcopi, non excluſo tamen Imperatore. At nulla penitus in Canone fit Imperatoris mentio. Mirabilis prorſus eſt hæc Canones Interpretandi ratio, quam Frater Capellus vbique amplectitur. Intrudit & extrudit, quidquid lubet. Verba Canonis ſunt: *Placuit, nullum quidem ædificare monaſterium præter voluntatem Epiſcopi ciuitatis, neque in poſſeſſionem præter voluntatem Domini.* Vbi nihil prorſus de conſenſu Imperatoris impetrando apparet. Sed en inſolubile argumentum, *Sine conſenſu eius, qui Dominus fundi eſt, nemo poteſt in fundo illo Eccleſiam condere: ergo multò minus id licitum erit ſine conſenſu Imperatoris.* Negatur conſequentia. Quam probat iſte. *Imperator eſt Principalis & independens Patronus fundi, & alter tantum eſt Patronus ſecundarius & dependens; curatorque rei familiaris & priuatæ; Imperator verò publicæ rei curam gerit; ergo priuatus tenetur ab Imperatore licentiam petere; ſi in fundo ſuo velit Eccleſiam exſtruere.* Hoc argumentum, ſi quid roboris haberet; probaret ſimiliter priuatum non poſſe fundum ſuum vendere, niſi Imperatoris permiſſu: at cui hoc vnquam vel per ſomnium in mentem venit? Deinde, quod ad ius proprietatis attinet, Dominus fundi principalior eſt, quam Princeps; qui in illum fundum ſolummodo iuriſdictionis dominium obtinet; Quapropter proprie-

tate

tate ſua, etiam inconſulto Principe, ſe abdicare poteſt; vt patet in vēditione, vel donatione, vel permutatione: Cur ergo ſimiliter nō poſſet is, qui proprietatem habet, eam abs ſe abalienare in templum vel monaſterium, illo in fundo exſtruendum? *At Princeps amittit tunc Dominium iuriſdictionis.* Verum hæc amiſſio non eſt tanti; vt propterea opus tam pium & vtile à Domino intermitti debeat; cum Deus hæc talia; ſibi collata magno cum fœnore compenſare ſoleat; & nimium parcus eſſet princeps, ſi hac in re erga Deum reſque diuinas liberalis eſſe nollet. Etiam ciuis, cum in clericorum ordinem allegitur, eripitur ex iuriſdictione Principis. Quis ideo obſtrepit aut obmurmurat?

Ait F. Capellus. *Si priuatus obligatus eſt à priuato Patrono facultatem petere, quanto magis à publico patrono facultas petenda erit.* Negamus priuatum Patronum, ſi proprietatem rei ſolus habeat, petere debere poteſtatem ab vllo alio Patrono. Si verò tantum gaudeat dominio vtili; non mirum, ſi etiam à priuato patrono poteſtatem Eccleſiæ condendæ poſtulare cogatur, cum non habeat directum fundi illius dominium.

Peccat, inquit F. Capellus, *qui non petit facultatem à Patrono ſecundario*; hoc eſt, *ab illo, qui habet dominium directum; ergo peccat quoque qui à maiore patrono, hoc eſt, à magiſtratu, non petit facultatem.* Negatur conſequentia, Diſpar eſt ratio; vt iam ſæpius viſum. Alter verus eſt Dominus, directumque particulare dominium in rem habet. Magiſtratus ſolummodo dominium iuriſdictionis obtinet.

Adfert F. Capell. exemplū Dauidis, *qui* altare erecturus, Deoq; ſacrificaturus in area Ornā, id non fecit, niſi prius facta ſibi à Domino loci copia. *Da mihi*, aiebat, *locum areæ tuæ, vt ædificem in ea altare Domino, ita vt quantum valet argenti accipias, &c.* Hinc hunc ſyllogiſmum architectatur

F.Capellus. *Si neceſſitas petendi licentiam naſcitur ex Dominio,igitur ex maiore Dominio naſcitur maior neceſſitas; quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum: cum igitur maius ſit Dominium principis in bona ſtabilia; quàm ſubditi: maior ergo exiſtet neceſſitas petendi licentiam à principibus; quàm ſit neceſſitas, qua principes poſtulare tenentur licentiam à ſuis ſubditis; & ſi principes lege naturali obligati ſunt, vt hanc facultatē petant; multò magis ſubditi obligati erunt.* Totum hoc argumētum nititur ignorantia diſcriminis inter dominiū iuriſdictionis,et dominiū ꝓprietatis: quorū illud tantūmodo ſitū eſt in iure ſubditos gubernandi, iudicandi & protegendi, nec non in iure accipiendi ab eis emolumenta; quæ ea de cauſſa principibus debentur. At Dominium proprietatis eſt in rem ſeu fundum ipſum; & in hoc conſiſtit,quòd Dominus,quà legum æquitas ſinit,poteſt fundum illum alienare, donare, vendere, permutare, & in eo,quidquid libitum,exſtruere. Hinc fit; vt neque Princeps, neque quiſquam alius, qui Dominio particulari ſeu proprietatis careat; poſſit quidquam in illo fundo agere;abſque Domini particularis & directi permiſſu. At cum Princeps Dominium particulare in illum fundum non obtineat; non tenetur Dominus petere ab ipſo licentiam;ſi in eo Eccleſiā velit exſtruere;quia cura ſtruendarum ædium ſacrarum non partinet ad poteſtatem politicam; ſed ad Eccleſiaſticam; & quamuis ædificetur in loco, in quo princeps iuriſdictionem habet; id non refert;quia Dominium directum particulare præualet hic & præponderat; quiuis enim arbitratu ſuo de re, cuius proprietate gaudet,diſponere poteſt.

Quamuis inſuper Dominia proprietatis per leges ſoleant

leant reſtringi & certis finibus circumſcribi;(neq; enim Domino domus licet cuiuis; etiam Turcæ vel Iudæo; domum vendere; quia leges id prohibent) ſic tamen reſtringi debent, vt non impingatur in libertatem Eccleſiaſticam; cuius hæc etiam vna portio; vt cultus diuinus non impediatur; ſed ſemper magis atque magis amplificetur. Quale autem cultui diuino impedimentum obiicitur; ſi nulla Eccleſia conſtrui, nullum Monaſterium excitari absque politici magiſtratus conceſſu queat; idque ex lege generali & perpetua? Nec, vt iam ſæpius dictum, obſtat, quod magiſtratus iuriſdictionem ſuam in locis Deo conſecratis amittit; hoc enim nullus ægrè fert; niſi qui Macchiauellico ſpiritu agitatur; ſeque omnia à Deo accepiſſe; ac proinde quædam eidem reddi debere, non cogitat; quanquam non penitus omnem eum in locum poteſtatem deperdit: Nam adhuc ex ipſo Principis munere ius habet locum illum defendendi, & ab omni iniuria protegendi, quæ alioqui ex iuriſdictionis dominio profluunt. Non abnuimus, decere; vt inſalutatis Principibus nihil horum fiat; Hoc tantùm inficiamur, ius hac de re diſponendi & præcipiendi, idque lege ſtata & perenni; reſidere apud Principem politicum; aut, ſi ipſe nolit, Magiſtratus autem Eccleſiaſticus velit, vt Eccleſia aut ſimilis locus pius exſtruatur; illi potius, quàm huic obtemperandum eſſe.

Ad argumentum in forma, negatur Minor; nempe *Dominium Principis in fundos & prædia, maius eſſe quàm Dominium particulare proprietatis, quo hic vel ille potitur.* Frater Capellus putat ſuum aſſertum tam eſſe dilucidum, vt nulla probatione indigeat. At non ſemel

ſemel animaduerti etiam obſcura, apud hunc videri clara; & falſa; vera: nam licet Dominium iuriſdictionis ſit quiddam excelſius & ſublimius, quàm Dominium proprietatis, non tamen plus iuris in rem tribuit quàm Dominium proprietatis; Quo fit, vt ex hoc capite longè maius ſit ius *particulare* proprietatis; quàm iuriſdictionis.

Aliud argumentum priori non impar. *Dominium Principis eſt cauſſa totalis & adæquata Dominij ſubditorum, habet ergo Princeps maius Dominium in illorum bona, quàm habeant ipſi ſubditi.* Conſequentiam dicit auctor eſſe *claram; quia propter quod vnumquodque & illud magis.* Antecedens probat. *Illa eſt cauſſa adæquata, qua poſita ponitur effectus, & qua ablata, aufertur. Sed poſitis legibus principum, ponitur Dominium ſubditorū; ablatis legibus principum, aufertur Dominium ſubditorum, igitur leges principum ſunt adæquata cauſſa Dominij ſubditorum.* Reſpondeo, negando antecedens. Ad probationem dico; eam inprimis nihil eſſe ad rem; quia Auctor iſte non debebat probare leges principum eſſe cauſſam adæquatam Dominij ſubditorum; ſed *dominium iuriſdictionis* Principum. Ab hoc dominio tranſilit iſte ad leges; & valde ſcilicet metaphyſicè definit cauſſam adæquatam eſſe illam, qua poſita ponitur effectus; & qua ablata, aufertur effectus. Anima igitur erit hominis adæquata cauſſa eſſentialis; quia illa ablata; hoc eſt, à materia ſeiuncta; tollitur effectus, hoc eſt; homo; & illa poſita in materia diſpoſita; ponitur effectus: ergo eſt cauſſa adæquata hominis. Sed his miſſis, negatur minor. Quia dominium proprietatis ſeu particulare ſubditorum, nec à legibus, nec à iuriſdictione Principum in *eſſe* vel *fieri* ſuo pendet. Quis vnquam iuris ciuilis vel Canonici Profeſſor pro cauſſa adæquata acquirendi dominij re-

nij recenſuit iuriſdictionem vel leges Principum. Ponamus leges Principum ceſſaſſe; an ideo hic vel ille non erit Dominus fundi vel prędij ſui, prædij inquam, ꝙ vel donatione, vel ſucceſſione, vel emptione vel permutatione acquiſiuit? Faciamus iuriſdictionẽ principis in domo huius vel illius euanuiſſe; Nũ ideo ſimul particulare ſubditi dominium euaneſcet? Qui primò rem aliquam olim occuparunt, an non erant veri Domini illius rei? Et tamen ſub nullius vel legibus vel iuriſdictione erant. Nec obſtat D. Auguſtinus, qui Tract. 6. in cap. 1. Euangelij S. Ioannis dicit: *Tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere? mea eſt illa villa; aut meus eſt ille ſeruus; aut domus hæc mea eſt.* Ex quibus colligi videtur; poſitis principum legibus, poni dominium; ablatis; auferri; vt vult F. Capellus; ſed ſecus habet: nam faciamus, nullam legem ciuilem ſupereſſe, is tamen, qui rem quampiam vel emeret, vel per veram donationem acciperet; verè dominium rei illius acquireret, & retineret, donec illud denuo abs ſe abalienaret; vt antea dictum, Ergo quod S. Auguſtinus dicit, iure Imperatorum hanc villam eſſe huius vel illius, ſenſus eſt; iure humano; vt eſt hæreditas, emptio, donatio, occupatio, permutatio, & ſimiles tituli, quos etiam iura Imperatorum probant; hanc villam eſſe huius vel illius; quod verum eſt: neque enim iure diuino cuiuſque eſt hæc vel illa villa; neque iure naturali; cum ſic omnia ſint communia, ſed iure gentium, hoc eſt; titulis quibuſdam, quos etiam iura Imperatoria confirmant, ordinant, limitant, reſtringunt, moderantur, hominumque ſocietati proponunt ac promulgant. Ex quo minimè ſequitur, leges Principum ſiue iura Imperatorum, eſſe *ada-*

quatam cauſſam Dominij ; nam & abſque iſtis dominium in multis conſtat ; neque etiam vllus Princeps legem condere poteſt;qua ciues immerentes&innoxios domicnio ſuo priuet;improbos & ſceleratos, quales erant Donatiſtæ,contra quos eo loco D. Auguſtinus diſſerit, Dominio exuere poteſt;vt & vita; ſed nos extra hunc caſum loquimur.

Si Princeps, inquit Frater Capellus, *non habet dominium maius pro bono publico in bona ſubditi, quomodo poteſt illos priuare iis, quæ poßident? Quomodo palatia deiicere; ædeſque & ſedes funditus demoliri?* At hic Frater Capellus iterum immiſcet ea; de quibus nulla eſt quæſtio; nam quod hæc & id genus talia, poſſit princeps; id prouenit ex Dominio iuriſdictionis ; cuius etiam eſt bonum publicum curare; curatur autem, cùm pœnis infligendis; inter quas& amiſſio dominij,ſi ita neceſſitas exigat;tum amoliẽdis iis; quæ paci & tranquillitati officere poſſe videntur; vt ſunt interdum quædam ædificia. Sed hæc non arguunt maius in rem ipſam Dominium principis; quàm ſit dominium proprietatis priuati ; ſed tantùm hoc;quod tali caſu bonum minus, priuatum videlicet, cedere debeat maiori, publico nimirum : atque adeo dominium in rem ſtrictius ; alteri in rem minus ſtricto locum dare cogatur, ipſa æquitate & naturali rationis lumine id dictante & præcipiente. Dices : *ſi hæc poteſt boni publici cauſſa princeps in ædes profanas; idem ergo ob eundem finem poterit in ædes ſacras & domicilia pia : ergo legem ferre poteſt ;qua vetet, ne quis ſine ſuo conceſſu Eccleſiam ſimilemue locum condat.* Hæc conſequentia elumbis eſt. Nullum enim iuriſdictionis dominium in templa habet : Et quomodo generali lege prohibere poteſt princeps,

ceps ne quis, boni publici cauſſa Eccleſias ſine facultate ſua ædificet? Obeſtne bono publico per ſe & ex ſe Eccleſiarum ædificatio? Obſtantne per ſe & ex ſe Eccleſiarum fabricæ vallis & propugnaculis, profuntque hoſtibus ad infeſtandam ciuium pacem & quietem?

Dices. *Nullane erit ratio demoliendi Eccleſiam vel monaſterium, vel impediendi, ne conſtruatur, ſi in Reipublicæ euidens detrimentum tendat?* Erit vtique ratio. Epiſcopus adeatur, vel Pontifex; is enim huius rei legitimus iudex eſt & arbiter. Illud certò conſtat non magis Eccleſiarum & Hoſpitaliorum ædificationem in boni communis damnum per ſe tendere; quàm erectio ædium priuatarum. Non ergo vlla iuſta ratio ſuppetit, cur iſti legem Venetam titulo & prætextu boni communis velare & tueri velint. Quis enim niſi odio excæcatus dicat, ad bonum commune ſpectare legem, quæ generatim vetat Eccleſias & pia domicilia abſque politici magiſtratus conſenſu exſtrui?

Pergit Frater Capellus. *Peccat contra legem illam naturæ, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, qui rem aliquam, Domino non permittente ab eo aufert: illi qui Eccleſias fabricare volunt abſque Principis licentia, conantur eum priuare ſua re, abſque ſuo permiſſu; quia princeps amittit ſuum eo in loco dominium; neque fundus Eccleſiæ pendit principi amplius tributum; quod antea pendebat; peccat igitur talis contra legem naturæ.* Hoc ſuo tam ſubtili argumento efficiet Frater Capellus, ne Principem quidem abſque licentia priuati poſſe, bono communi id exigente; deſtruere ædificium, quod hoſtibus ciuitatem vel oppugnantibus vel oppugnaturis emolumento; ciuibus autem detrimento eſſe queat: *Peccat enim contra illam legem naturæ;*

quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; qui Domino inuito & reclamante, alterius domum vel fundum inuadit, & demolitur, vel occupat. Princeps hoc facit; *quando rei communi periculum impendet; peccat igitur Princeps contra legem naturæ; quia alterum inuitum & reluctantem re ſua priuat.* Hoc argumentum planè eſt gemellum priori.

Dices. *Hunc abſque ratione eſſe inuitum.* Ita eſt; Interim de politico magiſtratu ratione Eccleſiarum condendarum idem cogita. Dices. *Ab huiuſmodi domino, ſaltem peti licentiam demoliendæ domus; aut inuadendi fundi.* Quid ſi non peteretur? Quid ſi petita non obtineretur; an ideo princeps iure ſuo vti non poſſet; quamdiu alter renititur? Nullo modo; quia bonum priuatum Domini illius non iniuriâ poſtponitur publico. Idem & hic ſtatue. Bonum publicum cultus diuini; quod ex templorum erectione naſcitur; iure optimo antefertur bono priuato iuriſdictionis, & iuri inde capiendi tributum; quo magiſtratus prius gaudebat; quia ex officio incumbit Chriſtiano magiſtratui, operam dare; vt cultus diuinus augeatur & amplificetur; hocque quaſi pactum init cum Deo; ſe cultus diuini propagationem non impediturum, etiam rebus ſuis eum in finem collatis, maximè cum Dominium illud iuriſdictionis & ius percipiendi ex fundo alicuius emolumenti, vbere fœnore Deus compenſare ſoleat; qui ſe officiis vinci, nequaquam patitur.

Miror autem iſtos cauſſæ Venetæ propugnatores tam eſſe ſolicitos, ne Domini Veneti alicuius fundi vel areæ, in qua Eccleſia vel Monaſterium conſtruatur; dominium iuriſdictionis amittant; & tamen tam parum angi, quòd iidem illuſtriſſimi Domini Dominium integræ inſulæ Cypri, & florentiſſimarum in Peloponeſo & Theſſa-

Theſſalia vrbium funditus perdiderunt. Cur hic non inflant tubas ſuas, Dominosque ad dominia ſua recuperanda & inſtauranda excitant? Cur de iurisdictiuncula in vnum fundulum vel areolam non ſub iugum Turcicum tranſeuntem; ſed in diuini nominis obſequium migrantem, tot argumentis vndique conquiſitis contenditur; & vt è manibus non dimittatur, niſi lubeat & libeat, tanto verborum apparatu ſuadetur?

Itaque vt reſponſum hoc in pauca contraham; peccat; qui rem alienam, Domino *rationabiliter* inuito, aufert: At in noſtro caſu Princeps politicus nō eſt *rationabiliter* inuitus; nō igitur peccat, qui ipſo inuito rem illam, in quam dominium proprietatis habet; ab ipſo ſubtrahit, & maiori Domino tranſcribit; præſertim cum ſemper ſubintelligatur, ius illud iuriſdictionis diutius Magiſtratui competere non poſſe; quàm quoad res non dedicatur Deo; ſicuti etiam ius iuriſdictionis in hunc vel illum ciuem diutius non poteſt conſtare magiſtratui ciuili, quàm quoad ciuis ille in ſtatu Laico perſeuerat. Num ideo contra ius naturæ peccat; qui ad Clericatum tranſit; ſeque hac tranſitione à politica iuriſdictione eximit? Num nullus, niſi petita licentia à ſeculari magiſtratu, habitum clericalem induet?

Dices, *ſi propter cultum diuinum, iuriſdictionis dominium, etiam ab inuitis vel neſciis auferri & transferri valet, proprietario ſeu domino particulari fundum ſeu domum diuinis obſequiis deputante & conſecrante; ſequitur, etiam ab inuito vel ignorante proprietario auferri poſſe particulare dominium, fundo vel ædificio religioſis vſibus dedicato.* Negatur ſequela; loquendo de eo, quod ordinariè contingere ſolet. Nam forſan exiſtere poſſet caſus; quo etiam inuitus iure ſuo cedere deberet, vel nolens depelli poſſet; loqui-

mur ergo de eo, quod ordinariè fit; & ratio eſt; quia Dominus Particularis proprietatem rei habet; Quocirca & ipſe rei, & res ipſi longè arctiore nexu vnitur & copulatur; quàm Dominus iuriſdictionis & res ipſa inter ſe coniungantur; hinc vt nec inuitus ipſe homo; quia ſuarum actionum dominium particulare habet, compelli poteſt; vt ſe dedicet Deo; ita inuitus adigi nequit, vt ſe abdicet dominio alicuius rei; quò Deo conſecretur; & ſicut Dominium iuriſdictionis ſæcularis in hominem exſtinguitur, cũ quis ſe Deo dedicat; quia iam de ſuo dominio deceſſit; totumque Deo & ſuperioribus, Dei Vicariis, transſcripſit; ita & hic exſtinguitur ſæcularis iuriſdictionis Dominium; quando res dedicatur Deo. Et ſicut ibi Domino iuriſdictionis non fit iniuria; quia libens volensque maiori domino cedere debet; ita & hic nulla fit ei iniuria; cum non ſit rei proprietarius; ſed tantùm defenſor, & iudex; nam emolumenta; quæ inde manant vel manare queunt; aliunde ſatis ſuperque compenſantur.

Ait F. Capellus; *nullam reperiri legem, quæ prohibeat, ne Princeps legem de non ædificandis abſque licentia Magiſtratus politici Eccleſiis ferat; non igitur peccaſſe Rempublicã Venetam talem legem ferendo; cum omne peccatum ſit cõtra aliquam legem.* Reſpondeo, legem Venetam aduerſari omnibus legibus, quæ & à iure naturali, & à diuino; & ab humano tam Eccleſiaſtico, quàm politico in fauorem libertatis Eccleſiaſticæ profectæ ſunt: nam Eccleſiarum condendarum cura non ad politicum magiſtratum; ſed ad Eccleſiaſticum pertinet; cuius partes indebitè ſibi vſurpat magiſtratus ille, qui ſine ſua licentia non patitur Eccleſias ædificari. Nũ paterentur Domini Veneti ſi Pontifex vel Patriarcha Venetus ediceret, ne quis ſine ſuo permiſſu arcem vel palatium excitaret? Vtique non ferrent.

Quàm

Quàm hoc decretum iniquum ipſis videretur; cum huius rei cura ad Pontificem vel Patriarcham per ſe non ſpectet; tam iniquum meritò à rectè ſentientibus iudicatur decretum illud, quod abſque ſenatus licentia exſtructionem Eccleſiarum prohibet.

In terminis, inquit ſcriptum illud Romanum libro ſecundo laudatum & citatum, *contra Venetum Decretum eſt Canon Marcelli Papæ, in cap. Boni Principis. 96. diſtinct. vbi ſic ſcriptum extat: Boni Principis eſt, ac religioſi, Eccleſias contritas, atque conſciſſas reſtaurare: nouas ædificare, & Dei ſacerdotes honorare, atque tueri.*

Contra ius etiam ciuile pugnat idem decretum in authentico de Eccleſiaſticis titulis, §. *Siquis voluerit fabricare. vbi, antequam inchoëtur fabrica Eccleſiarum, id ſolum poſtulatur, vt Epiſcopi auctoritas opus præueniat per orationem, & venerabilis crucis fixionem.*

Et, tantum abeſt, vt Iure Ciuili Eccleſiæ fabricari prohibeantur, vt expreſſè etiam præcipiatur: nam in dicto, §. ſiquis voluerit. in verſu, ſi verò ſemel. cauetur, vt, ſi quis vel nouam cœperit ædificare baſilicam, aut veterem renouare, & opus diſtulerit, ab Epiſcopo eam complere compellatur.

Eadem libera facultas ædificandi Eccleſias apertè deducitur ex tex. in l. 1. & in l. generali, & in l. finali, cap. de ſacroſan. Eccleſ. vbi cùm indiſtinctè omnibus permittatur, Eccleſiis poſſe vendi, donari, & legari: conſequenter intelligitur conceſſum, ædificare. quia, qui vult conſequens, vult etiam neceſſarium antecedens. l. illud ff. de acquir. hæredit. l. 2 ff. de iuriſd.

His ita conſtitutis, vniuerſa hæc materia, de Eccleſiis ædificandis, & diffinire tempus, & locum, quando, & vbi ædificari debeant, ad Romanum Pontificem, & Epiſcopos locorum ſpectat, tanquam ad eos, quibus iure diuino incumbit, quæ ad Dei

cultum

cultum pertinent, ordinare. c. præcepta ſynodalia. & c. Baſilicas & c. nemo Eccleſiam. de conſecrat. diſt. 1. ca. ad audientiam. l. 1. & c. final. de Eccleſ. ædificand. & cap. 1. de exceſſib. Prælat. lib. 6. Hæc in Romano illo ſcripto.

Et hic Eccleſiaſticus Magiſtratus abunde Rempublicam ciuilem à damnis imunem pręſtabit: neq; enim vnquã ſinet, vt vlla Eccleſia vel Monaſteriũ, vel *hoſpitale* exſtruatur, cũ notabili Reip. detrimento: qua de re accuratè per ſacros Canones & per varias Pontificũ conſtitutiones cautũ eſt; vt in eodẽ ſcripto Romano fusè oſtenditur.

Princeps poteſt facere legem, inquit F. Capellus, *qua vetet ne hi vel illi in ſuam ditionem abſq; ſuo permiſſu ingrediantur; Qua lege etiã religioſi includi queunt. Et tamen nil delinquitur in Eccleſiaſticã immunitatem; ſi igitur hic non violatur libertas Eccleſiaſtica, quando cogũtur religioſi facultatem petere vt pedem in principis illius ditionem inferre valeant; quare læderetur, ſi princeps interdicat, ne ſine ſuo conceſſu in prouincia ſua habitent, ædesq; ſacras excitent; cum hoc longè ſit maioris momenti; quàm illud?*

℞deo, F. Capell. ſupponere falſum: nam quidquid ſit de lege, quæ ſæculares homines alicuius vel vrbis vel nationis ab ingreſſu in aliquam ꝓuinciam, non obtenta licentia, arcet; dico talem legem ex diametro cum Eccleſiaſtica libertate pugnare; ſi vniuerſi alicuius ordinis à Catholica Eccleſia approbati & confirmati religioſos ab ingreſſu in ꝓuinciam excludat; hoc ipſo enim ꝙ Ordo aliquis à ſede Apoſtolica apꝓbatus eſt; ius habet nõ modò Chriſtianas ꝓuincias intrandi; ſed & in illis habitandi & domicilia exædificandi. cum ergo antecedens falſum ſit; nihil eſt cur conſequentia proba & legitima cenſeatur.

Nec eſt, ꝙ quis quorũdam regnorũ morẽ obiiciat, quę certos quoſdã ordines excludũt; nã id non fit niſi ſciente & conſentiente ſede Apoſtolica, vt teſtantur, quibus hoc probè compertum eſt.

Tandem

Tandem pro clauſula capitis quarti, inquit F. Capellus: *multas Eccleſias dirui debuiſſe, cum offenſione & ſcãdalo ſimplicium, quod condita eſſent in præiudicium munitionum. Hanc autem offenſionem & hoc ſcandalum, impeditum iri; ſi licentia à magiſtratu petatur; ipſum enim ſemper aſſignaturum locum; qui rei communi non ſit fraudi.* Mirum, quantum Frater Capellus vbiq; curam gerat pro ſalute publica. Et quàm facilè omnia templorum tecta & turres videantur ſolis politicis oculis omnia intuenti hoſtibus ad occupandam ciuitatem magnum momentum allatura. Vbi illud? *Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam.* Quando ciuitatem magis cuſtodit, quàm quando religioſè pluribus in locis colitur? At Macchiauelliſtico ſpiritui non videntur templa vrbiũ eſſe munimenta; ſed potius hoſtium adiumenta: propterea vbi vbi templum mœnibus vicinius occurrit; diruendum clamitant. Non ignoro, fieri poſſe; vt in præiudicium pacis interdum eiuſmodi ſubſtructiones cedant. Sed num ideo generali lege ædificatio templorum prohibenda eſt? Adeatur competens & legitimus Iudex; conſulatur, audiatur; & ſi cognouerit; verè templum aut exſtructum aut exſtruendum è re communi non eſſe, haud grauatè ſinet & exſtruendum impediri; & exſtructum deiici.

CONSIDERATIO SECVNDA.

Examinantur ſolutiones nonnullæ; quibus F. Capellus obiectiones quaſdam diluere tentat.

OBIECTIO prima eſt: *cur lex aduerſus ſolos clericos lata ſit; & non itidem contra Laicos; cum Laici aquè poſſint excitare ædificia munitionibus & propugnaculis noxia & obfutura; eſt ergo iniuſta, quippe ab odio in clericos profecta.* Multa hic verba prodigit Frater CAPELLVS. Principiò dicit; *Summum Pontificem non admiſſurum hanc conſequentiam: Lex hæc lata eſt contra ſolos clericos, non contra Laicos, qui eandem quàm clerici, culpam contrahere poſſunt, ædificiis rei communi damnoſis exſtruendis: ergo eſt lex iniuſta. Quia ſequeretur, excommunicationem contra ſolos Dominos Venetos latam eſſe iniuſtam;* probatur, *quia non eſt lata in illos, qui eiuſdem culpæ affines ſunt, multi enim Principes ſimilem huic legem tulêre, nec tamen anathemate perculſi ſunt: ergo excommunicatio in ſolos Venetos emiſſa, iniuſta eſt.* At, niſi fallor; Summus Pontifex conſequentiam illam pro legitima agnoſcet, ſuſcipietque, & ad probationem dicet; hunc Auctorem neſcire quid afferat; nam ſi qui ſimilia ſtatuta Venetis edidiſſe videntur; ij id aut fecerunt, conſentiente & approbante Summo Paſtore; Quo fit, vt nullam pœnam mereantur: aut non conſentiente Pontifice; ſi hoc; excommunicari cum Venetis nequierunt; quia cum Venetis non ſunt moniti & remoniti, vt leges ſuas refigant & reſcindant; quare in contumaciam incidiſſe non cenſentur. At Domini Veneti toties à Pontifice moniti fuerunt, vt meliora & ſaniora conſilia

ſilia

ſilia caperent, quoties id & ius; & paternus quoque Pontificis in Venetos amor efflagitat. Et tamen aures occluſerunt; paſtoriſque vocem audire detrectarunt. Iure igitur iam, vt *contumaces*, pœnas dederunt. Quando alij monebuntur fortè obſequentiores erunt, quàm Domini Veneti.

Addo, iſtos, quos Frater CAPELLVS pari in culpa hærere inſimulat; nec eſſe Senatus Veneti; neque Venetæ Reipublicæ partes: Quocirca cum iiſdem communione pœnarum iungi non debuerunt, hoc ipſo præciſè, quod Domini Senatores Veneti anathemate ſubiecti ſunt; quandoquidem vnà cum ipſis nec moniti fuêre, neque vllum contumaciæ ſignum præbuerunt. At clerici & laici Veneti ſimul in eadem ciuitate, inque eadem prouincia Veneta degunt; & in confeſſo eſt; laicos æquè ædificiis ſuis officere poſſe propugnaculis & munitionibus ac clericos. Cur ergo lex in ſolos clericos lata eſt? Vnde tantus affectus in clericos? vnde hæc tam inſolens beneuolentia? Vnde hæc tam inuſitata ſollicitudo? Cur exempti laici, à quibus idem periculum impendet, vt fatetur Auctor iſte?

Secundò reſpondet Frater CAPELLVS; *ſolos clericos hac lege comprehendi, quod plerunque ædificia laicorum non ſint tam vaſta & alta & turribus adiunctis inſtructa; prout ſunt Eccleſia, & monaſteria; & hoſpitalia; & alia loca pia.* Scilicet Venetiis, aut in ditione Veneta nullum eſt palatium, nulla domus laici alicuius; ne dicam Iudæi, Turcæ, aut hæretici, quæ mole ſua longiſſimo interuallo poſt ſe non relinquat omnia *Patrum Cappuccinorũ*, vel *Minorũ de obſeruantia* templa & monaſteria. Nullum *Hoſpitale*, nullũ oratoriũ; nulla fraternitalis domus

reperitur; quibus plurimæ priuatorum ædes non ſint vaſtiores, munitiores, ampliores; mœnibus viciniores. Et tamen ab his nihil timetur mœnibus: à ſolis monaſteriis, templis & oratoriis grande diſcrimen imminet. Vnde hæc tāta formido? quàm ô vir erudite, malæ cauſſæ patronus es & aduocatus; quæ te ad talia excogitanda adigit.

Addit. *Si palatium vel profana domus deiiciatur, eo quòd munitioni nocumento ſit; non ſequi offenſionem & ſcandalum in animo plebis; ſequi autem maximam offenſionem, ſi domicilia Deo dicata euertantur, ſoloq; æquentur; Et hanc vnam ſcādali formidinem hucuſque obſtitiſſe, quo minus S. Leonardus Veronæ, & multa templa Brixiæ, Bergomi, & aliis in locis deturbarentur, & hæc iam ante quinquaginta annos deiecta oportuiſſe; ſi domicilia profana fuiſſent.* Vnde hæc tam inſueta trepidandi cauſſa ne templa hoſtibus aduerſus ciues ſint ſubſidio & præſidio, eo præſertim tempore; quod leges iſtas anteceſſit, quo Italia profundiſſima pace fruebatur; & *vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua habitabat abſque timore vllo?* ſcilicet propter id, quod aliquando euenire, quodque Eccleſiaſticus magiſtratus cura & ſollicitudine ſua ſatis præcauere & præuenire poteſt; lex generalis ferenda fuit; ne vlla Eccleſia locusue pius abſque principis permiſſu extrueretur; ne humilis quidem *Patrum Cappuccinorum* caſula aut Eccleſiola; nec oratoriolum vllius congregationis, nec xenodochiolum ſuſcipiendis & releuandis egenis & afflictis.

Scandalum, quod ſimplices capiunt, ſi templa vrbi damnoſa deiiciantur, legitimo magiſtratu, hoc eſt, Eccleſiaſtico, permittente & aſſentiente; acceptum eſt, nō datum; *paſſiuum*, non *actiuum*; & F. Capellus, pro ſingulari eloquentia & copia, qua cum ſuis collegis in propugnandis

gnandis Venetis decretis valet; ſi hanc eandem trāsferre velit, ad perſuadendum populo, id quod fit, iure fieri; facilè hoc ſcandalum à fidelium multitudine auertet. Cęterum illæ Eccleſiæ, de quibus loquitur, ſi euertantur, forſan muri illarum ciuitatum, magis, quàm vnquam aliàs nudabuntur. Et forſan ideo vrbes illæ in Veneta ditione hactenus manſerunt; quia his talibus patronis & defenſoribus tegebantur.

Secunda obiectio. *Etiam laicos coire & congregari poſſe ad ſeditiones concitandas in graue detrimentum Reipublicæ: illis igitur etiam prohibendum fuiſſe, ne abſque licentia Principis; cœtus inirent & colligerent.* Reſpondet F. Capellus, *eſſe diuerſam rationem: nam laicos facilè à magiſtratu cohiberi & caſtigari poſſe; clericos non niſi in atrocioribus delictis.* Egregiam profectò rationem. Quaſi coitio & conſpiratio in Rempublicam non ſit grauiſſimum crimen; ac proinde cum Veneti in grauiſſimis delictis ius ſibi in clericos competere ferant; non pari facilitate potuerint compeſcere clericos, qua laicos. Deinde, ſi non habent poteſtatem puniendi clericos ob illicitos, vt ipſi cenſent, conuentus; cur non modò in ſæculares; ſed & in Eccleſiaſticos decreuerunt pœnam *perpetui exilij & perpetui carceris, & publicationis fundi, venditionisq. ædificij, ſi quis in vrbe Venetiarum, & alibi in eorum prouinciis, Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, atq. alias religioſas domos & pia loca ſine eorum ſpeciali licentia fundaret & erigeret.* Si non niſi in *atrocioribus delictis* in clericos poteſtatem habēt, vt Auctor iſte dicit; inſtitutio autem huiuſmodi conuentuum non eſt ex horum numero; vt idem fatetur; quo ergo iure ponitur Eccleſiaſticis lex adeo rigida & auſtera? Num quis legem illi figere poteſt, in quem ratione eius, quod vetat, nihil iuris & iuriſdictionis habet?

bet? Certè non ex periculo coniurationum, quæ à clericorum & religioſorum conuentibus impendeant; ſed alio ex fonte hanc legem proceſſiſſe oportet; quam quò magis friuolis ſuis rationibus ſtabilire nititur F. Capellus, eò magis deformitatem eius in lucem extrahit; qui mox Gallicana quædam acta proximis tumultibus refricans, audaciſſimè calumniatur; inuictiſſimo & Chriſtianiſſimo Galliarum Regi; qui nunc habenas regni illius feliciſſimè moderatur, *vitam propemodum opera religioſorum ereptam fuiſſe. ac proinde Principem Venetum non immeritò ſcire velle; quos incolas ſua in ditione habeat.* Vbi Prædicantem Caluinianum vel Lutheranum; non religioſæ vitæ Profeſſorem mihi audire videor: Sed verbum non addo; quandoquidem iſta criminatio & ſycophantia, adeo protrita & profligata eſt ſcriptis Gallicis, Latinis, Germanicis, forſan & Italicis; itemque ipſius potentiſſimi, optimique & Maximi Regis confeſſione, facto, & exemplo; vt ſi his vel vnica ingenui ſanguinis guttula ſupereſſet; toto corpore potius erubeſcerent, quàm talem criminationem obiectarent.

Ait F. Capellus: *non ſequi legem eſſe iniuſtam, etiamſi Laicos non comprehendat*; hoc eſt, *etiamſi Laicis non interdicatur, ne arbitratu ſuo ædes profanas exſtruant; nam ne Eccleſias, monaſteria, xenodochia, hoſpitalia condant, æquè illis interdicitur ac Eccleſiaſticis; ſed tantum ſequi; legem potuiſſe perfectiorem eſſe includendo etiam Laicos; illum verò qui bene agit, nequaquam excommunicationis ſententia plecti debere; quod non melius agat.*

At enimuerò nos negamus legem eſſe iniuſtam ex hoc duntaxat capite, quod profana laicorum ædificia

non

non includat: nam verè iniuſta eſſet, licet laica quoque ædificia includeret; neque hoc volunt; qui legi illi oggerunt; *cur non laica itidem ædificia, decreto illo comprehenderint*; ſed tantum mirantur, & ex admiratione ſciſcitantur, cur Eccleſiæ, Monaſteria, Hoſpitalia vetita ſint, quaſi parum ad publicam tranquillitatem apta; & non ſimul vetitæ ſint Laicorum ingentes ſubſtructiones. Item, cur abſque Principis conſenſu religioſi & in Eccleſia Dei approbati conuentus inſtitui nequeant; cum quotidie tot millia Iudæorum, Turcarum, Hæreticorum & ſchiſmaticorum in ditione Veneta conuentus agant. Item cur adeo ſollicitè inquiratur, quis ex religioſæ vitæ Profeſſoribus in hoc principatu degat; Iudæis autem, Turcis, hæreticis & ſchiſmaticis liber aditus pateat. Huius rei cauſſam ſcire auent; qui prædicta obiectione legem Venetam vrgent.

Tertia obiectio. *Iudicium de rebus ſacris non pertinet ad laicum Principem, ſed ad ſolum Pontificem; eiuſque Prælatos, ergo lex hæc eſt iniuſta ex defectu iurisdictionis.*

Reſpondet Frater Capellus, *ſe nolle de antecedente contendere*; ad conſequentiam igitur dicit: *aliud eſſe iudicare res ſacras, & aliud facere poteſtatem ingrediendi ſuam domum. Et ſi non peccat, qui non dat religioſo facultatem ingrediendi ſuam domum, cur peccaret Sereniſſimus Venetiarum Dux, qui ſua lege nil aliud agere inſtituit, quàm vt ne qui religioſi ſuam in ditionem, ſine ſuo permiſſu, intrent?* Reſpondeo, aliud eſſe vetare, ne quis in meam domum ingrediatur; quia ego particulare dominium domus habeo; & aliud, vetare ne, ſi verus dominus domus vel fundi velit, domum vel fundum, cuius proprietatem

hab et

habet, Deo conſecrare; & cultui diuino perpetim deputare, id non poſſit ſine politici magiſtratus cōſenſu; quia magiſtratus iſte non eſt proprietarius, ſeu Dominus particularis illius domus vel fundi. Et prius illud nihil in Eccleſiaſticam libertatem delinquit; hoc poſterius aduerſa frōte in illam incurrit, vt ſupra dictum. Semper ſupponit Auctor iſte, Principem abſolutè tantum poſſe in domum vel fundum Domini particularis, quātum ipſe Dominus. Poteſtne Princeps abſolutè & per ſe loquendo domum meam vendere, vel alio pacto alienare? Poteſtne Princeps, qui quaſi Vaſallus Dei eſt; prohibere; ne quis ſubditus & ſui & ipſius Principis ſupremo Regi domum vel fundum conſecret, niſi Principis, hoc eſt, *Vaſalli* voluntas accedat?

Licet non pertineat ad Principem, inquit F. Capellus, *dare licentiam condendi Eccleſias, eò quod ſacra ſint; attamen ad Principem, non ad Epiſcopum ſpectat iudicare de ſitu, & num machina illa damnum Reipublicæ paritura ſit.* Iterum non iniuriâ quæras, num iſte norit, quò tendat. Nemo negat ad Principem pertinere, num templi vel monaſterij ſitus aliquid detrimenti rebus communibus procreare queat: ſed hoc negatur; *Principem propterea generalem legem rogare poſſe; ne quis vllam Eccleſiam, monaſteriū, hoſpitale, aliudue pium domicilium, ſe inconſulto & nolente, exædificet*: quia hoc directè cultui diuino & libertati cultum diuinum adaugendi derogat & detrahit. Si in particulari huius vel illius Eccleſiæ ædificatio in damnum publicæ quietis ceſſura videtur: non grauatè mandabit iudex Eccleſiaſticus, vt ab huiuſmodi ſtructura deſiſtatur, aut alium in locum transferatur.

Ait F. Capellus. *Si Princeps prohiberet, ne quis facultatem Eccleſiæ condendæ ab Epiſcopo peteret, tunc Eccleſiaſticam li-*

eam libertatem violaret; at iſtud non impedit; tantum hoc iubet, vt ſuus etiam conſenſus obtineatur. Pulchrè: perinde ac ſi diceret: *Princeps non prohibet, quò minus quis ab Epiſcopo poſtulet; vt in clericorum ordinem aſſumatur: tantum mandat, idque lege ſeueriſſima, pœnisq́; grauiſſimis propoſitis, ne quis, ſine ſuo conſenſu impetrato, clericali charactere inſigniatur.* An talis Princeps nil in Eccleſiaſticam libertatem delinqueret?

Multa dein declamitat F. Capellus, vt iniuſtæ legi aliquam iuſtitiæ vmbram inducat; quibus indoctos fortaſsè & rudes, nullum eruditum & circumſpectum circumueniet. Summa eſt: *Gubernatorem Paduanæ vrbis feciſſe vel facere poſſe legem; qua vetet, ne quis, ſe inſcio, & non conſentiente ex vrbe diſcedat. Hac lege etiam religioſos teneri, & ipſos Patres Cappucinos eadem obligari: licet inſuper ex ordinis & profeſſionis ſuæ ſtatutis teneantur à ſuo ſuperiore facultatem diſcedendi poſtulare. Gubernatorem non impedire, quo minus id fiat: Tantum mandare, vt nullus, ſine ſuo itidem conſenſu aliò migret. Hinc nihil ab illo in libertatem Eccleſiaſticam committi.*

Quis non videt latiſſimum diſcrimen inter hoc *Gubernatoris* mãdatum, & decretum Venetum? Illud enim ſolum obligat religioſos, quoad directionem, in re Canonibus prorſus non contraria; & de qua Canones nihil ſanciunt. At lex Veneta conatur clericos obligare etiã, quoad coactionem; ideo grauiſſimas pœnas illis proponit; ſi cõtra agant: & eſt ſacris Canonibus prorſus cõtraria, qui faciunt omnibus liberam domicilia pia exſtruendi copiam: Eſt & contra legem diuinam, quia cultum diuinum imminuit; & omnibus illis decretis repugnat; quibus Eccleſiaſtica immunitas ſancitur. Hoc qui benè perpenderit, & in animum ſuum demiſerit; is F.

Capelli facundiam,qua hic diffluit, parum morabitur. Ex qua ſi eam vſque ad quintam eſſentiam diſtilles, aliud non exprimes, quàm hanc ineptam conſequentiam, *Religioſi & clerici non poſſunt aliquibus ex locis diſcedere, niſi obtenta Gubernatoris facultate: multò igitur magis obſtringi poterunt omnes, ne Eccleſias, vel alia pia loca ædificent, & quidem ſub grauiſſimis pœnis.*

Negatur conſequentia; quia, vt ne quis ex vrbe aliqua abeat, ſine gubernatoris facultate, non repugnat ſacris Canonibus, ipſique iuri diuino; præſertim, *ſi lex* illa, vt ponimus, directionem tantum ſpectet; nullo autem modo coactionem; nam ſic iniuſta foret; quippe lata in non ſubditos: at lex de non ædificandis Eccleſiis, addita horribilium & atrocium pœnarum comminatione, apertè eſt contra ſacros Canones, cultusque diuini amplificationem; & de perſonis ac materia Principi ſæculari non ſubiectis; longè igitur diſpar eſt ratio: nam quod quoad directionem Princeps politicus, etiam leges ferre poſſit, quibus teneantur clerici; in materia, vbi Canones nihil præcipiunt; ipſe Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, & omnes noſtræ partis haud grauatè concedunt. Sed non eſt huius generis lex Veneta.

F. Pauli in ſuis conſiderat. Tandem delabitur F. Capellus in argumentum collegæ ſui F. Pauli Seruitæ. Quod eſt huiuſmodi. *Qui prohibet condere Eccleſiam, non exercet ſuam poteſtatem in Eccleſiam; quæ nondum eſt; ſed in fundum, qui eſt res laica; ergo non vſurpat poteſtatem in rem ſacram:* Similiter ac ſi hunc in modum colligerent. *Qui laicos generali lege vetat ſacros ordines ſuſcipere non exercet poteſtatem in rem ſacram; quæ nondum eſt; ſed in perſonas laicas ſibi ſubditas; ergo non committit aliquid in libertatem Eccleſiaſticam.* Egregium profe-

profectò argumentum; quaſi hoc ipſũ, quod veto, ne in Eccleſiæ poteſtatem tranſeat hic vel ille fundus per donationem vel per alium titulum; non impediat ius Eccleſiæ, quod habet; acquirendi de nouo plura; præſertim illa; quæ piorum liberalitas vltrò offert. Quaſi verò ſuam poteſtatem in rem ſacram non exerceat, qui impedit, ne Eccleſia ædificetur. Quod eſt obiectum huius impeditionis? Nonne Eccleſia fabricanda? An non eſt hæc res ſacra? Nam quod necdum exiſtat; non refert; nam & is in rem ſacram delinquit; qui illam in ſua cauſſa opprimit; &, ne in actum prodeat; obicem obiicit. Itaque Magiſtratus ſæcularis exercet quidem in fundum ſuam poteſtatem; ſed non in fundum præciſè, ſed vt ordinem reſpectumque ad rem ſacram, & ad conſecrationem habet; hinc lex illa impingit in rem ſacram; vt taceam, quod iam alibi fuſius explicatum, ciuili magiſtratui nihil iuris ſuppetere; vt generali lege prohibeat, ne quis domum vel agrum ſuum dedicet Deo, qui quouis Principe vel magiſtratu maior eſt, & maius in fundum illum ius habet; mirumque eſt, Principem impedire non poſſe lege generali; quo minus ciuis ciui domum vel fundos ſuos liberè vendat vel donet; & prohibere velle, ne quem fundum donet Deo.

Ait Frater CAPELLVS: *Ædificare Eccleſiam, nec eſt res ſacra, nec Eccleſiaſtica; ergo, qui prohibet ne Eccleſia ſine ſuo conſenſu ædificetur; non prohibet rem ſacram.* Quàm futile ſophiſma. Nam qui actionem prohibet; hic ſimul terminum; qui eſt Eccleſia, domus ſacra, & religioſa; prohibet. Neque enim lex illa VENETA

exſtruendi actionem propter ipſam actionem; ſed propter terminum prohibuit. Deinde ædificatio Eccleſiæ actio ſacra eſt, ratione obiecti & termini; qui, vt dicebam, religioſus eſt & ſacer.

Priori non eſt diſſimile hoc eiuſdem F. Capelli ſophiſma. *Poteſt Princeps politicus iudicare, imò & condemnare aliquem laicum, cui iam ſtat voluntas ſeſe conſecrandi Deo: ergo poteſt etiam iudicare & ſtatuere de loco, qui necdum ſacer eſt; licet eum conſecrare conſtitutum ſit.* Conſequentia eſt falſa: nam laicum, non obſtante illo propoſito; ſi quid delinquat, iudicare & cōdemnare poteſt Princeps ratione contracti delicti; nec impedit Princeps, quo minus talis Deo ſe conſecret. Tantum efficit, vt prius foro, cui adhuc ſubiectus eſt, ſatisfaciat. At Dominus fundi, & per eum fundus innocentes ſunt, vt pono; Quapropter Dominus à Principe impediri non poteſt; quo minus liberè fundum ſuum Deo conſecret: ſicuti laicus innocens à Principe impediri non poteſt; quo minus receptis ſacris ordinibus, Deo ſe conſecret. Si quid Dominus fundi commiſiſſet dignum amiſſione fundi, omniumque fortunarum; fateor, talem fundo fortuniſque ſuis mulctari poſſe; non obſtante, quod eas Deo conſecrare in animo habuiſſet: quia ratione patrati ſceleris acquiſiuit magiſtratus ius illa bona in fiſcum redigendi.

Quarta obiectio. *Princeps non poteſt facere legem, qua generatim vetet, ne quis abſque ſuo permiſſu fiat clericus; ergo neque potuit condere legem, qua interdiceret generatim, ne quis abſque ſuo permiſſu, Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, & ſimilia pia domicilia exſtruat.* Reſpondet F. Capellus: *eſſe diſparem rationem: nam qui facit clericum*, inquit, *hic non facit nouam partem ciuitatis; ſed ex non ſacra facit ſacram. At qui condit Eccleſiam, is vltra hoc, quod ex re non ſacra facit ſa-*

cit ſacram: facit quoque nouam ciuitatis partem; cuius iudiciũ & conſideratio ad Principem politicum pertinet.

Reſpõdeo, an laicus in clericum commutatus non fiat noua pars ciuitatis, quandoquidem, quoad ſuam perſonam; bona, & ſtatum acquirit nouum tribunal, nouumque iudicem; & deſinit eſſe ſub illo; ſub cuius iuriſdictione antea viuebat, id in præſentia non excutiam. Lector extremam diſputationis Bellarminianæ de clericis partem conſulat. Hoc dico; ſiue ciuis in clericorum ordinem cooptatus, fiat noua ciuitatis pars, ſiue non: in argumento noſtro prorſus eſſe parem rationem inter antecedens & conſequentiam: nam ſicut Princeps qui prohiberet, ne quis ſine ſua facultate clericalem habitum indueret; cenſeretur Eccleſiaſticam libertatem & immunitatem violare; eò quod rem cuiuis à Deo & ſacris Canonibus conceſſam; reſtringeret, & ſuæ cognitioni reſeruaret; cultumque diuinum imminueret; & multos, ne ſe Deo conſecrarent, abſterreret; ſic & in iſto caſu Princeps politicus prohibens, ne quis abſq; ſuo conceſſu; Eccleſias & alia pia domicilia exſtruat; Eccleſiaſticam libertatem violat, quia rem cuiuis particulari Domino à Deo, & à ſacris Canonibus conceſſam, reſtringit, ſuoque iudicio reſeruat, & ſic cultum diuinum imminuit; & multos abſterret, præſertim tam atrocibus propoſitis pœnis, ne ſe & ſua Deo conſecrent.

Quod ſi quis reſponſum F. Capelli verborum phaleris implicatum nonnihil explicare velit; hic perſpicuè animaduertet; totum eius robur in hoc conſiſtere; *Eccleſia, monaſteria, hoſpitalia, & huius generis alia religioſa domicilia de nouo condita, ſunt quædam ciuitatis noua ædificia; ergo non poſſunt exſtrui, inconſulto & nolente magiſtratu ciuili.*

nili. Huc totus Capellinæ orationis fucus recidit. At q̃s nõ videt conſequentiã eſſe *ficulnã*, hoc eſt, nihili & nauci? Et ſi quid hoc argumentulum valeret; probaret etiã neque laicos ſine magiſtratus ciuilis permiſſu, vel vnam domunculam ædificare poſſe: niſi fortè nouæ ædes laicorum non ſunt noua ædificia, ſeu, vt Auctor iſte loquitur, *nouæ partes* ciuitatis; ſed tantum ædes religioſorum.

Occurrit F. Capellus eſſe diuerſam rationem, propterea, *quòd Eccleſiæ, & id genus* aliæ ædes; ſint ædificia publica; parteſque primariæ & eſſentiales ciuitatis; ordinariè mole ſua viſendæ & ſpectabiles, turribus inſtructæ; externis incolis plenæ, & liberæ à tributo pendendo. Hinc dicit: magiſtratum meritò velle, ne ſine ſua facultate huiuſmodi fabricæ erigantur. Vbi meros logos audis; An non enim & laici magnificentiſſima, ampliſſima; & tam magnitudine, quàm opere viſenda palatia exſtruunt; cum quorum maieſtate ſi cœnobiolum aliquod vel templum Patrum Cappucinorum, ſimiliũque religioſorum vel hoſpitalem domũ conferas; quid niſi pygmæum cum Gigante conferes? Qui Venetias veniunt, quid magis mirantur & obſtupeſcunt? Quid magis luſtrant, & perluſtrant? Palatia, an hoſpitalia ſeu xenodochia? Et vbi plures externi commorantur, in cœnobiis; an in illis receptaculis, quæ Turcas, Iudæos, hæreticos, ſchiſmaticos turmatim & promiſcuè excipiunt? Nam quod de tributo addit, friuolum eſt; Indignus enim Chriſtiani Principis nomine fuerit, qui propter hoc tam tenue emolumentulum liberam ædificãdi Eccleſias, & cultum diuinum amplificandi poteſtatem reſtringere & circumcidere tentat; deq; Deo tã vili opinione imbutus ſit, quaſi hæc talia ſuum in obſequiũ collata non ſine multiplici fœnore compenſet.

Acci-

Accipe ad extremum mirificum prorſus argumentum. *Deus non vult, vt ſibi in monaſterio & habitu religioſo ſeruiant illi filij, quorum opera in ſæculo parentibus alendis neceſſaria eſt; vt habet communis Theologorum & Canoniſtarum doctrina; ergo multò minus vult, vt ſibi dedicetur locus, qui ciuitati neceſſarius eſt.* Si Frater CAPELLVS oſtendere poteſt, loca, quæ in vniuerſo principatu Veneto templis, monaſteriis & hoſpitalibus ædificandis deſtinari à fidelibus poſſent, tam eſſe Principi & Senatui Veneto neceſſaria, quàm interdum neceſſarius eſt filius egenis parentibus, vt ab illo alantur; haud inuitus fatebor, hãc, de qua diſceptamus, legem eſſe iuſtiſſimam, & diuinæ voluntati prorſus conſentaneam. Si verò huiuſmodi cogitatio tanto Principe, tantoque Senatu indigna eſt, indignum itidem eſt, legem hanc illo exemplo tueri velle: Et vt contingere poſſit, aliquem locum ſimpliciter publico ciuitatum vſui eſſe neceſſarium; qui omnibus ſpectatis, non debeat in ſacrum conuerti, num ideo lex generalis ſciſcenda fuit, qua ſimpliciter abſque Senatus conſenſu, omnis ædificatio piorum domiciliorum vetaretur? An propterea ſuo ipſius arbitrio exſtructionem Eccleſiarum politicus magiſtratus ſtare vel cadere cupiet, ſeque moderatorem huius rei conſtituet? Audi nunc alia.

Pater poteſt impedire filium, ne fiat religioſus, quando eſt alimentis parandis neceſſarius: Quid infers? *ergo quando aliquis locus Principi vel Senatui ſuſtentando eſt neceſſarius, non poteſt conſecrari Deo per Eccleſiæ aut Monaſterij exſtructionem.* Iterum dico; ſi quis locus ſit, qui Principi & Senatui ad vitam tolerandam tam eſt neceſſarius, quàm neceſſarius eſt egenis parentibus filius ille, de quo Theologi & Canonum Interpretes diſputant;

omni-

omnino non poterit locus ille, inuitis illis, Deo dedicari; ne fame enecentur; nutricio ſuo deſtituti. Sed ſemper quæritur; vtrum vel vnus locus in tota ditione Veneta tam ſit ſereniſſimo Principi & ampliſſimo Senatui neceſſarius; quàm eſt egeno parenti filius. Certè F. Capellus parum honorificè de opibus illuſtriſſimorum Venetorum ſentit, ſi eos his & ſimilibus ratiunculis tueri pergat. *Filius, cui parens planè inops & deſertus eſt, nõ poteſt ingredi religionem; quia debet alere patrem; ergo loca etiam ditionis Venetæ non poſſunt Deo conſecrari; quia ad prædictum modum Principi & Senatui neceſſaria ſunt.* Item. *Pater egenus, & cuius ſuſtentatio pendet à filio prohibere poteſt filium; ne ſe Deo per religioſæ vitæ profeſſionem, conſecret; ergo etiam Princeps Senatuſq; Venetus licitè prohibere poteſt, ne quis ſuam domum ſuumúe fundum Deo dedicet.* Hæc argumenta ne Morali quidem philoſopho, nedum Metaphyſico conueniunt.

Lib. 1. cap. 13. in fine. Claudit rationum agmen S. Thomas in Opuſculo de Regimine Principũ. Quid ille? Dicit: *Regem vel Principem, qui ciuitatem de nouo condit; diſpicere debere; vbi ſint ædes ſacræ conſtituendæ; ergo Domini Veneti meritò prohibuerunt, ne quis, ſe inconſulto, Eccleſias ædificet, quia hæc cura pertinet ad magiſtratum politicum.* Acutè, & quamuis S. Thomas non loquatur, niſi eo in caſu, quo ciuitas de nouo conditur; id tamen non refert; quia ad ciuitatem quoq; iam conditam iure Metaphyſico verba D. Thomæ extendere poteſt F. Capellus. Et quamuis S. Thomas minimè dicat, Regis officium eſſe; vt ipſe lege ſeueriſſima edicat & interdicat; ne quis ſubditus fundum ſuum Deo conſecret; hoc tamẽ F. Capellus, facilè ex verbis S. Thomæ exſculpit. Et quamuis etiam nos fateamur, ciuilem magiſtratum, tanquam veræ religionis defenſorem & aduoca-

aduocatum Eccleſiaſticæ poteſtati ſubordinatum diſpicere debere, vbi quàm commodiſſimè templa, monaſteria, Xenodochia, & huius generis alia domicilia exſtrui debeant; non videmus tamen; qua ratione hinc ſequatur; ciuilem magiſtratum poſſe legem ferre; qua ſimpliciter, grauiſſimis pœnis propoſitis, interdicat: ne quis abſque ſuo permiſſu huiuſmodi domos excitet. Et hæc de hac lege dicta ſunto; nam quæ F. Paulus in ſuis conſiderationibus adducit, ea ferè hic continentur; & ſatis à Ioanne Bouio, quamuis ſermone Italico, diſiecta & profligata ſunt.

Consideratio Tertia.

In qua expenditur Lex, quæ vetat ne bona ſtabilia in Eccleſiaſticas perſonas transferantur, abſq; conſenſu Principis.

VT F. Capellus huius legis *æquitatem* (ſic appellat) demonſtret; quinque propoſitiones præmittit. *part. 4. cap. 1.*

I. *Peccat mortaliter ille Princeps, qui ſubditos ſuos infidelibus ſinit eſſe prædam; neque omni ratione eos defendere conatur.*

II. *Ille princeps peccat mortaliter, qui in periculo perdendi Principatus conſtitutus, non procurat media, quibus eam ab infidelibus tueatur.*

III. *Theſauri ſunt media, quibus Princeps ditionem & ſubditos tueri poteſt.*

IV. *Non poteſt princeps colligere theſaurum, niſi ſuppeditentur reditus ex ſubditorum facultatibus.*

V. *Mandat Eccleſia, vt bona Eccleſiaſtica ſint libera à poteſtate ſæculari; vnde non permittit; vt principes inde vectigal*

vel tributum aliquod exigant. Quæ propoſitio nota eſt; inquit F. Capellus. *debet ergo & conſequentia nota eſſe; quæ eſt; Quanto plus immobilium Eccleſia acquirit; tantò magis debilitari potentiam Principis.*

Addit F. Capellus: *ſi Principes Veneti non obſtent, fore, vt breui tempore, tota Venetorum ditio, vel maior pars in clericorum poteſtatem veniat. Iam Eccleſiaſticos quarta parte redituum Principatus Veneti potiri. Hinc, proportione ſeruata, intra paucas annorum centurias; tres partes, quæ reliquæ ſunt; in clericorum manus redactum iri; Eccleſiaſticos enim recipere bona; vt mare aquas; at non reddere, vt mare reddit aquas; cumque ſemper durent; ſemperque aliquid de laicorum facultatibus ad ſuas adiungant; neceſſariò tandem ſequi, vt laicis nihil remaneat; iuxta illam regulam; omne finitum ablatione finiti abſumitur.* Hæc & alia huius generis præloquitur & futuræ apologiæ præſtruit F. Capellus; quæ non mirarer, ſi ab aliquo politico; vel Machiauelliſta diſputarentur; Nunc cum ea à viro religioſo & Theologo in medium adferri videam, fateor me ſatis mirari non poſſe; quî fiat; vt Theologus adeo profanis rationibus & ratiocinationibus in re grauiſſima vtatur.

Principiò enim Principum & Rerumpublicarum diuitiæ & opes non ſunt vnicum ditionis defendendę præſidium & munimentum; vt nec numeroſus exercitus; qui vbi copioſa pecunia ſuppetit, facilè conduci & colligi poteſt; ſed virtus, pietas, religio, iuſtitia, &, quæ his conciliantur, gratia & beneuolentia diuina; deque cælo miſſum auxilium. quorum mediorum nulla prorſus fit mentio in ſupradictis ꝑpoſitionibus. Sola pecunia ingeritur & occinitur; quaſi ex Pſalmo 46. eraſa ſint illa; *Non in fortitudine equi voluntatem habebit; nec in tibiis viri beneplacitum*

placitum erit ei. Beneplacitum eſt Domino ſuper timentes eum, & in eis, qui ſperant ſuper miſericordia eius.

Si quis hiſtorias tam ſacras, quàm profanas percurrere velit; intelliget, plurima regna fuiſſe euerſa; non inopia æris aut militis; ſed defectu eorum; quæ ſunt inexpugnabilia Regnorũ & Rerumpublicarum valla & propugnacula; cuiuſmodi pietas, religio, iuſtitia; quarum theſaurus ante omnia colligendus & cumulandus. At iſti cum vulgo præpoſtero canunt: *Quærenda pecunia primùm; poſt, virtus.*

Deinde qualis illa ratiocinatio de periculo, ne tandem omnia bona ad clericos deuoluantur. Habeant iam, quartam partem prouentuum ditionis Venetæ, vt affirmat F. Capellus. Affirmanti habeamus fidem; ſi mille & amplius annis, quibus Veneta Reſpublica ſtetit; quartam duntaxat partem Eccleſiaſtici adepti ſunt; ſi pari proportione res progrediatur; tribus annorum millibus indigebunt, vt tres reſiduas partes obtineant. At vbi poſt tria annorum millia Venetiæ & Veneti erunt? Imo vbi vniuerſus hic mundi ſtatus erit? Adhæc ſi mille anteactis annis tantum quartam partem nacti ſunt, non eſt cur F. Capellus formidet, fore, vt futuris mille annis adhuc vnam partem occupent; quia iam deferbuit ille ardor locupletandi Eccleſias; pleriſque potius intentis quomodo Eccleſias ſpoliare; quàm ditare queant. Vbi nunc ſunt; qui integros Principatus; integras prouincias, integros comitatus, vrbeſque, pagos, & fundos ampliſſimos Eccleſiæ liberaliter vt olim, donent? Certè ſi Epiſcopi Germaniæ, qui latiſſimis ditionibus præſunt; non iam antiquis temporibus, & munificentia piorum hominum, ea, quæ poſſident, adepti fuiſſent; hodie non adipiſcerentur. Itaq; nihil periculi impendet tribus reliquis

ditionis Venetæ partibus ne & ipſæ paulò pòſt in Eccleſiaſticorum poteſtatem delabantur; quidquid hic Frater Capellus de charitate non frigefacta concionetur. Nam ſi charitas multorum in cordibus nō refrixiſſet; vel ſaltem non intepuiſſet, nūquam, opinor, talis lex in fraudem Eccleſiaſticæ immunitatis lata fuiſſet.

Accedit, quòd F. Capellus longè maius operæ pretium faceret, ſi ſuam calculationem aliò transferret; nimirum ad Turcas; moneretq́; vt illuſtriſſimi Domini Veneti, omni ope & legibus & armis obuiam irent: non tantum ne maiora damna accipiant; ſed vt iam accepta reſarciant; ſi enim Turcicus Tyrannus intra duo ſecula florentiſſimas ciuitates & prouincias Venetis vi & armis ademit; eoſque, omnibus reditibus & vectigalibus, quæ inde capiebant, penitus ſpoliauit; certè ſi pari pede procedatur, longè citius occupabit Turca omnem Venetorum prouincias, quàm Eccleſiaſtici omnia Venetorum immobilia bona.

Adde; quòd ſimilibus calculationibus vſi Nicephorus Phocas, & Manuel Comnenus ſimilem legem; omnium calamitatum genitricem, condiderunt; vt libro primo dictum; quæ ob iniquitatem & turpitudinem ſtatim, verſo ſtylo, à ſucceſſoribus euerſa eſt.

Agnoſco etiam in his diſcurſibus Huſſum, tetram illam Eccleſiæ peſtem; qui iſta *in libro de ablatione bonorum temporalium à Clericis. Cum quotidie poſſeſſiones accreſcunt clero, & decreſcunt Baronibus, militibus, & aliis ſæcularibus, poteſt euenire de facili, quòd tota poſſeſſio ad clericos regni Bohemiæ deuoluatur; vt in Rheno contigit.* Scilicet, nullus Princeps Politicus quidquā ad Rhenum amplius poſſidet; omnia ad clerum & Principes Eccleſiaſticos translata ſunt. Cuius ergo eſt Baſilea? Cuius Argentina? Cuius tot oppida ad Rhenum ſita?

Ibidem

Ibidem dicit Huſſus, *pluſquam quartam partem regni* (Bohemiæ) *ad manum mortuam,* hoc eſt, *ad clericos, deuolutam eſſe*: item; *pluſquam quartam partem pro clericis in manu mortua eſſe deciſam.* Forſan F. Capellus hanc quartam partem ab Huſſo mutuatus eſt; quem miror etiam hoc nomine tam anxiè & ſollicitè cauere, ne bona immobilia ad clericos perueniant. Si enim, vt ipſe parte ſecunda ſui libri contendit, *clerici iure diuino ſubiecti ſunt magiſtratui ciuili*; multò magis ſubiecta erunt magiſtratui ciuili bona clericorum, quia minus quiddam eſt alicui ratione bonorum, quàm ratione propriæ perſonæ ſubiectum eſſe. licet igitur ad clericos bona ſtabilia perueniant; nil iuris amittet magiſtratus ciuilis. Cur ergo inani formidine angitur & torquetur F. Capellus, cum omnem hunc metum ex ſuæ doctrinæ fundamentis depellere poſſit; ſi ea bene perpendat? Et ſi Senatus Venetus in grauioribus delictis, clericos etiam vita mulctare poteſt; vt iſte cum collegis ſuis docet; multò magis bona eorum in fiſcum redigere poterit. Quare ex hoc etiam capite nonnihil cauſſæ habet F. Capellus; vt nimium illum & anxium timorem ponat. Quod ſi fortè magiſtratui ciuili non concedit dominium in bona Eccleſiaſtica; at vel Huſſi argumento permotus, id facere debebat. Quodnam illud? Si Rex noſter, ait Huſſus, non eſt Dominus bonorum Eccleſiaſticorum; ſequitur, *quòd non ſit Rex totius Boëmiæ.* At hoc eſt abſurditate plenum. An non validis lacertis hoc argumentum inſtructum eſt?

Olet inſuper hæc lex, & tota eius defenſio Marſilium de Padua, qui in *Defenſore Pacis* p. 2. cap. 11. & aliquot ſequentibus copioſè probare nititur, Eccleſiaſticos debe-

re vitam inopem, more Chriſti & Apoſtolorum, ducere; abſque vllo rerum temporalium dominio. Olet & hæreticos noſtri temporis; vt libro primo oſtenſum. Iam diſpiciamus, quas demonſtrationes F. Capellus ex propoſitionibus initiò poſitis exſculpat.

PRIMA DEMONSTRATIO.

SI Princeps Venetus à diuitiis colligendis ita abſtinet, vt non poſſit defendere ſuos ſubditos ab infidelium incurſu, tum peccat mortaliter contra legem diuinam; At ſi permittat; vt Eccleſia & Eccleſiaſtici plus bonorum immobilium acquirant, exponit ſe manifeſto periculo ne poſſit defendere ſubditos ſuos ab incurſu infidelium; ergo peccat mortaliter contra legem diuinam. Reſpondeo, Minorem eſſe falſam; de qua probanda, ne cogitauit quidem Frater Capellus. Falſam eſſe patet; quia non eſt periculum, ne omnia bona vel etiam maior pars ditionis Venetæ veniant in clericorum poteſtatem; vt ſupra dictum.

II. Quia etiam Eccleſiaſtici; quando Reipublicæ neceſſitas id exigit; lege diuina & humana obligantur; vt patriæ, ſuppeditatis ſumptibus, quàm poſſunt, maximis, ſuccurrant; & diſcrimen impendens auertant. Et ad hoc à ſuo Magiſtratu Eccleſiaſtico, etiam pœnis propoſitis, adigi & compelli poſſunt.

III. Quia tali tempore non tantum poſſunt bona Eccleſiaſtica à magiſtratu Eccleſiaſtico onerari vectigalibus pendendis; ſed & penitus abalienari & diſtrahi: imò neque cimeliis aureis & argenteis parcendum eſt; vt vetus Eccleſiæ conſuetudo docet.

IV. Eum in finem ipſe etiam ſummus Pontifex magiſtratui politico bona Eccleſiaſtica interdum concedere;

dere;& ius exigendi tributum paternè largiri ſolet; prout etiam multa huius generis Dominis Venetis largitus eſt, teſte Lælio Mediceo, Inquiſitore Florentino, in ſuo Italico diſcurſu ſupra librum Domini Antonij Quirini Senatoris Veneti.

V. Theologi iſti non tantùm ad pecunias oculos nimis politicè reflectere; ſed & ad altiora oculos attollere deberent;& pro certo ſtatuere; licet fiſco aliquid decedat per hoc, quòd bona immobilia Deo & Eccleſiæ dedicantur & conſecrantur; aliud tamen longè præſtantius & ad propulſandos hoſtes multò efficacius accedere; nimirum cœleſtem opem, diuinumqne ſubſidium & præſidium, ſemper procliue ac promptum. Quis Chriſtianus abnuat, Deum nequaquam pati; vt liberalitas noſtra immenſam ſuam beneficentiam ſuperet, dum cultus eius propagatur & amplificatur? Quis inficias eat, ſi oculos nonnihil in altum ſubleuet; fieri poſſe; vt longè ſatius & rei communi vtilius ſit, carere aliquot auri Chiliadibus, quàm præſidio per boni alicuius immobilis cultui diuino dedicationem diuinitus parto? Neq; enim fruſtra ſe coli ſinit Deus. Quod adeo manifeſtum; vt id ipſe etiam ſalutis noſtræ capitalis hoſtis Satan intellexerit: qui de Iob, ſummo Dei cultore ad ipſum Deum iſta. *Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Nonne tu vallaſti eum, & domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum; operibus manuum eius benedixiſti; & poſſeſſio eius creuit in terra?*

Vnde ſequitur VI. Tantum abeſſe; vt etiam temporalia minuãtur per hoc, quod bona immobilia Deo conſecrantur; vt potius per cæleſtem benedictionem mirum in modum augeantur; & nunquam ſit maior abun-

dantia;

dantia quàm quando erga Deum, eiuſque cultum reſtricti non ſumus & parci. Apparet id euidenter exemplo Sectariorum; qui non tantum obſtant & obſtiterunt, ne in Eccleſias & Eccleſiaſticos bona immobilia transferantur; ſed & ipſa bona Eccleſiaſtica diripuerunt, & in ſuos vſus latiſſima prædia; & opulentiſſima monaſteria conuerterunt: nec tamen vel vno obolo locupletiores, ſi non egentiores, euaſerunt.

SECVNDA DEMONSTRATIO.

QVI filios, & qui egenos parentes priuat iis, quibus opus habent; vt Eccleſiam dotent, & locupletent; is in legem diuinam & naturalem delinquit; & ſi aliquid legare vult Eccleſiæ; id facere debet ſeruata debita proportione. Sereniſſima Reſpublica Veneta plurimos habet filios, hoc eſt, populos ſuſtentandos & alendos; quibus neceſſaria ſunt illa bona immobilia, quæ Eccleſiis & Eccleſiaſticis conſecrantur. & iam liberaliſſimè ſuam portionem Eccleſiæ deſtinauit; peccaret igitur Reſpublica Veneta; ſi plura bona Eccleſiis & Eccleſiaſticis à ſubditis legari permitteret. Maiorem probat auctoritate S. Auguſtini ſerm. 52. ad Fratres in Eremo; vbi oblatam Eccleſiæ hæreditatem; exhæredato filio, reſpuit & repudiauit.

Reſpondeo, quidquid ſit de Maiore quæ ſuas exceptiones & reſtrictiones habet; Minorem eſſe falſam; tam ſubditorum; quàm ipſius Principis ſeu ſenatus reſpectu. Nam Principi Veneto non tam neceſſarium eſt, ne hic vel ille fundus Eccleſiæ legetur; quàm neceſſarium eſt egenis filiis; ne Parentes bona ſua Eccleſiæ legent; & ſi Principi vel Reipublicæ tam neceſſarium eſſet; ne Eccleſiis hic vel ille fundus teſtamento relinqueretur; quàm neceſſaria eſt filiis hæreditas, in eo caſu, de quo loquimur;

quimur;tum eadem vtrobique ratio foret. At certè parum honorificè de Maieſtate Veneta ſentiret, qui diceret;tam eſſe Principi & ſenatui neceſſarium,ne quod immobile bonum Eccleſiis legetur, quàm neceſſarium eſt filiis, ne exhæredentur à parentibus, omnibus fortunis ad Eccleſiam translatis.

Deinde id etiam non eſt neceſſarium reſpectu ſubditorum,ſiue ſigillatim,ſiue coniunctim ſpectentur Nã Dominus fundi nullam alteri quantumuis pauperi, iniuriam facit;licet fundum tranſcribat Eccleſiæ; quia vtitur iure ſuo; & alteri in hunc fundum nihil iuris competit. Quis itidem auſit dicere ipſis ſubditis in communi conſideratis tam eſſe neceſſarium,vt nullus fundus,nullum prædium,nullaque penitus poſſeſſio amplius Eccleſiis donetur; quàm neceſſarium eſt egenis parentibus ne à filiis debita alimentorum ſubminiſtratione priuentur; omnibus facultatibus in Eccleſiaſticos translatis?

Poſt geminam demonſtrationem ſubiungit F. Capellus rationes alias:quarum prima;*Si eſſet illicitum ac iniuſtum impedire, ne ob conſeruationem ſubditorum res temporales Deo conſecrentur;ſequeretur etiam illicitum & iniuſtum eſſe; ne ob eundem finem res iam Deo conſecratæ in vſum profanum conuertantur; ſed conſequens eſt falſum, ergo & antecedens.* Reſpondeo,concedendo ſequelam Maioris;ſi intelligatur ob veram conſeruationem ſubditorum; non ob fictitiam & imaginariam:& negando Minorem; verè enim illicitum ac iniuſtum foret, in profanos vſus res iam Deo ſacratas conuertere ob veram conſeruationem ſubditorum, ſi illicitum & iniuſtum eſſet ob eandem conſeruationem impedire, ne res temporales conſe-

 crentur:

ta neceſſitas non eſt in re, ſed in ſola F. Capelli imaginatione & argumentatione. Aliquid dicendum eſt; ne aduocatus planè videatur obmutuiſſe: & cauſſam prorſus deſeruiſſe.

IV. *Qui iure ſuo vtitur, alteri nullam facit iniuriam.* Hanc propoſitionem dicit F. Capellus eſſe Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini lib. de clericis, vbi ait, eum, qui ex laico fit clericus, non facere vllam ciuili magiſtratui iniuriam, licet ſe ex poteſtate eius ſubtrahat; quia vtitur iure ſuo. *Sed ſereniſſimus Princeps, dum pro conſeruatione ſtatus ſui hanc legem tulit; iure ſuo vtitur; ergo alteri non facit iniuriam.* Hic rurſus negatur Minor. Quis Principi politico conceſſit ius ferendi legem, quæ directè in Eccleſiaſticam immunitatem incurrit; & diuini cultus amplificationem notabiliter imminuit? Nam perinde propemodum fecit Princeps hanc legem rogando; ac ſi interdixiſſet, ne quis Deo in ſtatu Eccleſiaſtico vel religioſo ſeipſum conſecraret. Sicut igitur hoc non poteſt vetare, licet millies conſeruationem ditionis ſuæ ingeminet; ita ſimiliter prohibere non poteſt; ne quis bona ſua immobilia Deo dedicet; tametſi Reipublicæ incolumitatem & ſoſpitatem legi latæ prætexat. Exemplum de puteo diſſimile eſt. Nam ſi ego vicino faciam copiam hauriendæ aquæ ex meo puteo: ſemper mihi liberum & integrum manet, reuocare illam poteſtatem; quando lubebit; quia & aquæ & putei mei Dominus ſum; at Princeps non eſt Dominus particularis facultatum ſingulorum ciuium; vnde neminem arcere poteſt arbitratu ſuo; ne prout ad Dei gloriam; & animæ ſuæ ſalutem expedire iudicauerit, de rebus ſuis diſponat.

Obiicit F. Capellus. *Non eſſe de iure diuino, vt Eccleſia poſſideat bona ſtabilia; ergo Principem nil hac ſua lege in ius di-*

uinũ cõmiſiſſe. Reſpondeo, etiãſi hoc nõ ſit de iure diuino; tamen de iure diuino & naturali eſt; vt ſi quis quid Eccleſiæ ſponte ſua, & liberè ad diuini cultus amplificationem donare velit; Eccleſia nõ impediatur; nec ſit deteriore loco ac conditione; quàm alij, qui ſibi vel donata vel teſtamento relicta capeſſere, abſque vllius contradictione, poſſunt.

Ait; *non eſſe iuris diuini, vt bona Eccleſiaſtica immobilia non alienentur, neceſſitate id exigente.* Reſpondeo, neminem abnuere, dummodo vera ſit neceſſitas; & alienatio ab Eccleſiaſtico magiſtratu, legitima ad id auctoritate prædito fiat.

Quid hoc ad legem Venetam? Quid infers? Num hoc? *Non eſſe iuris diuini, vt Eccleſia, ea, quæ à fidelibus liberè offeruntur, acceptet.* Eſto, non ſit hoc iuris diuini; quandoquidem in Eccleſiæ id arbitrio poſitum eſt, Iuris tamen diuini eſt; vt Eccleſia à politico magiſtratu non impediatur; quo minus id, quod ſibi liberè offertur, accipiat, eoque non ſecus fruatur ac alij; quibus aliquid vel dono vel legato obtingit.

Ait. *In primitiua Eccleſia omnia fuiſſe communia; nec bona ſtabilia poſſeſſa;* Non diſquiram, vtrum omnes ſimpliciter fideles bonis ſtabilibus ſe tunc abdicarint; & pretium in cõmune contulerint; an hoc ab aliquibus duntaxat vitæ perfectioris deſiderio tactis factitatum fuerit; ſit ita, vt iſte ponit. Quid ſequitur? *Eccleſia poſtea primæuo hoc & ſalubri inſtituto mutato; bona immobilia adepta eſt;* Ita eſt. Quid amplius? *legeſquè tulit; ne vel minima res ſtabilis in laicum transferatur, niſi id cum euidente Eccleſiæ emolumento fiat.* Omnia hæc concedimus. Quæ tandem ſubiicietur concluſio? *Ergo etiam politicus Princeps poteſt ferre legem, qua obliget ſubditos, ne quid in clericos transferant; vel*

vt

vt transferant cum conditione iiſdem denuo vendendi. Vnica negationis litura expungitur hæc conſequentia. Quia quæ Deo ſemel conſecrata ſunt; iure perpetuo in vſu, vt ſic loquar, & ſeruitio Dei permanere debent.

Adſcribam hic verba doctiſſimi ſcripti ſupra à nobis aliquoties laudati & citati; in quo hæc obiectio his verbis refellitur: *Ex ſupradictis ſimiliter infertur iniuſta comparatione vti eos, qui argumentantur; quod ſicut ſummi Pontifices lege perpetua ſanxerunt, ne bona immobilia quæſita Eccleſiis, poßint in laicos alienari, niſi ipſis conſultis, & legitima cauſa neceßitatis, aut euidentis vtilitatis, accedente, ita Principibus ſecularibus neceßitati, & vtilitati publicæ conſulentibus, licebit ſtatuere, ne bona immobilia laicorum ſubditorum, per ipſos ſine licentia in perſonas Eccleſiaſticas transferantur: nam pro reſponſione ſufficit dicere, latum inter vtrumque eſſe diſcrimen. ideo enim in alienatione bonorum Eccleſiaſticorum tam diligens cautela præcipitur adhibenda; quoniam bona Eccleſiæ cùm ſint Deo dicata, auferri non poſſunt. Cap. nulli liceat. & cap. prædia 12. quæſt. 2. Innocent. in cap. verum. nu. 2. verſ. ſed nos contra. de foro compet. Cupiditas præterea laicorum, ſtudentium ad ſe bona Eccleſiarum transferre, & facilitas Eccleſiaſticorum ſponte ſæpe currentium ad eadem bona Eccleſiaſtica vel in conſanguineos, vel in alios alienanda, effecit, vt Eccleſia in eorum alienationibus tot ſolennitates cenſuerit adhibendas. Toto Tit. de rebus Eccleſ. non alienan. in Decretal. & in Sex. & in Clementinis. Imo cum Canones ſub dictis titulis conſtituti adhuc non ſufficerent, neceſſarium fuit pro temporum neceßitate plures alias edere conſtitutiones: non eſt autem ſic de ſecularibus, qui regulariter non ſolent eſſe profuſi ad bona in Eccleſias transferenda.*

Quis verò ferat illam Fratris Capelli conſequentiam? *Eccleſiaſtici mutarunt inſtitutum Chriſti viris tantæ ſancti-*

monia in vſu poſitum; de bonis ſtabilibus non poſſidendis; ergo etiam Principes politici mutare poterunt legem, de rebus temporalibus, licet antea apud eorũ anteceſſores in vſu poſita fuerit. Hic meritò quis quærat; num Frater Capellus arbitretur, Chriſtum vel Apoſtolos tuliſſe legem, ne Eccleſia immobilia bona poſſideret. Nam ſi legem tulêre, profectò Eccleſiaſtici abrogare non potuerunt. Si autem pro ſtatu & paruitate illius Eccleſiæ communitas hæc commoda viſa eſt; neque etiam omnes, qui Chriſto nomen dabant, res ſuas vendere, & in commune conferre cogebantur, niſi vellent; neque vlla lex à Chriſto, vel Apoſtolis lata eſt, qua vel rerum communitas præciperetur, vel poſſeſſio bonorum immobilium prohiberetur, qua ratione argumentatur iſte à mutatione eius, quod in Eccleſia primitiua vſitatum erat; ad legem Nicephori Phocæ, Manuelis Comneni & hodiernam Venetam de bonis immobilibus Eccleſiæ non relinquendis; Cum nec Chriſtus, nec Apoſtoli vſpiam prohibuerint, ne Eccleſia vltrò oblatis bonis immobilibus æquè ac alij poſſeſſores fruatur?

Necdum finis. *Laici non poſſunt agrè ferre legem Eccleſiæ de non alienandis rebus Eccleſiæ in laicos; ergo clerici non poſſunt agrè ferre legem Principis politici de non transferendis bonis immobilibus in clericos.* Vanitas huius conſequentiæ ex ſupra dictis liquet. Neque vel vno pilo melior eſt iſta. *Clerici penitus prohibuerunt, ne bona Eccleſiæ transferrentur ad laicos, ergo ſuauior & tolerabilior eſt lex Veneta; quæ bona laicorum transferri ſinit ad clericos: at cum reuendendi conditione.* Non examinabo antecedens, num penitus vero concinat. Conſecutionem dico eſſe inanem. Quia meritò prohibetur, vt quod ſemel Deo conſecratum

ſecratum eſt; non retrahatur ad vſus profanos; cæterum vt illud, quod nondum Deo eſt conſecratum, Deo non conſecretur; aut ad tempus tantùm conſecretur, ſoluto poſtmodum pro re illa pretio; id enimuerò à ratione abhorret, prorſusq; eſt abſonum & à pietate alienũ: Namq; F. Capell. dicit; Eccleſiam perſoluto pretio æquiualentẽ ſummam accipere; id ſecus habet; *quia reſpondetur*, inquit ſcriptum illud Romanum, *Eccleſiam magnam inde iacturam facere, cum immobilia bona, quæ difficilè amittuntur, in precium pecuniarum, quod multis periculis, & caſibus expoſitum eſt, conuertantur; expedit enim Eccleſiæ prædia, & agros poſſidere, vt ex fructibus eorum pauperibus poſſit neceſſaria miniſtrare. Textus eſt in terminis in cap. videntes. 12. quæſt. 1. quo loco huic obiectioni plenè Vrbanus Papa ſatiſfecit, & propterea labentibus ſeculis ſalubriter conſtitutum fuit, ne compellerentur Eccleſiæ ad diſtrahendum, vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum bona acquiſita, vel quæ deinceps acquiſituræ forent. cap. 1. § final. de immunit. Eccleſ. lib. 6.*

Quàm verò friuolum illud: *Clerici fecerunt legem de bonis, quæ aliquando fuerunt in poteſtate Laicorum: & laici fecerunt legem de bonis, quæ nunquam fuerunt in poteſtate Clericorum; ergo hæc iuſtior eſt, quàm illa.* Logi meri ſunt & gerræ in ſola volubilitate linguæ & calami ſitæ: licet enim bona clericorum fuerint aliquando in poteſtate laicorum; iam tamen ab illa exempta ſunt, poſtquam Deo conſecrata ſunt: & quia Deo conſecrata ſunt, meritò diligens nauatur opera; ne denuo ad profanos vſus redeant. At vetare, ne res aliqua ſtabilis Deo dedicetur, quid aliud eſt; quàm & diuinum cultum, multorumque ſpiritalem profectum ac fructum impedire?

Ait

Ait Frater Capellus; *leges & mores eſſe vt pharmaca. Quemadmodum ergo pro varietate & diuerſitate morborum mutare oportet pharmaca; ſic item leges & mores variari debere ob diuerſitatem temporis. Temporis autem conditionem hanc legem, quaſi medicinam, efflagitaſſe; vt occurratur incommodis, quæ ex libera & promiſcua bonorum immobilium in Eccleſiaſticos translatione enaſcitura erant.* Hoc itidem argumentum nihili eſt. Eſto enim, ſint leges & mores, vt medicinæ. Varientur pro tempore, vt medicinæ pro natura morbi: at variari non debent, niſi cauſſa legitima ſubſit, & à legitimo legislatore; quorum vtrunque hic defuit. Quis neſcit medicamenta non variari niſi ex præſcripto & præcepto legitimi medici? Nam quod Frater Capellus contendit, *Principem, dum hanc legem condidit, iure & iuriſdictione ſua vſum eſſe, atque adeo ex iuriſdictionis defectu legem non corruere*; id difficilius eſt, quàm vt nobis abſque probatione perſuadeatur, vel per ſimilitudines & diſcurſus quoſdam Rhetoricos, ſpecioſos magis, quàm ſolidos perſuadeatur. Quamuis enim, qui eleemoſynas largitur deſiſtere poteſt; ſi videat largitionem illam iam ſupra vires & facultates ſuas eſſe; Princeps tamen, lege lata, prohibere nequit; quò minus quis etiam de rebus ſibi neceſſariis benignè faciat egenis; atque adeo totam ſuam ſubſtantiam in pauperes effundat, ſi velit; neque enim vllus Princeps vlla ſua lege derogare poteſt illi Chriſti monito; *ſi vis perfectus eſſe, vade vende omnia, &c. & da pauperibus, & habebis theſaurũ in cælo.* Ergo neq; in noſtro caſu princeps ius habet interdicendi, ne quis facultates ſuas Eccleſiæ donet. Nã ꝙ de conſeruanda Republica additur; p̃textus inanis eſt: vt ſæpius oſtenſum; & per ſe liquet. & poſito, ꝙ hoc tẽpore

talis

talis lex ad conſeruationem Reipublicæ neceſſaria fuiſſet; ab Eccleſiaſtico legislatore; vel non niſi ipſo conſentiente, ferenda fuiſſet.

Obiicit F. Capellus: *Principem non impedire, quo minus quiuis res ſuas Eccleſiis relinquat; Tantum mandare; vt ab Eccleſiaſticis, oblato pretio, reuendantur; vtque ad laicos reuertantur.* An non hoc ſatis obſtaculi? An non ſat impedimenti? Cupit quis fundum vel prædium ſuum perpetuò in poteſtate & arbitrio Eccleſiæ eſſe; nec huius ſui voti compos effici valet; quia præpedit lex, quæ hanc donationem & translationem perpetim vetat. An non contra ius & fas Domino fundi ligatæ ſunt manus?

Ait F. Capellus: *Subditos, etiam quoad ſuas perſonas, corpora & vitam, magis ſubiectos eſſe Principi; quàm ipſi ſibimetipſis; & hoc elucere tempore belli; quando pro conſeruanda patria vitam, vniuerſasq́; facultates ſuas, ſi ita magnitudo periculi expoſcat; expendere & exponere debent: ergo hic etiam Principi morem gerendum eſſe; abſque vlla vel difficultate vel tergiuerſatione.* Reſpondeo, negando conſequentiam: quia eſt diſpar ratio. Imminente patriæ periculo vita & facultates exponendæ ſunt; quia bonum publicum præponendum eſt priuato; & patria verè in periculo, eoque graui verſatur, vt ponimus; hinc etiam Princeps præcipiendi ius habet; ſi ſubditi officium iniuſſi non faciant. At in præſenti nullum penitus eiuſmodi diſcrimen rebus communibus impendet; niſi, vt ſupra dictum, in phantaſia & ſtylo patronorũ cauſſæ Venetæ. Nec Princeps politicus ius habet impediendi, quò minus quiuis ſua Deo liberè conſecret; & ſi quam inde Reſpublica iacturam faceret; aliæ fores pulſandæ; & alius, qui damnum auertat, adeundus & ſalutandus eſſet. Quid ſi Princeps iudicaret expedire ad conſeruationem Reipu-

blicæ, ne ſubditi in clericorum vel religioſorum ordinem allegerentur; vel, ne qui iam in militiam adſcripti ſunt; abiecto militari baltheo; ad ſacerdotalem vel monaſticum ſtatum tranſgrederētur; num propterea legē ferre poſſet; qua interdiceret; ne quis clericus vel monachus fieret? *At expedit hoc ad Reipublicæ vtilitatem.* Hoc clara voce palam inficiabitur S. Gregorius: & hanc vtilitatem vanum merumq; impietatis prætextum appellabit, prout olim fecit, cum Mauricius Imperator ſimilē legem tulit: non enim omne illud ſtatim licitū eſt; quod vano publicæ vtilitatis nomine prætexitur & amicitur.

Vt autem intelligamus, quanto ſtudio F. Capellus id quod agit, agat; en etiam ex quadam opinione Nauarri ſuppetiatum it legi Venetæ. Diſputat Nauarrus cap. *Placuit* de pœnit. d. 6. num. 44. & ſeqq. quomodo fieri poſſit; vt ſacerdoti adimi poſſit poteſtas validè abſoluendi pœnitentes, cum ei adimi nequeat poteſtas validè conſecrandi. Poſt varia reſponſa tandem Num. 48. hoc reddit; *Romanum Pontificem non poſſe quidem iuriſdictionem vel poteſtatem abſoluendi ipſis presbyteris tollere, ſed poſſe ſubtrahere illis materiam, in qua illam exerceant. Et ſicut vino & pane ſubtractis presbyter non conſecrat, neque ſine aqua baptizat: ita ſubtracto populo à ſubiectione alicuius presbyteri, ſubtrahitur quoque illi materia; in quam ſoluendi poteſtatem exerceat, & ita non abſoluit. quod commune omnibus aliis eſt ſacramentis.*

Non diſcutiam, quanti ponderis ſit hæc doctrina Nauarri. Illud videndum; quid hinc pro cauſſa ſua colligat F. Capell. qui primò ex Nauarri quaſi mente hunc ſyllogiſmum exſtruit. *Qui agenti ſubtrahit materiam, non tollit, neq; lædit poteſtatem vel iuriſdictionem agentis. Papa tollit & remouet materiam pœnitentiæ à ſacerdote; ergo non*

tollit

tollit vel offendit poteſtatem vel iuriſdictionem eius. Si hæc ratio, inquit, *valet quoad Papam, valebit etiam quoad Principē politicum; & ſi Papa in hoc caſu non offendit iuriſdictionem diuinam, multò minus Princeps offendet humanam.* Quod vt euidentius fiat, en argumentū. *Qui ſubtrahit materiam agenti, nō offendit poteſtatem vel iuriſdictionem eius: Princeps temporalis hac ſua lege ſubtrahit clericis materiā iuriſdictionis & libertatis Eccleſiaſticæ: ergo non offendit, neq; tollit eorū libertatem vel iuriſdictionem Eccleſiaſticam; præſertim cum hæc ſubtractio non ſit poſitiua, ſed priuatiua; quia nō ſubtrahit materiam, quæ eſt, ſed quæ eſſe poteſt: nec propriè eſt alicuius materiæ ſubtractio; ſed rei propriæ ſimplex conſeruatio.*

Si hunc in modum ratiocinari velimus; tunc F. Capellus facillimè tueri poterit contra S. Gregorium legem Mauricianam, de qua ſupra. Dicet enim, eam, tantum clericis & Monachis ſubtraxiſſe materiam; ac proinde in iuriſdictionem & libertatem Eccleſiaſticam nihil deliquiſſe. Ex eodem fundamento defenſionem duceret hic aduocatus, ſi quis hodie Princeps ſimilē Mauricianæ ſanctioni ſanctionem cōderet. vt & tunc ſi Princeps præciperet, ne quis egenis eleemoſynam largiretur; in promptu enim eſſet clamare; Principem in pauperum ius nihil cōmittere; ſed tantum materiam ſubtrahere: non quæ ſit, ſed quæ eſſe poſſit; neq; eſſe *ſubtractionem poſitiuam, ſed merè priuatiuam.*

Deinde quidquid ſit de ſentētia Nauarri, de qua hic nō eſt dicēdi locus; dico valdè eſſe diſparē rationē; quia Pontifex, vt ordinarius & legitimus harum rerum iudex & arbiter ſacerdoti materiā iuriſdictionis ſubtrahit; ipſa iuriſdictione ſeu poteſtate integra relicta in ſe, & quoad *entitatē ſuā*; vt ita loquar; & hoc quidē ex ſentētia Nauarr. nec minuit illam in ſe, quoad intentionem; quandoquidem tanta manet, quanta erat antea. Tantum minuitur

extenſiuè ratione obiecti ſeu materiæ; quatenus illa ſublata in actum ſecundum exire nequit: Et iure minuitur; quandoquidem Pontifex huius rei legitimus iudex eſt, & legitimam eius faciendi, vt ſuppono, cauſſam habet. At in noſtro propoſito Princeps politicus non eſt harũ rerum legitimus & ordinarius iudex ac cenſor; neq; habet poteſtatem ſubtrahendi Eccleſiæ materiam illam; quæ à fidelibus ſponte & liberaliter ad Dei gloriam offertur; ac proinde neq; poteſtatem habet impediendi, ne ſuam iuriſdictionem in huiuſmodi materiam exerceat. Quare quotieſcunque hoc facit; in Eccleſiæ iuriſdictionem & immunitatem delinquit; quia facit, cuius faciendi nullum ius ſuppetit; & iniuſtè reſtringit ratione materiæ & obiectorum iuriſdictionem Eccleſiæ; eſto ipſam in ſe non tollat; at tollit illam ratione obiectorũ, quæ attingeret; ſi alter per legem ſuam non obſtaret: Quemadmodum ſi quis fabro lignario aut tignario ſubtrahat ligna; nil quidem de ipſo artis habitu ſubtrahit; at ſubtrahit vſum & exercitium huius habitus in hanc vel illam materiam; quæ ſubtracta eſt.

Inſtat F. Capellus. *Priuatus poteſt mandare, ne ſua bona ab hæredibus ad Eccleſiaſticos transferantur; ergo multò magis poteſt hoc Princeps.* Reſpondeo, negando antecedens. Poteſt quidem priuatus ille non tradere ſua Eccleſiæ; quia bonorum ſuorum proprietatem habet; at vt ad idẽ obſtringat ſuos hæredes, id non poteſt: neque hæredes tali mandato ſeu conditione tenentur; quia pietati & religioni aduerſatur. Et vt maximè antecedens verum eſſet; nil valeret tamen conſequentia; quia plus poteſt priuatus in ſua bona, quàm Princeps, cum ille particulare dominium proprietatis in ſua bona habeat; hic ſolummodo generale iuriſdictionis; vt ſupra explicatum.

CONSIDERATIO QVARTA.

Examinantur reliqua tertiæ partis à cap. ſexto vſque ad finem.

AIT F. Capellus, quoſdam opponere hunc Leuitici locum cap. 27. *Omne, quod Domino conſecratur, ſiue homo fuerit, ſiue animal, ſiue ager, nõ veniet, nec redimi poterit: quidquid ſemel fuerit cõſecratum, ſanctum ſanctorum erit Domino, & omnis conſecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur.*

Quæro ab iſtis, inquit F. Capellus, *num Chriſtus & Apoſtoli in primitiua Eccleſia hunc locum intellexerint? Vtique affirmabunt. Subiungo ego. At Chriſtus & Apoſtoli in primitiua Eccleſia vendebant bona ſtabilia Eccleſiæ donata; ergo minimè credebant, ſe illa Leuitici lege de conſecratis Deo non alienandis obligari.* At meminiſſe debebat F. Capellus hic non eſſe diſceptationem de alienandis rebus Eccleſiaſticis; ſed de lege Veneta, quæ Eccleſiam à bonis ſtabilibus adipiſcendis arcet. II. Libenter intelligerem; vbi nam ſcriptum ſit in ſcriptura, Chriſtum Dominum aliquod bonum immobile Eccleſiæ donatum alienaſſe. III. In Eccleſia primitiua, qui perfectioris vitæ deſiderio tenebantur; nõ prædia Eccleſiæ; ſed ſua vendebant, & pretium in commune conferebant. Neque enim Ananias cum ſua Sapphira agrum Eccleſiæ; ſed ſuum vendiderat. vt nec Sanctus Barnabas. Sed, vt dicebam, hic tempus non eſt vt exponamus qui & quando Eccleſiaſtica bona alienare liceat, & quomodo lege illa Leuitici iam in Chriſtiana Eccleſia teneamur.

Porrò F. Capellus in hoc capite aliquid, quod ſcenę

ſuæ ſeruiat, ſe reperiſſe arbitratur: Quid illud? *Homo ſi vouerit domum ſuam, & ſanctificauerit Domino, conſiderabit eam ſacerdos, vtrum bona, an mala ſit, & iuxta precium, quod ab eo fuerit conſtitutum, venundabitur: ſi agrum poſſeſſionis ſuæ vouerit, & conſecrauerit Domino, iuxta menſuram ſementis æſtimabitur precium. Si triginta modiis ſeritur terra, quinquaginta ſiclis venundabitur argenti. Ecce*, inquit iſte, *quomodo mandat Deus, vt alienentur & vendantur bona ſtabilia Maieſtati ſuæ oblata & dedicata; quod vſu receptum fuit ab ipſomet Chriſto, Apoſtolis, & Eccleſia per multos annos. Quocirca lex Veneta nil eſt aliud, quàm confirmatio vſus in veteri Teſtamento ſanctè ſuſcepti; & primitiuæ Eccleſiæ, Chriſtiq; redemptoris. Quapropter nihil eſt cur legi Venetæ indigneris.*

Reſpondeo, Frater Capellus ingentem diuerſitatem, quæ vtrinque viſitur; hic animaduertere debuiſſet. Nam legem illam Leuitici de alienandis bonis immobilibus, non omnibus, ſed aliquibus; ipſe Deus tulit; cui & in temporalibus & in ſpiritualibus liberrimum & integerrimum eſt pro ſuo arbitratu diſponere, abſque cuiuſquam iniuria. At legem Venetam condidit Princeps & Senatus illius Reipublicæ; quibus de his ſtatuendi ex ſua propria auctoritate, negamus ius vllum competere; Secundò, cum in primitiua & veteri Eccleſia bona ſtabilia vendita & abalienata ſunt; id non eſt factum lege & iuſſu Principum ciuilium; ſed voluntate ipſius Chriſti, Apoſtolorum & Eccleſiæ; quibus de his decernere ius fasque erat. Si Eccleſia huius temporis præcipiat, vt bona Eccleſiaſtica abalienentur & in laicos transferantur; non renuent Eccleſiaſtici ſanctæ matris monitis obſecundare; nec inuiti ſinent, morem illum primæuæ Eccleſiæ reuocari & inſtaurari; ſi viderint

hanc

hanc eſſe Eccleſiæ mentem ac voluntatem. At cum Eccleſia contrarium grauiter præcipiat; velitque, vt bona immobilia, quæ iam Deo conſecrata ſunt; diligenter conſeruentur; & alia, quæ piorum munificentia offert, liberè acceptentur; non eſt, quod vllus politicus Princeps vel illam legem Leuitici; vel conſuetudinem priſcæ Eccleſiæ renouare ſtudeat; quia huius rei arbitrium ad Eccleſiaſticum magiſtratum pertinet, non ad ciuilem.

Ait F. Capellus: *Rempublicam Venetam ne minimum quidem committere in illud: Quod conſecratur Domino, eſt ſanctum ſanctorum, & autem pertinet ſacerdotum: quia permittit, vt Eccleſiaſtici iam parta & oblata, prout lubet, tractent & adminiſtrent; ſolum edicit de illo, quod necdum eſt ſanctum ſanctorum; quodque nondum ad ius ſacerdotum pertinet.* Non iniuria quæras primum; ſi Domini Veneti non tangunt id, quod Domino conſecratum, & iam *ſanctum ſanctorum* eſt, & ad *ius ſacerdotum pertinet*; quî fit ergo; quod ſacerdotes in vincula coniiciunt; & in illos iuriſdictionem ſibi vſurpant? An non ſacerdotes ſunt cõſecrati Domino? An non ſunt *ſanctum ſanctorum?* An nõ pertinent ad *ius ſacerdotum?* Deinde, an non piaculum præpedire, ne quid ſanctum ſanctorum fiat? Obtenditur bonum Reipublicæ. Sed obtenditur tantum.

Obſtrepit F. Capellus. *Poteſt quis fundum ſeu prædium legare Eccleſiæ cum certa conditione, vt certos intra annos ad alios redeat; poteſt ergo etiam magiſtratus condere legem, qua iubeat, vt Eccleſiæ non niſi certa conditione immobilia bona relinquantur.* Negatur conſequentia, quia quod priuatus hoc poſſit, id prouenit ex iure proprietatis, quod habet; quo fretus ſuis de rebus, arbitratu ſuo, diſponere poteſt: At Princeps facultatem

non

non habet me impediendi, quo minus mea Deo conſecrem. Eſto, poſſit limitare & reſtringere dominium in ordine ad fines merè politicos, quæ Eccleſiaſticam libertatem nullo modo tangant, vt quod ſubditus non niſi ſubdito ſua bona vendat; nego tamē impedire poſſe ſua auctoritate, ne Eccleſia bona immobilia ſtabiliter acquirat.

Ait F. Capellus. *Quidam oppugnant hanc legem, quaſi iniuſtè vetet eleemoſynas facere; nec attendunt eadem obiectione peti poſſe legem de rebus Eccleſiæ non alienandis; eoq́ magis, quo magis hac bona ſtabilia ad particulare pauperum ſubſidium ordinata ſunt.* Cæterum Auctor iſte hic iterum non aduertit mentem ad maximum, quod inter iſta interiacet, diſcrimen. Nam inprimis nulla lex prohibet, ne Eccleſiaſtici Eleemoſynas de rebus Eccleſiaſticis largiantur. imò adeò ad eleemoſynas vbertim largiendas obligati ſunt, vt ſi neceſſitas exigat, omnia Eccleſiæ bona theſauroſque vniuerſos expendere & exponere debeant; exemplo multorum ſanctitate præſtantium virorum, à quibus id factitatū legimus. Deinde multi ſunt, qui cenſeant, clericos iure diuino & naturali obſtringi; vt in egenos diſtribuant, ſi quid de reditibus Eccleſiaſticis ſuperfluum habent. Et notum eſt, veteri diuiſione quartam prouentuum Eccleſiaſticorum partem vſibus pauperum fuiſſe deputatam. Nam quod ordinariè ipſi fundi Eccleſiarum in pauperes non transferuntur, ſicut à laicis transferuntur in Eccleſiaſticos, id non obſtat; quia non eſt neceſſarium, cum horum pauperum neceſſitates itá plerunque comparatæ ſint, vt magis mobilibus, quàm immobilibus bonis curari queant: & ipſa Eccleſia parata ſit diſtrahere omnia, ſi ita vrgens neceſſitas expoſcat. Accedit, quòd qui aliquid Eccleſiæ teſtamento re-

to re-

to relinquunt, vel alioqui liberè donant; id non faciant præcisè ſolius eleemoſynæ titulo; ſed ob cultus quoq; diuini amplificationem & propagationem. Quapropter quoad fieri poteſt, integra conſeruari debent.

Dicit F. Capellus; *ſi bona Eccleſiaſticorum certa proportione conferantur cum bonis laicorum, illa his multò grandiora eſſe. ac proinde Eccleſiaſticos potius eleemoſynas laicis, quã hos illis impartiri debere.* At ſi, vt ſupra aiebat F. Capellus, quarta duntaxat pars prouentuum ditionis Venetæ Eccleſiaſticis competit; & tres aliæ laicis; qua quæſo, ratione nunc affirmat; ſi opes clericorum ex vna parte; ex altera verò ſæcularium collocentur, illas his longè maiores fore? Et quamuis contingat, vt quidam clerici opulentiores ſint nonnullis laicis; tamen & vice verſa accidit, vt multi laici ditiores ſint clericis; & fortè non deſunt ex nobilitate Veneta; quorum vnus plus redituum annuorum capiat, quàm quatuor vel quinque ditionis Venetæ Epiſcopi.

Ridet F. Capellus, eos, *qui dicunt Venetos potuiſſe à Pontifice Maximo huius legis condendæ poteſtatem obtinere, ſi eam, qua par erat, humilitate animiq; ſubmiſſione petere voluiſſent.* Exclamat: *Quales iſti Theologi? Si lex hæc eſt contraria iuri diuino, non poteſt Papa eius condendæ facultatem concedere.* Reſpondeo breuiter, omiſſis, quæ præterea declamitat F. Capellus; eſſe de iure diuino (poſito quod Eccleſiaſtica libertas ſit de iure diuino) ne magiſtratus ciuilis ſua auctoritate talem legem condat; non eſt autẽ de iure diuino, ne talem legem condat auctoritate & poteſtate ab ordinario & legitimo magiſtratu ſibi delegata: ſi ergo Princeps Venetus impetrata poteſtate à Summo Pontifice hanc legem tuliſſet; id non ſua; ſed demandata ſibi poteſtate feciſſet.

Diſputatio Cornelij Ianſenij cap. 60. Concordiæ Euangelicæ de Phariſæorum more, qui homines inducebant, vt parentibus neceſſaria ſubtraherent; & ea tēplo trāſcriberent; potuiſſet ab iſto præteriri, niſi maluiſſet, librum prolixiorem, quàm doctiorem conficere. Vnica ad omnia illa eſt reſponſio, nos conſuetudinem *Phariſaicam* improbare: neque velle; vt parentibus vel neceſſariis ad victum ſimpliciter neceſſaria detrahantur; quò Eccleſiæ locupletentur. Paulò poſt per tautologiam figuram ſibi valdè familiarem repetit, quod dixerat: *Si lex Veneta ſit contra legem diuinam, Pontificem non potuiſſe eius condendæ facere copiam.* Sed iam oſtendimus, quomodo hoc fieri potuerit. Quamobrem inſcitiæ deputa, quod ſequitur. *Qui dicunt Pontificem poſſe facere legis huius ferendæ copiam, aliquid trium horum fateantur oportet: vel Papam eſſe ſupra ius diuinum, vel quod non poſſit facere poteſtatem huiuſmodi legis rogandæ: Vel denique quod non ſit contra ius diuinum.* Nihil horum ſequitur: & quidē de duobus prioribus ex antedictis patet. De poſtremo inde liquet; quia contra ius diuinum & naturale eſt arrogare ſibi poteſtatem condendi legem in materia, quæ eſt extra tuam iuriſdictionem: cuiuſmodi eſt iſta lex, de qua loquimur; nam quid, quantum, quomodo, à quibus, quo moderamine bona ſtabilia Eccleſiis relinquenda ſint; id non pertinet ad forum ciuilis Principis, ſed ad tribunal Eccleſiaſticum.

Nominat F. Capellus multas prouincias, in quibus ſimilis lex vigeat: Idem prius fecit F. Paulus in ſuis *Conſiderationibus* & poſtea F. Fulgentius in Apologia *Conſiderationum*. In promptu eſt reſponſio. Aut enim huiuſmodi leges latæ ſunt ſciente & conſentiente Pontifice. & rectè habent: aut factæ ſunt abſque Pontificis permiſſu

ac con-

ac conceſſu: & emendatione egent. Differit hac de re contra F. Paulum copioſè & eruditè Ioannes Bouius.

Adferunt iſti pro defenſione legis Venetæ *luxum & perditos mores quorundam clericorum, qui Eccleſiaſticas opes prodigè & luxurioſè abliguriant:* Item, *egeſtatem Chriſti & Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ.* At hæc eſt vetus cantilena Marſilij de Padua *in defenſore pacis*, parte 2. maximè c.11. & aliquot ſeq. Huſſi in libro *de ablatione bonorũ temporalium à clericis*, & alibi paſſim præcipuè in illo opere, quod inſcripſit, *de ſacerdotũ & monachorũ carnaliũ abominatione*; Et hæreticorũ noſtri temporis. Dicant iſti, obſecro. Nullusne ſæcularis abutitur, aut vnquã flagitioſè abuſus eſt diuitiis & facultatibus ſæcularibus? Solíne clerici in hac culpa hęrent? Nulline balatrones & nepotes inter laicos? Deinde; nũ Chriſtus, qui perfectiorem viam & vitam exemplo ſuo monſtrauit; ideo interdixit, ne Eccleſia & clerici bona immobilia poſſiderent? Satis eſt, non deeſſe in Eccleſia, qui Chriſti veſtigia ſectentur; & omne dominium abs ſe; etiam in genere abdicēt. Fol. 40. 41. & ſeqq.

De vario & multiplici abuſu, quod allegari ſolet; inquit Adrianus Sarauia Caluiniſta contra ſuos Caluinianos: *nihil eſt: niſi abrogandas olim, dum præcepta erant, fuiſſe ceremonias; & ſacra omnia, quæ Deus inſtituerat, dicamus, quia impiè illis abutebantur hypocritæ. Nihil enim tam ſanctum, quod nõ temeret hominum impietas; quare, quid iubeat Deus, inquirendum eſt; non quid huic, aut illi eſt viſum honeſtius.* *Sar. lib. 2. de miniſt. Eccleſ. cap. 30.*

Solent etiam iſti, qui translationem bonorum immobilium ad Eccleſiaſticos oppugnant, non rarò inſinuare aliud argumentum hæreticis noſtris valdè familiare; nimirum, *bona Eccleſiaſtica tantum poſtea ſeruire Prælatis Eccleſiaſticis ad pompam & faſtum; & ad famulitij multiplicandi ſplendorem ac magnificentiam.* Quo argumento olim Nouatores noſtri omnes Eccleſiaſticos antiſtites

de ſolio ſuo deturbare tentarunt. Sed quaſi poſt liminio eos reſtituere conatus eſt Sarauia; cuius verba adſcribā in gratiam ſectariorum, & eorum etiam; qui neſcio qua Marſiliana aura afflati, Chriſti & Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ paupertatem & ſimplicitatem ſemper in ore gerunt. Sic ergo Caluiniſta Sarauia contra ſuos in Caluini & Lutheri ſchola ſodales inſit. *Præterea comitatus Epiſcoporum, & ſtrepitus famulorum, non parum offendit quorundam oculos, quod ſimiliter in ea re duces, & comites regni videantur imitari. Non ita Chriſtus, non ita Paulus, & Petrus* (inquiunt) *incedebant comitati.*

Sar. lib. 2. de miniſt. Eccleſ. cap. 29.

An non ſunt iſtæ ipſiſſimæ Nouatorum phraſes cōtra Summum Pontificem, & omnes orthodoxæ Eccleſiæ Prælatos? Quid Caluinianus apologetes? *Reſpondeo hanc orationem eſſe popularem, & vana ſpecie ſimplicium animis illudere. nam, hoc audeo aſſerere, comitatum Domini, & Apoſtolorum tam honoratum fuiſſe, quàm eſſe potuit pro ratione temporū, & rei, ob quam in hunc mundum venerat: honoratior futurus, ſi Deus ſeruandi genus humanum aliud conſilium probaſſet. Nam in ſuam familiam vltra 80. viros aſſumpſerat, qui eum comitabantur quocunq; ibat, aut præcedebant, quò erat venturus.*

At nulli nobiles aureis torquibus ornati, (inquient) *nulli phalerati equi in illo comitatu. In illa ſolemni pompa, quando ingreſſus eſt Hieruſalem, vili vectus fuit aſello, paupere ſodalitio ſuorum diſcipulorum comitatus. Rurſus dico, hunc popularem eſſe ſermonem, in quo nihil ineſt firmi, contra id, de quo controuertitur. Seruator noſter hoc modo conſuluit illi tempori, ne aut affectati terreni regni ſuſpicionem incurreret, aut noſtræ redemptionis opus impediret. Aliàs, ſi Herodi, ſi Pilato, ſi denique Principibus ſacerdotum notus fuiſſet, & illi, quantus vir erat, cognouiſſent; quod plebs fecit, & ipſi pro ſua ma-*

gnificen-

gnificentia feciſſent; ſed tunc nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Qui honorem effuſi nardi gratum habuit, & à Magis munera, aurum, thus, & myrrham accepit; ſibi à principibus delatum obſequium, ſi cum ſalute humani generis fieri potuiſſet, nunquam repudiaſſet. Inepta planè, ſiue contra Pontificios eà ſit, ſiue contra noſtros Epiſcopos, ratiocinatio hæc eſt, quæ ab illis temporibus, & ab infidelis populi factis argumentatur ad tempora Chriſtianorum, & officium eorum; qui ſe Domino ſubmiſerunt.

Quis meliorem aduerſus Prælatorum obtrectatores hyperaſpiſten deſideret? Pinxerunt ſiue Caluiniſtæ, ſiue Lutheriſtæ, ſiue vtrique ex vna parte, Chriſtum humili aſello inſidentem, ex altero latere Pontificem ſonipedis, ſpumantia frena mandentis terga prementem. Nil cupio, quàm vt hæc Sarauię verba huic picturæ adiiciantur. Satis tunc apologiæ habebimus, neque quidquam amplius deſiderabimus.

Pergit Sarauia contra ſuos pro noſtris Præſulibus; vt verè dicere liceat; Patrocinium *ex inimicis noſtris. Sed ſtipatorum gladij, & nobilium aurei torques offendant quorundam oculos, tanquam Epiſcopum à nobilibus honoris cauſa deduci, ſiue adoleſcentes ſint, qui cum eo viuant, ſiue grandiores natu viri, indignum officio Chriſtianorum ſit. Generoſos adoleſcentes, & ingenuos ſumpta virili toga adduci ad Epiſcopum, vt eum vbique comitentur, eius tum dicta, tum facta obſeruent, & inde doctiores, & meliores euadant, nemo niſi malus, & inuidus vitio vertet. Epiſcoporum domus, collegia doctorum virorum, & ſcholæ virtutum ſunt, & olim fuerunt: quid impedit, quò minus hodie etiam ſint?*

Abuſus & crimina, quibus calumniatores onerant Epiſcopos (& alios Prælatos*) perſonarum ſunt, non vocationis.* Quæ diſſerui, *vt omnes intelligant, honores, qui Epiſcopis de-*

ſeruntur, eſſe Eccleſiæ, & Reip. Chriſtianæ tum ornamento, tũ adiumento; ac toto cælo errare, qui eos ipſis inuident, & in ordinem redactos Epiſcopos cupiunt. Id quodam aſtu Satanæ meo iudicio procuratur, non alio conſilio, quàm vt omnes Eccleſiarum paſtores ſimul in contemptum adducat, & ſic religionis omnis intereat autoritas, quò impietati impunè blaſphemias quaſcunq; in Chriſtum, & in omnes religiones euomere liceat, nemoq; ſit, qui ſe impiorum hominum conatibus opponere audeat. Scio, quid loquar, nec vos dilecti in Chriſto fratres (Caluiniani) *quotquot per Zelandiam, & Hollandiam paſtorum officio fungimini, niſi cæci, & ſurdi eſtis, ignorare poteſtis.*

Satis profectò apertè locutus es. Non cupimus apertiora. Si tamen attuleris, non repudiabimus.

CONSIDERATIO QVINTA.

Examinatur ratio quædam F. Pauli; cur non expediat, vt Eccleſiaſtici bonis immobilibus abundent.

F. Paulus in ſuis *Conſiderationibus* adfert inter cæteras ratiunculas pro edicto Veneto etiam hanc: *quia præceptum Apoſtoli eſt, ne quis militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus: at hoc fieri non poteſt, ſi bona immobilia nimium excreſcant: neceſſariò enim annexas habent ſæculares ſollicitudines; & abſtrahunt à ſeruitio diuino.*

Hoc argumento ſpoliarunt initio ſui noui Euangeliſmi Nouatores noſtri ſuos pſeudoclericos & falſi nominis Eccleſiaſticos omnibus bonis immobilibus, præſertim Caluiniſtæ in Germania & Belgio, eisq; ex publicis ærariis ſalaria decreuerunt; redactis in fiſcum omnibus

bus fundis & prædiis, ex quibus olim clerici, ſtante catholica religione, prouentus capiebant; eoſdemq; Prædicantes & miniſtros ſectæ ſuæ ab omnibus ciuilibus iudiciis & functionibus obeundis ſtudioſè repulerunt, quia nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, & Lucæ 22. extat hoc Redemptoris noſtri præceptum: *Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic.*

Verum enimuerò hanc ſuam intempeſtiuam liberalitatem, deque fundis & prædiis, & iudiciis ceſſionem non ſemel deplorarunt Prædicantes; ſed fruſtra; inter quos etiam Sarauia Caluiniſta; quem pro ſuis apologeticè ſcribentem non audio; ſed audio, ſi quæ ſcribit ad noſtros clericos transferantur; quia hac ratione vera erunt. *Nec illud Pauli ad Timotheum, nemo qui militat Deo implicatur negotiis huius vitæ, aduerſatur noſtræ ſententiæ. Vitæ negotia ſunt ea, quibus quæ ad huius vitæ victum pertinent, comparantur; non, quæ ſunt Principis, aut ciuitatis publica; ipſa militia negotium eſt publicum, Reip. cui qui adſcriptus eſt, oportet, vt negligat domeſtica: at, ſi quis ſimilitudinem omni ex parte vrgeat, ei, qui militat Deo, erit abſtinendum ab omnibus domeſticis negotiis: contra id; quod licere diximus exēplo Pauli, quem ſuo munere ſtrenuè, & fideliter perfunctum fuiſſe, nemo dubitat: qui tamen vitæ negotio implicitus fuit, quando eum manuum labore victum quærere apud Corinthios neceſſitas coëgit, & tempus impendere operi externo huius vitæ, quod alias melius meditationi, aut orationi dediſſet. Idem facturus haud dubiè pro Repub. quod pro priuata fecit, ſi quis magiſtratus mandaſſet, populiq; vtilitas poſtulaſſet. Similitudinis huius igitur ſenſus hic eſt: abſtinendum ab iis, quæ militiam, in quam adſcripti ſunt, ita remorantur, & impediunt, vt eam deſerere cogantur.*

Hæc

Hæc Sarauia; quæ non pro Prædicantibus dicta vo-
lo; ſed pro noſtris clericis & Prælatis aduerſus oblocu-
tores: quibus in more poſitum; ſimul atque huiuſmodi
quadam functione clericum occupatum vident; occi-
nere; *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Di-
Sar. lib. 2. c. 23. ſcant ex ſuo Sarauia, quis ſit germanus hujus loci ſen-
ſus. Qui præterea addit: *Quod vulgò dici ſolet, rem Eccleſia-
ſticam à ciuili eſſe diſtinctam, nec oportere confundi, nihil ad
hanc quæſtionem pertinet, manent illa diſtincta, quamuis ab
eodem exerceantur homine. Aliæ ſunt iuriſconſulti partes, aliæ
medici; idem tamen homo & iuriſconſultus, eſſe poteſt, & me-
dicus. Idem homo eſſe poteſt medicus, & Theologus. & curare
vt medicus corpora, & vt Eccleſiæ paſtor, animas,* &c.

*Quod ſi hæc duo ita ſibi eſſent contraria, vt ab eodem nũ-
quam ſimul poſſent exerceri, nunquam Moſes ſimul Princeps
populi Dei, & ſacerdos fuiſſet. Sed vereor ne mihi argutulus a-
liquis litẽ moueat, quod Moſem dixerim ſacerdotem: ſed ſciat,
creato Aarone, Prophetam, & Leuitam, ac doctorem populi
Dei manſiſſe, ſicut fuerat antea; ſed Eli, & Samuelem iudices
ſimul, & ſacerdotes fuiſſe, negari non poteſt. Sed ſi ordinariam
inter ſacerdotes, ciuilem poteſtatem in Iſraëlitica Repub. vide-
re volumus, cogitemus ordinem 48. vrbium, quas inter ſuos
fratres habuerunt, & earum politiam: non enim regi potue-
runt ſine magiſtratu, & iudicibus ordinariis. An aduocaſſe di-
cemus ex aliena tribu magiſtratus, qui inter ipſos lites, & con-
trouerſias dirimerent; quum ipſi ſacerdotes, & Leuitæ Iuriſ-
conſulti eſſent, & ordinariis iudiciis non tantum adeſſent, ſed
etiam præeſſent? Deut. 21. v. 5. iuxta eorum ſententiam omnis
lis, & controuerſia terminabatur. Eandem ergo regalium ra-
tionem, quæ Eccleſiaſticis viris data ſunt in Chriſtiana Repub.
eſſe iudico cum vrbibus, & ſuburbanis, quas olim ſacerdotibus
& Leuitis, iuſſu Dei, Iſraëlitæ dederunt.*

Hodie

Hodie communis hic error non tantum vulgi;ſed bonæ partis doctorum virorum inuaſit animos, vt credant ciuilia Reip. Chriſtianæ negotia ad Epiſcopos, & Eccleſiarum paſtores nihil pertinere; &c. Coriarij, tinctores, textores, coctores ceruiſiæ, fabri, fullones, mercatores comitia celebrant, de repub. ſententiam dicunt:(quod equidem in libero populo non improbo:) ſed Paſtores Eccleſiarum excludi, contra æquabile ius ciuium eſt, &c. de quorum vita, & fortunis, de iiſq; omnibus, à quibus tum ipſorum priuata ſalus, tum Eccleſiarum publica pendet, non minus deliberatur, quàm de pãnis, de lana, de piſcibus, de coriis, cęteriſq; mercibus importandis, aut exportandis. num minor Paſtoribus Eccleſiarũ cura Reip. eſſe debet, quàm Burgimagiſtris?

Ecquam, obſecro, cauſam allegabunt cur excludantur comitiis vrbanis, & prouincialibus ij, quorum in primis intereſt videre, ne ipſis commiſſus grex exponatur lupis, non tantum in iis quæ ad animarum ſalutem pertinent, ſed etiam corporum? Vigiles, & Epiſcopi à Deo ſunt conſtituti tanquam in ſpecula, vt inſpiciant à remotis venientia mala, quæcunque illa ſint, vt de iis, quæ ſunt cauenda, tum populum, tum ipſos magiſtratus admoneant: quod profectò ab ipſis fieri non poteſt, ſi rerum, quæ geruntur in republica, ignaros eſſe oportet.

Si ſtare incolumis Eccleſia cadente republica, aut ex eius ruina capere commodum poſſet, nihil dicerem: ſed, cum in eâdem naui, & eodem periculo concludantur Eccleſia, & reſpublica, non poſſunt Paſtores de Republica, & Eccleſia non eſſe minus ſolliciti, quàm Burgimagiſtri; quorum plerique aliud Reipublicæ, aliud Eccleſiæ, aliud rei ſuæ priuatæ vtile eſſe iudicant. Hi annuo tantùm funguntur magiſtratu; illi, nunquam ſuas poſſunt deſerere Eccleſias. hi, ſibi, ſuiſquè rebus multis modis poſſunt conſulere cum detrimento Eccleſiæ, & Reipublicæ, ac cum periculo capitis Paſtorum Eccleſiæ; illi nullo modo ſe, nec ſua ſeruare poſſunt, niſi ſeruetur ſimul Eccleſia, & Reſpublica.

Hi cauent, ne Reſpublica detrimentum patiatur in mercimoniis, in pecore, in annona, ne aliquando ſuaui rerum caducarum vſu priuentur: illi, non hæc negligunt, ſed præterea, ne iuſtitia, fides, pietas, Chriſtiqúe Domini vera religio (quæ ſola ad immortalitatem eſt via) intereant, curam habent. Num minus, quod ad Reip. ſalutem conducat, Eccleſiarum Epiſcopi intelligunt, indoctis Burgimagiſtris? Peſſime quidem vigilias ſuas, & ſtudiorum ſuorum labores collocarunt, ſi nihil didicerunt, vnde ſaltem conſilio Reip. queant eſſe adiumento, &c. Prophetarum libri pleni ſunt conſiliorum de pace, de bello, ceteriſque omnibus, quæ ad Reip. incolumitatem pertinent; in populo Dei inconſultis ſacerdotibus, & Prophetis, nihil, quod alicuius eſſet momenti fieri ſolitum ſacra hiſtoria teſtantur. Ceterarum gentium, quibus aliqua fuit religio, & numinis reuerentia, idem mos fuit.

Nihil opus eſt, vt denuò commemorem, Chaldæos, Magos, Aegyptios ſacerdotes, Græcorum Mantes, Romanorum, & Latini populi augures, Gallorum Druidas, quibus inconſultis, quidquam in Rep. tentari ominoſum credebatur. Nec eos fallebat opinio. contemptum numinis certa vltio ſequebatur. Opinio etiam falſæ religionis cõtempta, aut neglecta, Deum ſenſit vindicem. Nihil priſca antiquitas feliciter poſſe contingere in Rep. credidit, ſine religione; bella auſpicabantur religione, & bella religione terminabant.

cap. 22. *Si de tempore, quod aliâs ſacris literis daretur, bonam partem detrahere licet, vt familiæ ſuæ priuatæ rei proſpiciat Eccleſiæ Chriſti miniſter: multò magis id Reip. dandum eſt, ſi idoneus ſit, qui conſilio ſuo & opera Remp. iuuare poſſit, &c.*

Si verò priuata neceſſitas auocamenta miniſterij excuſat, quid publica? ſed, in abiectis; & contemptis rebus ob priuatum commodum Paſtorem Eccleſiæ diſtineri, nemini magnoperè diſplicet; ſed in magnis, & honorandis Reip. negotiis verſari, hodie

hodie nemo non inuidet. Textor, foſſor, & arator, Euangelij miniſter citra violationem ſui miniſterij eſſe poteſt: Regius legatus, Conſiliarius, aut Cancellarius eſſe non poteſt. Vnde obſecro in Republica Christiana hæc nata eſt Theologia? ab amore, an ab inuidia?

Quod autem Dominus dixit Apoſtolis: Vos autem non ſic; quis ſanæ mentis interpretabitur idem eſſe ac ſi dixiſſet: Non vocabimini Domini, ſenſus verborum Domini nunquam fuit ab vſitatu honorum vocabulis conſenſu populi, voluntate ſummorum magiſtratuum delatis interdicere diſcipulos; docere tantùm voluit, Euangelij miniſterium non eſſe regium, & ciuile imperiū. vnde non efficitur, reges non poſſe Paſtorum Eccleſiæ opera vti, nec eos præcipuo aliquo honore proſequi. Dominus noſter, nullis ſuis præceptis regiam poteſtatem imminuit, nec ab humanitate, & beneficentia erga ſuos ſeruos prohibuit, ne eis vti poſſint in rebus neceſſariis, quæ ad Reip. ſalutem pertinent: aut officiorum, quæ præſtitiſſent, nullam haberent rationem, & pro meritis eos honorare, quorum fidem, & prudentiam experti eſſent. Nebuchadnezar apud Babylonios Danielem honorauit, Mardochæum Darius Perſarum; Chriſtianus rex Chriſti ſeruum honorare religione prohibetur ſcilicet. Modum excedi poſſe non dubito; nempe quando diuinus honor mortali tribuitur; aut quando ambitioſè ab eo, quem humilitatis doctorem eſſe oportet, immoderatius expetitur. Sed, immoderatus cenſeri non debet ciuilis honor, quem à Principe ob iuſtas cauſas ſubditis dari mos patrius recepit. cap. 28.

Deus in lege ſua præter decimas, & oblationes, ſacerdotibus, & Leuitis vrbes, & pomœria vrbium, ac oppidorum dari præcepit, in quas non minorem habebant autoritatem, quàm reliquæ tribus in vrbes, & agros, quæ ſorte ipſis obuenerant. Recepto Euangelio autoritate publica, ad eundem modum miniſtros Euangelij agros, & poſſeſſiones poſſidere, aut poſſidendas ipſis cap. 14.

 dari,

dari, nuſquam Seruator noſter prohibuit. Nec in conſtituta Republ. quæ Euangelium recepiſſet, deteriore conditione eſſe voluit, quàm fuerant olim in Iſraële Leuitæ, & ſacerdotes. In ciuitate cùm ſit viuendum Eccleſiarum miniſtris, adiumenta illa ipſis ſunt neceſſaria, quibus ciuilis ſocietas opus habet, & autoritatem, & gratiam apud vulgum conciliant, cuiuſmodi ſunt, ſapientia, & diuitiæ: alterum horum qui contemnit, cum dignitate in ciuitate verſari non poteſt. Sapiens in ſuo Eccleſiaſte 7. c. ver. 11. & 12. id notauit. Bona eſt ſapientia, inquit, cum hæreditate, & eſt excellentia videntium ſolem; quia in vmbra ſapientiæ, & in vmbra argenti requieſcit homo, &c.

cap. 4. *Vnde quorundam magiſtratuum impietas, & ingratitudo, maiori vituperio digna eſt, qui dum fauere videri volunt religioni Chriſtianæ, miniſtros debito fraudant honore, & non tantum nihil de ſuo largiuntur, vt, quidquid olim in pios vſus deſtinatum fuit in profanos conuertant: atq; diſputant, aliam huius temporis ſub Chriſti Euangelio eſſe rationem, ac olim fuit ſub lege Moſaica. Diuitias, & honores Deum priſcis indulſiſſe ſacerdotibus: at Euangelij miniſtros, pauperes, & inglorios viuere oportere, ad Chriſti Seruatoris noſtri exemplum, & Apoſtolorum, qui pauperem vitam elegêre, & honores, & diuitias præſentis ſeculi contempſerunt: &, cùm ipſi contemptum externarum rerum doceant, ipſos exemplo præire decêre.*

Hæc oratio popularis eſt, perquàm grata auaris, & tenacibus, quibus non tam curæ eſt, vt Eccleſia pios, & doctos nanciſcatur miniſtros, quales Dominus noſter eſſe voluit, quàm vt hoc colore, à contemptu ſeruorum Dei, & à debita liberalitate, nihil dando, excuſentur: ac olim data in vſus miniſtrorum Eccleſiæ, rapuiſſe, nemo vitio vertat, ſacrilegijq; arguat.

cap. 4. Qui impietati ſuæ obtendunt Paupertatem Chriſti & Apoſtolorum; illud præſertim, quod *ipſe pauper naſci, ipſe pauper viuere, ipſe pauper mori voluit, & de ſe ipſo dixit,*

cùm

cùm volucres cæli nidos habeant, & vulpes foueas, filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet. Quos in diſciplinam aſſumebat, diuendere omnem ſubſtantiam iubebat, & dare pauperibus, &c. Quam Redemptoris noſtri egeſtatem, ſi non amplectantur clerici; quis tandem amplectetur? His tamē hæreticorum huius ætatis, & olim Marſilij de Padua, Wiclephi, & Huſſi in clericorum opes inuectiuis & declamationibus fortiter ſe opponit Hæreticus Sarauia, qui inſcius noſtrorum Eccleſiaſticorum aduerſus legis Venetæ patronos, quos ſimilis ferè aura afflauit; cauſſam ſtrenuè agit. Accipe eius verba, quæ nil aliud ſunt; quàm contra horum ſibilos antidota. *Lib. 1. cap. 5.*

Vixit Seruator noſter priuatus cum Ioſepho, & matre Maria, ex labore, & artificio fabrili victum quærens, non ex mendicatione. Matris viduæ curam habuit, eiq; proſpexit, quantum poſtulabat conditio, quam ipſe certo conſilio, eoq; optimo delegerat. Non enim ei erant nocituræ opes, ſi eas poßidere voluiſſet: ſed, ne cuiquam vel minima daretur ſuſpicionis cauſa, quod ad regnum terrenum aſpiraret, aut ad conſtituēdum aliud terreno regno ſimile veniſſet, pauper viuere voluit, & ad tempus latere. Nam, ſi Dominum gloriæ mundus cognouiſſet, nunquam crucifixiſſet: quod à paucis Magis factum legimus, omnes imitati eſſent & ex remotißimis orbis partibus cū muneribus accurriſſēt. Quid facturum Tiberium credēdum eſt, qui Chriſtum in numerum Deorum retulit? &, vt publico decreto fieret, ad ſenatum retulit? Decurſo 30. annorum ſpatio, ad Prædicandum Euangelium ſe contulit, & breui magnam habuit familiam, 12. Apoſtolos aſſumpſit, & præter illos, habuit 70. diſcipulos, quibus ita proſpexit, vt nihil vnquam defuerit: ad quam rem, non exigua pecunia ei fuit opus, vnde tantum ſobriè, & tenuiter viuerent. Vnde, quæ fuerit liberalitas piorū ergà Chriſtum, colligi poteſt.

Quod cuidam reſpondit; volucres cæli nidos, & vulpes habere foueas, filium hominis non habere, vbi caput ſuum reclina-

ret, intelligi reſponſum debet ad cogitationes, non ad ſermonem eius, qui Chriſtum ſequi volebat. Magnas ille commoditates ex comitatu Chriſti exſpectabat, & magnificas, ac opulentas ædes cogitabat; nam Dominus domicilium ſuum duobus diſcipulis apud Ioannem legitur demonſtraſſe. Sed, Seruator noſter, nuſquã illis rebus, quibus ineſcantur homines tanquã illecebris, vt ſunt honores, & diuitiæ, quenquam allicere voluit; ea potius propoſuit, quibus homines deterreri ſolent; vt ſunt probra, egeſtas, & mortis pericula.

Ergò, inquiet aliquis, palatia, & magnificas ædes Epiſcopos Eccleſiarum Chriſti, alioſq; Euangelij miniſtros haud inhabitare conuenit? Fateor, ſi ipſos conſtituas in ſimili conditione temporum, & rerum, in qua Seruator vixit: hoc eſt, ſub magiſtratu veræ religionis ignaro, qui Meſſiam, ipſiusq; miniſtros affectati regni ſuſpectos habiturus ſit: ſi quidquam eorum conſpexerit, quibus via ad regnũ ſternitur, vt ſunt diuitiæ, palatia, arces, & ſatellitia: & præterea in populo, qui aliud regnum Meſſiæ cogitare non poterat: niſi quod exterius fulgeret regalibus inſignibus, abundans omnibus illis rebus, quæ magni facere ſolent homines. Nam, hoc conſilio, Dominus duo fecit: primò calumniis Iudæorum obuiam iuit, vt iure affectati regni eum accuſare nõ poſſent: deinde, regnum ſuum nihil habere commune cum huius mundi regnis docuit; & ſic: altero horum inuidiam, & odium vitauit; altero, errorem communem de regno Meſſiæ cõfutauit. Ab his ſi nullum fuiſſet periculum, & perfici humanæ redemptionis myſterium cum ſplendore externæ maieſtatis potuiſſet, à palatiis, & arcibus, & externis bonis eorum largitor non abhorruiſſet. Debebant enim totius orbis palatia, & arces, Chriſtum regem recipere. quando in mundum venit, in propria venit, & ad ſuos venit verus hæres non tantùm auiti regni, ſed & totius mundi: quod Iudæi eum non receperunt eo honore, quem debebant, non accidit ſine impietatis crimine.

Dicant velim, quibus mens ſana eſt, quo honore, quo hoſpitio

ſeruator

Seruator noſter fuerit excipiēdus, ſi ab Imperatoribus Romanis, & eorum procuratoribus, ſi à Pontificibus Iudæorum, & cæteris regibus, qui orbem terrarum regebant, cognitus fuiſſet? Plebs, & quotquot eum credebant eſſe Meſſiam, cum ſummis acclamationibus, & omni honore, quo poterant, ipſum receperunt, & comitati ſunt in Vrbem Hieruſalem. Eum honorem, & alios ſibi delatos, Seruator noſter non reiecit, ſed cõtra inuidos defendit. Si ea fuiſſet pietas, in Pontificibus, Scribis, & Phariſæis, reliquoque populo Iudaico, quæ eſſe debebat; accurriſſe omnes oportuit ad recipiendum totius Seruatorem mundi, & promiſſum ipſis Meſſiam cum omni honore, & reuerentia, quam mortales non tantùm Principi mortali, ſed immortali Deo debent. Malè argumentantur, ab eo, quod errore, & ignorantia factum non eſt, ad id, quod fieri iure debuit. Quod certo conſilio Dominus ſuſcepit extra ordinem, obligationem non habet, vbi par conſilij ratio non adeſt: nec ad imitationem trahi debet. Quod in ſtabulo vili, & abiecto voluit naſci, quod à Iudæis voluit crucifigi, lex non eſt, cui parendum ſit; nec exemplum imitandum, ſed conſilium admirandum.

Quod de Domino Seruatore noſtro dico, idem de Apoſtolis, & aliis Euãgelij miniſtris, pro cuiuſq; conditione, et gradu iudico. Et quemadmodum alius fuiſſet Domini noſtri ſtatus, ſi omnes mortales, aut ſaltem, cum quibus viuebat, Iudæi, ipſum eſſe Dominum gloriæ cognouiſſent; ſimiliter dico, aliam conditionẽ eſſe oportere miniſtrorum Eccleſiæ ſub Chriſtiano magiſtratu, quàm eſt ſub gentili, & à Chriſto alieno.

Denique vt concludam; *Sarcaſmus eſt Iuliani Apoſtatæ, & hoſtium Chriſtianæ religionis, deprædatis Eccleſiarum opibus, doctoribus, & paſtoribus Eccleſiarum inſultare, ac dicere, ipſos eſſe pauperes oportere ad Chriſti ſeruatoris, & Apoſtolorum ipſius exemplum.*

Neq; illud prætereundum arbitror. Quò Principes Eccleſiasticæ immunitatis & libertatis religioſiores fuêre

cuſtodes

cuſtodes & obſeruatores, eò felicius omnia ſucceſſiſſe, etiã in tẽporali regnorum adminiſtratione. Quis fortunatior? Num Valentinianus hoc nomine vltimus, qui omne iudicium Eccleſiaſticum, lege lata, de medio tollere; & tam Epiſcopos, quàm clericos ſub ſæculare iugum redigere ſtatuit? cuius adhuc ſupereſt infamis cõſtitutio inter Nouellas Valentiniani duodecimum locum obtinens; quam conſulat, qui volet: an Carolus Magnus; qui

Lib. 6. cap. Franc. ca 281.

in Eccleſiaſticæ libertatis fauorem & gratiam hanc legẽ tulit. *Volumus atque præcipimus, vt omnes ditioni noſtræ, Deo auxiliante, ſubiecti, tam Romani, quàm Frãci, Alamãni, Baioarij, Saxones, Thuringij, Freſones, Galli, Burgũdiones, Britones, Longobardi, Vaſcones, Beneuentani, Gothi, Hiſpani, cæteriq; nobis ſubiecti omnes, licet quocunq; videantur legis vinculo conſtricti, vel conſuetudinario more cõnexi, hanc ſententiam, quã ex ſexto decimo Theodoſij Imp. libro, capitulo videlicet vndecimo, ad interrogata Ablauij Ducis, illi, & omnibus reſcriptam ſumpſimus, & inter noſtra capitula pro lege tenendam conſultu omnium fidelium noſtrorum tam clericorum, quàm laicorum poſuimus, lege cunctis perpetua tenendam, id eſt:*

Quicunq; litem habens, ſiue poſſeſſor, ſiue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decurſis temporum curriculis, ſiue cũ negotium peroratur, ſiue cùm inceperit promi ſententia, ſi iudicium elegerit ſacroſanctæ legis Antiſtitis: illicò, ſine aliqua dubitatione, etiamſi alia pars refragatur, ad Epiſcoporum iudicium cum ſermone litigantium dirigatur. Multa enim, quæ in iudicio captioſæ præſcriptionis vincula promi non patiuntur, inueſtigat, & promit ſacroſanctæ religionis auctoritas. Omnes itaq; cauſæ, quæ vel prætorio iure, vel ciuili tractantur, Epiſcoporum ſententiis terminatæ, perpetuo ſtabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlterius tractari negotium, quod Epiſcoporum ſententiis deciderit. Teſtimonium etiã ab vno licet Epiſcopo perhibitum, oẽs iudices indubitanter accipiãt; nec alius audiatur, cùm teſtimonium

niū Epiſcopi à quolibet parte fuerit repromiſſum. Illud eſt enim veritatis auctoritate firmatū, illud incorruptum, q̄ à ſacroſancto homine, conſcientia mentis illibata protulerit. Hoc nos edicto ſalubri aliquando cenſuimus: hoc perpetua lege firmamus, malitioſa litium ſemina comprimentes, vt miſeri homines longis, ac penè perpetuis actionum laqueis impliciti ab improbis petitionibus, vel à cupiditate perpera maturo fine diſcedāt. Quidquid itaque de ſententiis Epiſcoporum clementia noſtra cenſuerat, etiam hac ſumus lege complexi, grauitatem tuam, & ceteros, pro vtilitate omnium, in perpetuum obſeruare conueniet.

Iſta ſunt, inquit illuſtriſſimus Annalium ſcriptor Baronius, quæ ex Theodoſio Carolus Imperator ab Imperatore mutuatus, pius ex pio, iuſtiſſim⁹ à iuſtiſſimo; vtroque Chriſtianæ religionis decore maximo, & ornamento, ſiue virtutem militarem ſpectes in eis, ſiue cultum fidei orthodoxæ, vel erga ſubditos ſibi populos regimen ꝓbatiſſimum. Hæc audiant, & erubeſcant illi, qui his penitus aduerſarias leges ſtatuunt, & contraria edicta proponunt, timoribus exagitantes populos, nouis adinuentionibus inhibentes, quacunq; occaſione p̄tenſa, viâ indirecta ꝓcurant, ne laici ipſi attingant limen Eccleſiaſtici fori. Timeo, timeo iſtis, ne quando, ſi iſta facere perſeuerant, (quod abſit) Deus vindex tandem exurgens *virga furoris ferrea*, ſecundum illud Dauidicum, tanquam *vas figuli confringat eos*. Vnde & ob imminens, q̄ aſtat periculum, æquè cum eodem ipſo ex alto corde vociferor: *nunc Reges intelligite, & erudimini, qui iudicatis terram*, & exēplo diſcite Caroli, ex obedientia & obſeruantia, erga Apoſtolicam ſedem, regna, & imperia propagare, atque firmiter ſtabilire. Hæc Baronius. *Anno Chriſti 801.*

Obſerua autem legem, quam Carolus Magnus ex Codice Theodoſiano citat & recitat, in editione Cuiaciana eiuſdem Codicis anno 1566. non Theodoſio, ſed Con-

ſtantino tribui. Illud inſuper nota; legem Valentiniani à Maiorano Imp. fuiſſe abrogatam, vt notat Anianus in Interpretatione Nouellæ Valētiniani. Et ſatis liquet ex ipſa cōſtitutione Maioriani, quæ reperitur ad calcem codicis Theodoſiani. Ita videmus talium legum inquitatem & iniuſtitiam nunquam diu ſubſiſtere potuiſſe: ſemper melioribus ſanctionibus confoſſa & iugulata eſt; vt iam non ſemel de lege Nicephori Phocæ, & Manuelis Comneni diximus.

Legem, quæ vetat, ne vllo vnquam titulo bona Eccleſiaſtica Emphyteutica à laicis poſſeſſa ad Eccleſiaſticos, directos Dominos, redeant, vix primoribus digitis attingit F Capell Fortè quia vidit nimium lōgè à iuris tramite deflectere. Et certè ferri nequit: quia multò grauius & intolerabilius eſt, ne eo cuius Eccleſia directū Dominium habet, vllo vnq̃ tempore, quoad dominiū vtile, iterū potiatur; q̃ impedire; ne de nouo bona ſtabilia & immobilia acquirat. At cum de hac lege à doctiſſimis viris Bouio, Comitolo, Medicæo, Seruantio, Auctore ſcripti Romani, aliiſq́ue ſatis dictum ſit, nihil adiiciam.

CONSIDERATIO SEXTA.

Expenduntur rationes, quibus F. Capellus demonſtrat Excommunicationem in Dominos Venetos à S. D. N. Paulo V. *latam, fuiſſe iniuſtam.*

IN prima parte ſui opuſculi multa diſputat F. Capellus de iniuſta excommunicatione; quæ abſq; p̃iudicio ſuæ cauſſæ omittere potuiſſet, ſi breuitatis tam ſtudioſus eſſet; q̃ prolixitatis. Cap. I probat Excommunicationem *poſſe eſſe iniuſtam ex multis capitibus.* Quod nemo negat. At q̃primum ab hac theſi deſcēditur ad hypotheſin; *ergo excōmunicatio S. D. N. aduerſus principem & ſenatores Venetos publicata, eſt ex aliquo*

capite

capite iniuſta; ſtatim perſonat verbum illud: *Nego.* Et hic ſemper aqua hæret F. Capello.

Cap. II. oſtendit. *Excommunicationem iniuſtam ex cauſſa & nullam non apportare aliq; damnum excommunicato*: nimirum, quando eius iniuſtitia eſt in propatulo, notoria & euidens, ſicut iniuſtitia eius excommunicationis, qua ſchiſmaticus Patriarcha Conſtantinopolitanus, quotãnis excomunicare fertur Romanum Pontificem, totãq; ſub eo militãtem Eccleſiam, nihil nobis detrimẽti parit; quia eius inqultas non eſt latens, ſed vniuerſis pateſcens.

Cap. III. contendit, *excommunicationẽ iniuſtam ex cauſſa; non eſſe excommunicationem.* Nec de hoc cum F. Capello digladiabor, quia ego ſemper à Theſi ad hypotheſin, ſiue à Maiore ad hanc Minorem reſpicio: *ſed excommunicatio lata à S. D. N. Paulo V. eſt iniuſta.* quæ negabitur, donec ei fides luculenta aliqua probatione adſtruatur.

Cap. IV. docet. *excommunicationem iniuſtam & nullam ex cauſſa; nec timendam, nec obſeruandam.* Non libenter in hac theſi moram traho; tametſi falſa eſt; abſolutè poſita & ꝓlata; ſicut & priores. Ego ſemper exſpecto, vt hanc generalem doctrinam F. Capell. ad excommunicationem, de qua controuerſamur, accommodet.

Cap. V. declarat ex S. Auguſt. *quomodo poteſtatem Eccleſiaſticam non contemnat, qui morem non gerit excommunicationi* iniuſtæ ex cauſſa & nulli. Non video, quorſum per tot anfractus tendat F. Capell. niſi tandem ad hypotheſin deſcendat. omnia, q̃ differit, generalia ſunt; ſubiice tandẽ his tuis Maioribus Minorem. Quid opus tot ſinuoſis anfractibus? Nec alio fructu hęc adeo generatim indiſcuſsè, obiter & oſcitanter diſputantur; q̃ vt inobedientiã ſubditorum ꝓgenerent, foueant, augeant, corroborent; qui ſimul ac mandatum à ſuperiore acceperint; ſic *ſyllogizent. Mandato iniuſto non eſt obtemperandum*; *vt fusè & confusè*

oſtendit F. Capell. ſed hoc vel illud mandatum, quod ab hoc vel illo ſuperiore accepi, eſt iniuſtum: ergo non eſt ei obtemperandum.

Cap. VI. docet, *non modò ſententiis & præceptis iniuſtis inferiorum prælatorum; ſed ne ipſius quidem ſummi Pontificis obediendum eſſe.* Vbi F. Capellus adducit Angelum, Armillam, Tabienam; Syluestrum; ex quibus tandem hæc corollaria colligit. I. *Poteſt Papa mandare rem; quæ ſit peccatum.* Quis docet obediendum, ſi euidens ſit mandatum illud aut peccatum eſſe; aut cum peccato copulatum? Quis Catholicus, ſi dubium ſit: negat reuerenter & religiosè obtemperandum? cum in cauſſis dubiis ſemper ſuperiori potius, quàm proprio vel alterius priuati iudicio adquieſcendum ſit ex communi omnium Theologorum ſenſu & iudicio.

II. *Papa poteſt credere non eſſe peccatum; & ſic decipi: ſubdito veritatẽ cognoſcente.* AEquè & longè facilius poteſt ſubditus credere non eſſe peccatum; & ſic falli; Papa veritatem cognoſcente. Quapropter vt antea dixi; ſi ſubditus non habet euidentiam de veritate; obligatur obedire ſuperiori; & cum euidentiam nomino; non imaginariam; ſed quæ reipſa exſtet; intelligo.

III. *Si Papa dicat & credat non eſſe peccatum; & ſubditus cognoſcat eſſe peccatum; non debet obedire Papæ, etiam intentato excommunicationis & maledictionis fulmine.* Eſto, ſi ſubditus euidenter, non *imaginariè* & per ſomnium id ſciat. Si dubius & incertus eſt; obedire tenetur. Si tamẽ Pontifex probabilibus rationibus ductus; in huiuſmodi hominem excomunicationis ſententiam; ſecundum allegata & probata ferat; tenetur talis in foro externo excommunicationi conformiter ſeſe gerere; ſicut & cum aliis ſententiis ſecundũ allegata & probata prolatis ſeſe conformare in foro externo; pœnaſq; exſoluere debet.

IV. *Ad*

IV. *Ad multas res non poteſt obligare Papa; vt ad perpetuam continentiam.*

V. *Secularis non ſubditus Papa non tenetur illi obedire in temporalibus, nominatim ſi pracipiat, vt ſibi ſua bona tradat.* Etiam Principi politico non tenetur ſubditus obedire omni modo in temporalibus; Non enim tenetur bona ſua tradere ea abs ſe repoſcenti Principi; ſi vt pono, ſubditus ſit directus ſuorum bonorum Dominus. Nam quod caſus occurrere poteſt; quo Princeps à ſubdito bona iure poſtulet; id etiam locum habet reſpectu ſummi Pontificis; quia exiſtere poteſt talis defendendæ fidei neceſſitas; vt licitè à Chriſtianis ſi non omnia; ſaltem partem bonorum temporalium exigere queat.

VI. *Non obligamur obtemperare Pontifici, quando ex obſequio & obedientia ſequi poteſt ſcandalum vel redundare damnum ad Eccleſiam.* Sed aut ſcandalum hoc & damnum eſt certum & euidens; aut dubium; ſi dubium; teneris obedire; ſi euidens, non teneris. Item, ſcandalum aut eſt datum aut acceptum; ſi acceptum; obedire oportet; ſi datum, non eſt neceſſe obedire.

Vellem vt tandem inaniloquentiæ ſuæ F. Capellus finem imponeret; & ſimul hoc in mentem reuocaret, pauculis mutatis applicari poſſe magiſtratui ſæculari, ſeu Principi politico. Nam I. talis Princeps poteſt mandare rem; quæ ſit peccatum. II. Talis Princeps poteſt ſibi perſuadere, id, quod præcipit, non eſſe peccatum; & ſic falli ſubdito veritatis certo. III. Si princeps politicus dicit & credit non eſſe peccatum; & ſubditus cognoſcit eſſe peccatum, non debet obedire Principi, quātumuis minetur vincula & carceres. IV. Princeps politicus ad multas res tametſi bonas, obligare me non poteſt; vt ad perpetuam continentiam. V. Secularis etiam ſubditus, non tenetur

Principi in cunctis temporalibus obedire; nominatim, ſi ab illo ſua bona ſibi dari iubeat. VI. Non obligamur obedire Principi, quando ex obedientia oritur ſcandalum vel Eccleſiæ detrimẽtum. Vides F. Capelli axiomata tam ad politicum Principem accommodari poſſe; quàm ad Eccleſiaſticum vel ſummum Pontificem. Itaq; ſi ex his F. Capell. euertere cupit mãdatum Venetis à ſummo Pontifice datum; ego pauculis duntaxat vocabulis commutatis, inde non falsò, ſed certò euertam & deſtruam mandata illa Veneta data ditionis Venetæ ſubditis propter quæ excommunicatio ſimul cum interdicto lata eſt.

Quæ deinceps F. Capellus in hoc capite ex ſupra *dictis* pronunciatis deducit, Lutheranorum genium olent; & quàm obedientiæ etiam religioſæ religioſus iſte ſit amãs non obſcurè pateſaciunt. Ait; *Ex hac communi doctrina confutantur, qui Chriſtianos temeritatis arguunt; quibus in more poſitũ examinare Pontificis decreta; & vbi nulla & inualida deprehendunt, morem genere rennunt: quia ſi obligor non obedire Pontifici, ſi mihi mandet rem, quæ ſit peccatum; qua ratione pecco, ſi diſcutiam, num res, quæ mihi mandatur, ſit peccatum an non? Forſan naturam alicuius rei abſq; conſideratione cognoſcere potes?* Eodem prorſus modo argumentantur hæretici noſtri contra Pontificum & conciliorum mandata & decreta, ſiue ad mores, ſiue ad fidem pertineant. Semper clamitant; ſollicitè videndum, num verbo Dei conſentiant; num iuſta ſint an iniuſta: Vbi reuocatis omnibus ad trutinam conſtiterit, cum verbo Dei & æquitate congruere; amplectenda eſſe; ſin minus; reiicienda.

Deinde ſi F. Capello Guardianus Prouincialis aut Generalis Miniſter aliquid præcipiat; mox ſcilicet petet inducias; & ſpatium examinandi; & examine abſoluto, parebit aut non parebit, prout phantaſia dictauerit. Qualis hæc obedientia? An non veræ obedientiæ lex eſt obtemperare

perare ſuperiorum iuſſis in omnibus, vbi manifeſta peccati ratio non apparet? Nonne oēs vno ore docent; ſuperiori in dubiis abſq; cunctatione obediendū eſſe? At ſubditus dubia debet examinare. Nego debere. Hoc ſectarij dicunt; non orthodoxi. At ſi examinet; verum cognoſcet Quid ſi non cognoſcat? Quid ſi fallatur? Quid ſi auius à vero feratur? Nū ſubditus debet eſſe iudex, & examinator ſui ſuperioris? Præclara profectò res. Ita vult F Capel. cū Papæ mādatis & decretis agi; quo pacto neq; ipſe, neq; illuſtriſſimus ſenatus Venetus agi pateretur cū legibus illis, q̄ has turbas tēpeſtateſq; concitauerunt. Prodeat aliquis in mediū, legesq; illas examinet; & omnibus ad ſtateram appenſis, iniuſtas pronūciet; & obedire detrectet; an non è veſtigio pœnas dabit? Scilicet hoc ius Politicus magiſtratus habebit; vt quod iuſtum & vtile cenſet; ſimpliciter promulget; omnibusq; ſubditis perficiendum iniungat; abſq; vlla vlteriore diſquiſitione & examinatione; ſolus Eccleſ. Princeps eò miſeriarū venit; vt mandata eius prius ad librā appendi & expendi debeant; qa fieri poteſt; vt malum pręcipiat. An nō & politicus Princeps malū pręcipe poteſt? Nū ſua edicta ſingulorū examini ſubſternit?

Dices. *Subditus debet mandata ſui ſuperioris intelligere; quandoquidem vt agens intellectu præditū ea exequi debet.* R℞. deo, hæc intelligētia nō conſiſtit in examine; nō in acurioſa & ſollicita mandatorū diſcuſſione; ſed in hoc; vt ſubditus ſtatuat, vocem ſuperioris ſanctè & religioſè obſeruandam in omnibus, vbi aperta & euidens peccati ratio non apparet Conſiderare debet ſubditus mandatum ſuperioris; non vt illud bilanci imponat; ſed vt veſtigio promptè & alacriter perficiat.

Ait F. Capell *maximā abſurditatē ſequi ex eorū opinione; qui negāt Papæ mādata ad examē reuocari poſſe.* Quæ nā illa? Audi. *Peccat, qui obedit Papæ quando mādat rē; quæ ſit peccatum.*

tum. Quid conſiderat, nũ res mãdata, ſit peccatũ, peccat. Quid ergo faciendũ? Vel cognoſcere debes peccatũ abſq́; cõſideratione; & hoc eſt impoßibile; vel cæca mente obtẽperare Papæ, ꝙ eſt temerariũ. Qualis diſcurſus? Quã viro religioſo indignus? Principiò non aduertit; totũ totidẽ verbis in mandatũ à Principe politico editũ; eiuſq́; ſubditos retorqueri poſſe; atq; adeo in illas ipſas leges; quas Domini Veneti tulerũt; quas nõ examinari, ſed à ſubditis acceptari volũt; etiã pœnis nõ modicis propoſitis. Si ergo Princeps politic⁹ legibus ſuis obſequiũ à ſubditis depoſcit; nõ examẽ; ſi obedientiã, non diſcuſſionẽ efflagitat; non obſtante; ꝙ malũ & legi diuinæ contrariũ p̄cipere poſſit; mirãdum profectò eſt; quomodo vir religioſus & Theologiæ Doctor ꝑpetim mãdata tantũ Papæ inculcet; & vt diligẽter examinẽtur, iubeat; ne fortè mali quidpiam ſub illis deliteſcat.

Sed vt directè ad abſurditatẽ F. Capelli reſpondeã; dico, peccare eũ, qui Papæ obedit; vbi ratio peccati apta eſt & manifeſta; At hoc caſu nõ tantũ Papæ mos nõ eſt gerẽdus; ſed neq; vlli politico Principi aut magiſtratui. Si res ſit dubia; nego peccare, ſi Papæ obtemꝑet; quia in dubiis debet ſubditus ſequi ſupioris iuſſionẽ ac voluntatẽ; melior eſt.n. cõditio ſupioris, qui eſt in poſſeſſione auctoritatis ſuæ; & ideo iure poteſt illa vti. Quod etiã intellectũ volo; quando & ex ꝑte ſupioris & ex ꝑte ſubditi æqualis eſt opinionũ & rationũ ꝓbabilitas. Nec tenetur ſubdit⁹, re dubia, examinare ſupioris mandatũ; nã ad obtẽperandũ minimè reqritur, vt ipſe etiã ſubdit⁹ euidẽter & certò videat eſſe bonũ, ꝙ iubetur; ſatis eſt, vt nõ ſciat euidẽter eſſe malũ. Itaq; longè perfectius obediet, inquit noſter Gregorius de Valentia, & verè & religioſè, ſi vel ſola ſu-

Tom.3. Diſt.7. q.3.p.2. perioris auctoritate cõmotus, ſibi perſuadeat, bonum, & expediẽs id eſſe, quod iubetur facere; etiamſi quare, & quomodo id bonum, & expediens ſit, ipſe non videat.

Atque

Atque hæc eſt nimirum obedientia illa *cæca*, tantopere commendata à SS.Patribus, in qua ſubditus, non ſuo iudicio nititur, ſed iudicio, atque auctoritate ſuperioris ſui. Quod non modò Patres, ſed ipſe etiam Apoſtolus commendauiſſe videtur, ad Hebr.13.cùm præceptum illud; *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*, ea ratione confirmat; *ipſi enim*, inquit, *peruigilant, tanquam rationem reddituri pro animabus veſtris*: quaſi dicat, ad eos ſpectare maximè, peruigilare, & videre, quid nobis bonum ſit, & expediat, atq; adeò rationem pro nobis reddere in iudicij die eorum, quæ nos ex illorum præſcripto fecimus, vt proinde non nos, ſed illi timere debeant iudicium, & damnationem circa ea, quæ ex ipſorum nos præſcripto fecerimus.

Quis porrò non etiam atque etiam obſtupeſcat, cũ talia de obedientia differentem audit F.Capellum; virũ religioſæ & monaſticæ vitæ profeſſorem; nec cuiuſuis, ſed Seraphici inſtituti S.Franciſci. An neſcit, quid Beatiſſimus iſte Pater de obedientia docuerit, & quis quantuſque vir eadem documenta litteris conſignarit? Audiat igitur Sanctiſſimum Patrem Franciſcum, calamo D.Bonauenturæ hæc loquentem. *Cum vice quadam quæreretur ab eo; quis eſſet verus obediens iudicandus: corporis mortui ſimilitudinem pro exemplo propoſuit. Tolle*, inquit, *corpus exanime, & vbi placuerit pone: videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, nõ reclamare dimiſſum. Quod ſi ſtatuatur in cathedra, non alta, ſed ima reſpiciet. Si collocetur in purpura, duplo palleſcet. Hic, ait, verus obediens eſt, qui, cur moueatur, non diiudicat, vbi locetur, non curat; vt tranſmutetur, non inſtat: euectus ad officium, ſolitam tenet humilitatem: plus honoratus, plus reputat ſe indignum.* Num hæc Sanctiſſimi Patris Franciſci documenta & inſtituta cõ-

ueniunt cum illis; quæ F. Capellus de obedientia diſſerit? Bone Deus; ſi vel S.Franciſcus vel D.Bonauentura hæc F. Capelli de obedientia Summo Pontifici præſtanda axiomata legiſſent, vel audiuiſſent; an non *anathema, anathema* ingeminaſſent?

Ait F.Capellus, nonnullos ſic argumentari. *Papa habet ſupremam poteſtatem ſupra peccatum; ergo quando ipſe decreuit aliquid eſſe faciendum vel non faciendum, non eſt licitum Chriſtianis aliter ſtatuere; vbi nimirum ratio manifeſta peccati non apparet; & loquendo de præceptis; quæ dat vt paſtor & Rector omnium Chriſtianorum ſupremus.* Hæc ratio appellatur à F.Capello *vanitas*; & eam ſic impugnat. *Nō poſſunt Chriſtiani ſeſe Papæ immorigeros & inobedientes præbere, niſi contrarium iudicent ac ſtatuant; eius, quod Summus Pontifex præcepit; quia voluntas non fertur niſi in præcognitum; at iudicare & ſtatuere contrarium eius, quod præcepit Pontifex, non eſt Chriſtianis licitum; ergo nunquam eſt Chriſtianis licitum immorigeros & inobedientes ſeſe præbere Papæ. Ergo etiam tunc, cum præcipit peccatum, obediendum erit.*

Quanto rectius hæc vltima conſequentia appellabitur *vanitas*; quam prior ille diſcurſus à F.Capello hac appellatione iniurioſè affectus. Quis tam rudis eſt & hebes; qui neſciat: primam obedientiæ legem eſſe non obſecundare; vbi manifeſtam & perſpicuam peccati rationē præceptum continet. Quis vnquam ſomniauit Pontifici vel alteri cuicunque Prælato obſequendum; ſi id iubeat, cuius iniquitas & improbitas ſit euidens & notoria? Itaque qui Pontifici, quà Summus Paſtor & Pater eſt; in omnibus obediendum eſſe dicunt; ſemper vel expreſsè vel tacitè excipiunt caſum, quo præciperetur, manifeſtum & apertum peccatū. Quapropter quæ poſtea F. Capellus ſubnectit; ea meri ſunt logi; & ſine mente

ſoni; viro docto & religioſam vitam profeſſo prorſus diſſentanei & inconuenientes.

Capite VII. conatur F. Capellus elidere & eludere celebre illud dictum D. Gregorij ex Hom. 26. in Euangelia relatum quoq; à Gratiano 11. q. 3. *Sententiam paſtoris ſiue iuſta ſit, ſiue iniuſta, timendam eſſe.* Ex quo colligitur, omnem paſtoris ſententiam, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit, timendam eſſe. *At quomodo*, inquit F. Capellus, *conciliabimus alios Patres & ſacras Synodos cum S. Gregorio; dicentes; excommunicationem iniuſtam non eſſe timendam?* Multa hic diſputat; non malè quidem, ſed parum tempeſtiuè. Summa eſt; *excommunicationem euidenter, dilucidè, & notoriè iniuſtam ex cauſſa; non eſſe timendam: timendã autem ſi à parte quidem rei iniuſta ſit; iuſta autem ſecundum allegata & probata; quæ iudex ſecutus ſententiam excommunicationis in hunc vel illum tulerit; qui reuera à parte rei ſit innocens; nocens tamẽ in foro exteriore ex allegatis & probatis: De priori loqui alios Patres & Synodos; de poſteriore S. Gregorium: hinc talis in foro externo gerere ſeſe debet inſtar excommunicati; imò & in interno: ſi ſuam innocentiam non habeat euidenter & perſpicuè exploratam; ſed anceps animi hæreat.* Vide Gregorium de Valentia Tom. 4. diſp. 7. q. 17. p. 2. Tametſi non abnuo; dictum S. Gregorij etiam accipi poſſe de iniuſtitia excommunicationis; quæ ſolummodo per accidens interuenit; vt ſi iudex excommunicationis ſententiam pronunciet ex odio, liuore vel alio ſiniſtro fine; vel iuris ordinem non obſeruet; licet vera & legitima cauſſa ſubſit.

Imò olim tantum honorem vel ipſum excõmunicationis vocabulum piis incutiebat, vt ſi etiã iniuſtiſſimè

excommunicatione percuſſi eſſent; totis artubus contremiſcerent. Quod exemplo ſuo Theodoſius Iunior docuit, qui excommunicatus à quodam, cui penitus nulla erat poteſtas vel iuriſdictio; cibum guſtare recuſauit, donec à putatitia illa excommunicatione ſolueretur. Audi Theodoretum. *Vir quidam excolens vitam monaſticam, animo paulò audaciore praditus ad Imperatorem rei cuiuſdam petenda gratia accedit. quod cùm ſapius feciſſet, Imperatori Eccleſiaſtica interdicit communione, vinculoq́ Eccleſia ei iniecto decedit. Imperator autem fide cumprimis excellens, ad palatium veniens, cùm tempus inſtaret conuiuij, & omnes conuiua adeſſent, dixit ſe non prius capturum cibum, quàm Eccleſia vinculo ſolueretur. Proinde vnus ex familiariſſimis ad Epiſcopum mittit, vt poteſtatem faciat ei, qui ipſum ligauerat, vinculo ſoluendi. Cum autem Epiſcopus reſpondiſſet, non debere cuiuſque vinculum admittere, ſignificaſſetq́, eum ſolutum eſſe: non tamen ſolutione illa contentus fuit, donec ille, qui eum ligauerat, magno cum labore conquiſitus, communioni illum reſtituiſſet. huiuſmodi erat Imperatoris erga leges diuinas fides.*

Theod. lib. 5. Hiſt. cap. 37.

Multa deinceps ſcribit F. Capellus; *quàm reuerenter & religiosè agendum ſit cum ſuperiore, praſertim cum Summo Pontifice; licet excommunicatio ex cauſſa, vel ex alio capite ſit iniuſta; etiam euidenter & notoriè.* Quæ ſua dictata & monita vtinam ipſemet obſeruaſſet, vel obſeruāda exiſtimaſſet, in caſu iuſtiſſimę excommunicationis, de qua diſceptamus. Nam licet euidenter ac notoriè iniuſta fuiſſet: minimè in ipſa partis Quintæ inſcriptione affirmaſſet; excommunicationem à Pontifice Maximo in Venetos latam, continere *certos, & euidentes, & intolerabiles errores.* Quæ hæc reuerentia erga Summum Paſtorem? Vbi ſunt documenta tua de ratione modeſtiſſimè agen-

agendi cum Præſulibus Eccleſiæ, præſertim ſupremo;
licet excommunicatio ab illis emiſſa, *notoriè* & *euidenter*
ſit nulla? Nunc cum iſta, de qua loquimur, omnium or-
thodoxorum calculo; excepto ſolo reorum iudicio; ſit
validiſſima; quæ hæc modeſtia, in ipſo ſtatim titulo, tã
impetuosè, ne dicã calumniosè in eam, cornutę inſtar
belluæ, incurrere? Lege vel mone vt legant monita illa
tua collegæ tui; F. Paulus, Marſilius, & ille inprimis Craſ-
ſus; qui *craſſiſſimam nuper Antiparaneſin* aduerſus Illu-
ſtriſſimum Cardinalem Baronium publicauit, ille iti-
dem anonymus; qui furioſiſſimã & omnibus maledicẽ-
tiæ inſignibus inſtructiſſimam & cumulatiſſimam epi-
ſtolam aduerſus eundem præſtantiſſimum Annalium
parentem & inſtauratorem euulgauit: Vbi ex præſcri-
ptis à F. Capello modeſtiæ & reuerentiæ regulis ſic de
Pontifice ſcribit: *Cur bonus Pontifex clementiſſimi, & pa-
tientiſſimi Numinis Vicarius tam facilè, tam properè, tam a-
cri, ac penè incredibili ira, atque indignatione exarſit? quæ
hæc fuit intolerabilis iniuria, ſi Reſpublica parricidam cleri-
cum, ſi maximè in vrbe nobili ſeditionis & tumultus autorem
iuſtiſſimas voluiſſet luere pœnas? Num nouum iſtud exemplũ?
quid veteres Pontifices? ob tam leues igitur cauſas illicò alie-
natio, & diſiunctio animorum? Ob hac perturbatio, & confu-
ſio, non vrbis, ſed totius orbis, vt omnium Italiæ vrbium vaſti-
tas, & eluuies ſequeretur? Et hæc Chriſti, aut Pauli, aut Am-
broſii, aut Auguſtini, aut Hieronymi, aut Gregorij, aut Chry-
ſoſtomi, aut aliorum SS. virorum dictis congruent?* Hæc ſci-
licet eſt deprædicata à F. Capello modeſtia, quæ diluci-
dius emicat in Craſſo craſſiſſimæ Antiparæneſeos au-
ctore, qui ſpiritu prorſus Lutherano & Caluiniano mo-
deſtiſſimè in Romam & Romanum Pontificem his ver-
bis detonat. *Vos videritis, ne veſtra vrbs* (Roma) *in cine-*

res redigatur., cui exitium ab igne impendere Sibylla pradixit,&c.*Hac eadem in Apocalypſi contineri ſcimus, vbi de Babylonis excidio ſic prædicat Angelus: cecidit, cecidit Babylon magna*,&c. An non hic ipſam tritiſſimam omnibus Nouatoribus de Babylone cantilenam audis? An non his ipſis propemodum verbis aduerſus Romam Caluinus & Lutherus; Caluiniani & Lutherani bacchãtur,& graſſantur?

Accipe ex eodem Craſſo calamo perquam craſſo conſcripta. *Non aliis, quàm vobis comminatur D. Bernard. ac futurum prædicit, vt qui temerè vſurpatis ea, quæ ſunt aliena, diuina iuſtitia exigente, à veſtris quoq; iuribus excidatis. Non eſt igitur, quod horreamus vaticinium illud Hieremiæ:* Hierem.51. *Quæ habitas ſuper aquas multas locuples in theſauris, venit finis tuus pedalis præciſionis tuæ. Vos, vos expaueſcere oportet, in quos iſta cadunt; & inſuper ea, quæ ibidẽ cõminatus eſt Dominus. Ecce, inquit, ego ad te mons peſtifer, qui corrumpis vniuerſam terram: & extendam manum meam ſuper te, & euoluam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis. Quænam verò eſt hac vrbs apud Hieremiam locuples in theſauris, & quæ ſedet ſuper aquas multas, niſi ea, de qua in Apocalypſi* Apocal 17. *D. Ioannes Apoſt. & Euangeliſta prorſus eadem prædicat? nempe, quod ſedeat ſuper aquas multas, & circundata ſit purpura, & coccino, & inaurata auro, lapide precioſo, & margaritis; addita inſuper angelica explicatione, ne quis errori locus eſſet. Aquæ quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ; & mulier, quam vidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ. Eidemq; palam denunciatur exitiũ, & ſuprema euerſio.* Hæc quando in Caluino, Luthero, Beza, vel ſimili ſectario lego; non miror; quia profitentur, ſeſe apertos Romę & Romani Pontificis hoſtes. At quis talia ferat in eo; qui ſe catholici nomine cenſeri cupit?

Qui

Qui quo ſpiritu agatur, rurſus dilucidè prodit, cum has calumnias nullius non Nouatoris ore tritas effundit ac effutit; *Quid verò aliud Venetos conturbat, quàm duæ deterrimæ peſtes animorum, quæ iſtic apud vos vigent: Auiditas opum, & Ambitio? Hæ, neque vos vnquam quieſcere ſinunt, neque patiuntur, vt alios quieſcere permittatis, ſed perpetuò Furiarum inſtar, exagitant, vt otium, & pacem, qua fruitur Chriſtiana Reſp. in diſsidia grauiſsima conuertatis. Vtinam igitur hæc à vobis abſcindantur, ne vos tandem demergant, vt tuis verbis vtamur, in profundum abyſsi, ipſum imum barathrum peccatorum.*

Et tamen has calumnias, hæreticorum ore & ſtylo decantatiſſimas, manus ſuæ chirographo ſubſignarunt Theologici Reipublicæ Venetæ ſeptemuiri, ex quorum numero vnus F. Capellus: qui nihil in *craſſa* illa *Antiparæneſi* contra fidem repererunt. Fortè quia non quæſierunt. An & nihil contra bonos mores? An horum obliti ſunt? At non decebat, vt F. Capellus eorum obliuiſceretur, quæ hic de modeſtia & reuerentia diſſeruerat; cũ quibus valdè concinunt illa; quæ Auctor Anonymus, certè nullo nomine dignus, ſub finem epiſtolæ ſuæ ad Card. Baroniũ per ſummam calumniam hæreticè prorſus de Roma euomuit. *Scito verò quaſtuoſiſsimi & flagitioſiſsimi lucri cupiditatem & rapinarum licentiam, & Eccleſiæ nundinas & luxus & venalia reſcripta apud omnes Reges & Principes & populos iam dudum detecta & planè cognita eſſe.*

Capite octauo verboſiſſimè ex doctrina D. Auguſt. oſtẽdere nititur F. Capell. *multitudinẽ non poſſe excõmunicari.* Idẽ liquere ait, ex c. *Romana Eccleſia*, in 6. vbi hęc ſanciuntur. *In vniuerſitatẽ vel collegiũ proferri excommunicationis ſententiã penitus prohibemus, volẽtes animarũ periculũ vitare*

vitare,&c. Ex quo iſte cum ſuo F. Paulo in conſiderationibus mundo vult perſuadere, *S.D.N. Pauli V. excommunicationem eſſe nullam, quippe in integram vniuerſitatem ſeu collegium Senatorum latam.*

Quod ad S. Auguſtinum attinet, prorſus extra propoſitum ab iſtis adducitur; Solummodo enim improbat & deteſtatur ſeparationem & diuiſionem ſchiſmaticam, qua Donatiſtæ, prætextu vitiorum quorundam, integras nationes; imò omnes Chriſtianos, præter Afros nonnullos, abs ſe ſegregabant, & anathemati velut impios & ſceleratos ſubiiciebant: ne cum illis vitiorum communione copulari, & per conſequens, inquinari viderentur: Et huius ſeparationis (ſchiſmaticæ & Donatiſticæ) conſilia ait eſſe *inania, pernicioſa* atq; *ſacrilega, quia & impia & ſuperba fiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quàm corrigant animos malos.* Vbi animaduertendus dolus, ſed non bonus F. Pauli; qui Epitheta; quæ S. Auguſtinus tribuit conſiliis faciendæ & introducendæ ſeparationis ſchiſmaticæ, dicit *à S. Auguſtino tribui Eccleſiaſticæ excommunicationi, quæ in aliquam multitudinem fertur;* quaſi ſeparatio ſchiſmatica à perfidis & ſeditioſis facta; ſit idem, quòd excommunicatio Eccleſiaſtica, à legitimo paſtore correctionis cauſa profecta. Sed hanc F. Pauli technam caſtigauit iam Comitolus noſter cap. 3. Defenſionis Monitorij Pontificij.

Nec multò ſincerius agit F. Capellus; qui magnam partem verborum D. Auguſtini chartæ implendæ gratia exſcribens, ad oram libri hanc notam attexit. *Conſilia excommunicandi multitudinem peccato infectam ſunt vana, pernicioſa, ſacrilega, impia, ſuperba, magis damnoſa, quàm fructuoſa.* Nihil minus. S. Auguſtinus non de Eccleſiaſtica excommunicatione locutus eſt; ſed de ſeparatione & ſegre-

ſegregatione Donatiſtica & ſchiſmatica; qua altare cō-tra altare erigitur; vaniſſimo prætextu; quòd improborum ſocietas vitanda ſit; ne quis conſortio malorum maculetur. Huius ſeparationis conſilia vocat *impia, vana, ſacrilega*, &c. Qualis ſeparatio non eſt excommunicatio Eccleſiaſtica; neque enim qui excommunicat, id eo fine facit, vt excommunicati à catholica fide & cō-munione deſciſcant; ſed vt redeant, ſi iam deſciuerunt; aut ſi quid commiſerunt; corrigant quòd malè commiſſum eſt: integrâ ſemper, vel certè, ſi læſa ſit, integrā-da fidei vnitate & dilectionis ſinceritate; nam multitudinem puniri poſſe pœna Eccleſiaſtica; manifeſtè patet ex his D. Auguſtini verbis: *Reuera ſi contagio peccandi multitudinem inuaſerit; diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia neceſſaria eſt.* Quid aliud eſt iſta diuinæ diſciplinæ ſeuera miſericordia, quàm excommunicatio Eccleſiaſtica, vel alia cenſura?

Alterum, quod de collegio ſeu vniuerſitate additur, friuolum eſt: nam ſi totum collegium ſit nocens; cur à Summo Pontifice non poſſet excommunicari? Nec obſtat capit. *Romana Eccleſia*; tum quia Summus Pontifex eſt ſupra illud *capitulum*; cuius poteſtas per illud reſtringi non potuit; tum quia ſi ratio, ob quam in conſtitutione illa ſancitum eſt, ne collegium excommunicetur; deſinat; deſinet quoq; legis illius obligatio. Ratio autē eſt; ne innocentes puniantur cum nocentibus; ſi ergo conſtet nullum innocentem in eo collegio reperiri; cauſſa nulla eſt; cur excommunicatione plecti non queat. Si conſtaret in aliquo collegio, vel ciuitate omnes ſimpliciter eſſe Lutheranos, Caluiniſtas vel Anabaptiſtas; cur, obſecro, tota illa communitas excommunicari non poſſet? Porrò excommunicationem, quæ contra

totam communitatem fertur, valere; tradit gloſſa in cap. *Romana Eccleſia* in 6. citatq́; pro ſe Bernardum celebrem gloſſographum: & Syluester V. Excommunicatio 1. §. 10. Angelus V. Excommunicatio 1 §. 7. & ſcholiaſtes Angeli; & alij. Dices. Quid ſi in tali collegio ſint aliqui innocentes? Reſpondeo, cum Comitolo & Bouio, nihilominus validam eſſe excommunicationem reſpectu videlicet reorum; imò & innocentes in foro externo nō ſecus ac excommunicati, ſeſe gerere debent: ſi publicè de ſua innocentia non ſint proteſtati. At ſi innocentiā ſuam publicè planam teſtatamq́; fecerūt, tum & in foro externo ab excōmunicatione immunes cēſendi ſunt.

Quinta pars opuſculi Capellini hoc enthymemate circumſcribi poteſt: *Papa poteſt errare in cōtrouerſiis facti particularibus, quæ ex informatione teſtimoniisq́; hominum potiſſimum pendent: ergo etiam Paulus V. Papa errauit, cum Ducem & Senatum Venetum excommunicatione perculuit; prouinciasq́; Venetas Interdicto ſubiecit.* Antecedens probat F. Capellus ex Illuſtriſſimo Bellarmino lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 2. vbi hoc expreſsè afferit: & lib. 4. cap. 12. exempla adfert; vbi in particularibus facti quæſtionibus à Pontificibus erratum ſit. *Non eſt ergo quod quis antecedens amplius in dubium vocet.* Neq́; ego illud in dubiū reuoco. Quid de conſequentia? Huius probationem auidè exſpecto. At nuſquam comparet: niſi fortè probationis loco ducas; quod ait; *potuiſſe Paulum V. in hoc negotio errare*: Quid infers F. Capelle? Ergo errauit. Quid? Num *tu à poſſe ad eſſe? Credere*, inquit, *Papam erraſſe, non eſt peccatum contra fidem.* An tu ita comparatus es, vt nullum peccatum deuitandum exiſtimes, niſi quod fidei aduerſetur? Quid ſi aduerſetur bonis moribus? Quid ſi obedientiæ? Quid ſi obſeruantiæ & reuerentiæ paſtori-

bus

bus Eccleſiaſticis debitæ? Quid ſi humilitati? Quid ſi religioſæ modeſtiæ? Quid ſi communi paci; vnitati, & trãquillitati? *Non repugnat fidei*, inquis, *credere Pontificem erraſſe*. At repugnat prudentiæ & obedientiæ; aliarumq́; præſtantiſſimarum virtutum cœtui. Tu ſemper chorda eadem oberrans recinis leges Venetas eſſe iuſtiſſimas & æquiſſimas: *Pontificem Maximum non quidem ex odio & inuidia, ſed ex mala informatione in Venetos animaduertiſſe: atque adeo in errorem lapſum eſſe*. At nihil probas. cõtra te ſtat totus orthodoxus mundus; excepta parte rea. Exceptis itidem ſectariis, quibus error eſt, quidquid agit Põtifex; de quorum in hac & multis aliis controuerſiis ſocietate erubeſcere deberet vir theologus ac religioſus. Clamant oues, *iniuriam ſibi à paſtore irrogatam. Paſtorem in pœna infligenda nimis præcipitem properumq́; fuiſſe*. Negat paſtor; & cum illo totus grex catholicus. Quibus par fidem habere? Ouibus an paſtori? In promptu ſunt malè ab ouibus commiſſa: commiſſa inquam in libertatem Eccleſiaſticam; Monuit paſtor non ſemel, ſed ſæpius, inſtitit, vrſit, vt emendarentur; occluſas aures mentesq́; reperit. Flagellum apprehendit; vt obſequium impetraret. Quid hic temeritatis? Quid præcipitantiæ culpabilis vel caſtigabilis? Agnouiſſent ipſæmet oues, nil dubito, & deprecatæ fuiſſent noxam; niſi conductitiæ iſtæ linguæ, & mercenarij, vel potius adulatorij calami obſtitiſſent; ouiumq́; voluntates aliò deflexiſſent. De quo facinore iuſtas aliquando & Deo & hominibus pœnas dabunt.

CONSIDERATIO SEPTIMA.

Examinantur rationes, quibus F. Capellus probare conatur; clerum ditionis Venetæ non eſſe obligatum ad obſeruationem Interdicti Pontificij.

CAPITE ſecundo partis ſextæ ſtrenuè imitatur F. Capellus Huſſum, à quo contra interdictum Pontificium declamare doctus eſt. Audi Huſſum, & confer cum F Capello. *Iam de Interdicto, quo propter vnum hominem, vel propter plures clerici angariant plebem Chriſti: Illis enim tribus cenſuris; excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, ad ſui exaltationẽ clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam protegit Antichriſto. Omnes autem illas tres cenſuras accumulant ſuper inobedientia iſto modo. Quòd quicunque ipſis ad voluntatem eorum non obedierit, illum excommunicant, & ſuſpendunt ab officio, & dum ipſorum voluntati cõſtanter reſtiterit, ponunt in populo interdictum, interdicentes diuinum exercere officium, ſacramentorum exhibitionem, & ſepulturam, & hominibus quantumcunque iuſtis, vt per illam excogitatam aggrauationem ſuam obtineant voluntatem.*

Huſſ. lib. de Eccleſ. cap. 23.

Signum autem euidens eſt, quod ab Antichriſto tales procedunt cenſuræ, quas vocant in ſuis proceſſibus fulminationes, dum feruntur in illos, qui prædicant legem Chriſti, & arguunt nequitiam clericorum. Secundum ſignum eſt, quod magis illæ cenſuræ multiplicantur propter inobedientiam ipſis factam, quam propter inobedientiam Deo factam, &c. Chriſtus Summus Ponsifex detento Propheta, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, non poſuit interdictum, nec, dum eum Herodes de-

des decollauit. Imò, dum ipſemet ſpoliabatur, percutiebatur, & blaſphemabatur à militibus, à Scribis, Phariſæis, magiſtratibus, & Pontificibus, non tunc maledictionem intulit, ſed orauit dicens pro eis Luc. 23. Pater dimitte illis, &c. Vnde iſtam doctrinam ſequens in verbo, & opere primus Christi Vicarius Pontifex Romanus, 1. Pet. 2. docet fideles dicens: In hoc vocati eſtis: quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, &c. Hanc autem doctrinam & alij ſecuti ſunt ſancti, qui in perſecutione ſua non fulminabant excommunicationem, vel ſuſpenſionem, nec ponebant interdictum, ſed veniente grauiori perſecutione, magis diuinis miniſteriis inſiſtebant.

Semper opto fundamentum, vel rationem interdicti generalis, quo iuſti ſine demerito à ſacramentis, vt communione, confeſſione & cæteris priuantur, & interdum paruuli baptiſmo, ſimiliter, quare Dei minuitur in viris iuſtis miniſterium, per interdictum, propter vnum hominem poſitum. Valde mirabile eſſet, ſi Regi terreno tolleretur ſeruitium ab omnibus bonis ſeruis, propter vnum eius ſeruum, qui foret ſibi contrarius. Et omninò, ſi propter vnum, qui eſſet bonus, & fidelis ſeruus regis, ſi vaſallus volens illum ad ſuum libitum flectere, omnibus ſeruis regis interdiceret, ipſi regi miniſterium exhibere. quomodo ergo Papa, vel Epiſcopus tam inconſultè ſine ſcriptura, vel reuelatione, valde de facili interdicit miniſterium Chriſto Regi? Poſito enim generali interdicto in ciuitate, vel diœceſi, non minuitur peccatum, ſed augetur. Nam iuſtis denegatur ſepultura contra ſcripturam. Eccleſ. 7. Mortuo non prohibeas gratiam. Quis enim dubitat, quin mortuos iuſtos ſepelire ſit opus miſericordiæ? &c.

Vtinam dictum Auguſtini 24. q. 3. ſi habes; cum ſua gloſſa, perpenderent excommunicantes, & interdictum generale propter vnum hominem in Eccleſia, vel ciuitate ponentes. Quare afficiunt excommunicatione, & interdicto communitatem,

CONSIDERATIO SEPTIMA.

Examinantur rationes, quibus F. Capellus probare conatur; clerum ditionis Venetæ non eſſe obligatum ad obſeruationem Interdicti Pontificij.

CAPITE ſecundo partis ſextæ ſtrenuè imitatur F. Capellus Huſſum, à quo contra interdictum Pontificium declamare doctus eſt. Audi Huſſum, & confer cum F Capello. *Iam de Interdicto, quo propter vnum hominem, vel propter plures clerici angariant plebem Chriſti: Illis enim tribus cenſuris: excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto, ad ſui exaltationē clerus populum laicalem ſibi ſuppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam protegit Antichriſto. Omnes autem illas tres cenſuras accumulant ſuper inobedientia iſto modo. Quòd quicunque ipſis ad voluntatem eorum non obedierit, illum excommunicant, & ſuſpendunt ab officio, & dum ipſorum voluntati cōſtanter reſtiterit, ponunt in populo interdictum, interdicentes diuinum exercere officium, ſacramentorum exhibitionem, & ſepulturam, & hominibus quantumcunque iuſtis, vt per illam excogitatam aggrauationem ſuam obtineant voluntatem.*

Huſſ. lib. de Eccleſ. cap. 23.

Signum autem euidens eſt, quod ab Antichriſto tales procedunt cenſuræ, quas vocant in ſuis proceſſibus fulminationes, dum feruntur in illos, qui prædicant legem Chriſti, & arguunt nequitiam clericorum. Secundum ſignum eſt, quod magis illæ cenſuræ multiplicantur propter inobedientiam ipſis factam, quam propter inobedientiam Deo factam, &c. Chriſtus Summus Ponsifex de tento Propheta, quo non ſurrexit maior inter natos mulierum, non poſuit interdictum, nec, dum eum Herodes de-

des decollauit. Imò, dum ipſemet ſpoliabatur, percutiebatur, & blaſphemabatur à militibus, à Scribis, Phariſæis, magiſtratibus, & Pontificibus, non tunc maledictionem intulit, ſed orauit dicens pro eis Luc. 23. Pater dimitte illis, &c. Vnde iſtam doctrinam ſequens in verbo, & opere primus Chriſti Vicarius Pontifex Romanus, 1. Pet. 2. docet fideles dicens: In hoc vocati eſtis: quia Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, &c. Hanc autem doctrinam & alij ſecuti ſunt ſancti, qui in perſecutione ſua non fulminabant excommunicationem, vel ſuſpenſionem, nec ponebant interdictum, ſed veniente grauiori perſecutione, magis diuinis miniſteriis inſiſtebant.

Semper opto fundamentum, vel rationem interdicti generalis, quo iuſti ſine demerito à ſacramentis, vt communione, confeſſione & cæteris priuantur, & interdum paruuli baptiſmo, ſimiliter, quare Dei minuitur in viris iuſtis miniſterium, per interdictum, propter vnum hominem poſitum. Valde mirabile eſſet, ſi Regi terreno tolleretur ſeruitium ab omnibus bonis ſeruis, propter vnum eius ſeruum, qui foret ſibi contrarius. Et omninò, ſi propter vnum, qui eſſet bonus, & fidelis ſeruus regis, ſi vaſſallus volens illum ad ſuum libitum flectere, omnibus ſeruis regis interdiceret, ipſi regi miniſterium exhibere. quomodo ergo Papa, vel Epiſcopus tam inconſultè ſine ſcriptura, vel reuelatione, valde de facili interdicit miniſterium Chriſto Regi? Poſito enim generali interdicto in ciuitate, vel diœceſi, non minuitur peccatum, ſed augetur. Nam iuſtis denegatur ſepultura contra ſcripturam. Eccleſ. 7. Mortuo non prohibeas gratiam. Quis enim dubitat, quin mortuos iuſtos ſepelire ſit opus miſericordiæ? &c.

Vtinam dictum Auguſtini 24. q. 3. ſi habes; cum ſua gloſſa, perpenderent excommunicantes, & interdictum generale propter vnum hominem in Eccleſia, vel ciuitate pònentes. Quare afficiunt excommunicatione, & interdicto communitatem,

quæ non eſt culpabilis? & omninò priuant bonos, & deuotos presbyteros diuino miniſterio, & deuotum Dei populum ſacramentis, & ipſum Deum honore, qui ſibi tunc exhibetur, & mortuos ſepultura, & ſæpius paruulos baptiſmo, qui ſine eo decedunt, & damnantur iuxta ſententiam Auguſtini? &c.

Sed heu iſta omnia non aduertit clerus cæcatus malitia, qui ob non ſolutionem aliquando pecuniæ paruulæ, etiam hominis pauperis non valentis ſoluere, priuat per interdictum ſacramentis Eccleſiæ, vt dictum eſt, populum. Non ſic docuit Chriſtus.

Sed rogo, vbi continetur iſtud dictum? omnem locum, ciuitatem, opidum, villam, ſeu burgum exemptum, ſeu non exemptum, ad quemcunque, vel quæ idem Ioannes Huſs declinauerit, & quamdiu ibidem fuerit, & moram traxerit, & poſt eius abinde receſſum per tres dies naturales continuè duraturos, in his ſcriptis in tanto Eccleſiaſtico ſubiicimus interdicto, & volumus in eiſdem ceſſari à diuinis. Fortè ibi fundatur ille ſtylus: Oportet ſemper orare, & non deficere. Luc. 18. Vel ibidem; Laudate Dominum omnes gentes, &c.

IdemHuſſus in libro contra occultum aduerſarium. *Quæſiui cauſſam, quare ſacerdotes dicuntur ab aliis prophanare, cùm non tenent mandatum ſui Epiſcopi ſiue ſit licitum, ſiue illicitum, & non dicuntur prophanare ab eiſdem, cùm non tenent expreſſum mandatum Dei? vt, verbi gratia; mandat Epiſcopus, vt teneatur interdictum generaliter per Pragam, & circumquaque per duo milliaria, ex eo, quod cenſus aliquibus ſacerdotibus arreſtantur; & clericus nolens ceſſare à laude Dei, iudicans interdictum irrationabile, appellat, & peragit diuina, & tunc dicitur prophanare. Sacerdos verò alius tranſgrediens mandatum Dei, non ſic dicitur ab illis prophanare.*

Opponebant CatholiciHuſſo illud 1. Reg. 15. *Melior eſt obedientia, quàm victima:* Reſpondit Huſs. *Aliter penſo*

verba

verba ſcripturæ, quàm tu; nam tu adulteraris verbum Dei. Vis conuertere ad obedientiam Prælatorum. Ego autem dico, quod melior eſt obedientia Deo facta, quàm victima ſine tali obedientia. Quare non legiſti tu bene textum.

Obiectum fuerat Huſſo, quod ſcripſiſſet *licitum eſſe prædicare contra inhibitionẽ Papalem.* Quid ille? *Patet: quia Apoſtoli prædicarunt contra mandatum Epiſcoporum Hieroſolymis. Et, S. Hilarius contra mandatum Papæ, qui erat Arianus. Patet etiam exemplo Cardinalium, qui contra mandatum Gregorij XII. miſerunt per regna, qui contra ipſum prædicarẽt. Item, licet contra mandatum Papæ prædicare ſub appellatione. Deniq; prædicare poteſt, qui habet mandatum Dei, cui magis eſt obediendum.* *Vide Hiſtor. Huſſi Tom. 1.*

Hæc variis in locis Huſſus de interdicto, eiuſq; obſeruatione; cuius ſimilia prorſus F. Capellus, F. Paulus, F. Fulgentius Seruita, & alij; vt hos interdictorum Pontificiorum oppugnatores vno & eodem ſpiritu cũ Huſſo agi & inflammari oporteat. Non noto mendacia, quę Huſſus paſſim calumniis interſpergit; neq; enim tẽpore interdicti omnis omnino Sacramentorum adminiſtratio ceſſat; hoc dico: ſi Huſſi & F. Capelli rationes contra Interdictũ valerent, probarent; non tantùm hoc Venetum nõ eſſe obſeruandũ; ſed nullum penitus. Semper n. poſſet quis clamare; *minui cultum diuinum; Deum debito honore ſpoliari: Sanctos, eorumq; reliquias competente veneratione non affici; populum publicis precibus & ſuffragiis priuari, iacturam inſuper grauem ad ipſos defunctos redundare; cum deſtituantur viuentiũ orationibus aliiſq; ſacris auxiliis; gregem non eſſe deſerendũ, neq; lupis in pradã obiiciendũ: Fieri ſine ingenti animorũ detrimẽto nõ poſſe, vt ſacerdotes potius ſolũ vertant, quam interdictum obſeruent. Deum non punire in anima filium propter peccata patris, ſed in bonis duntaxat*

temporalibus: at ſi ſacerdotes diſcedant; tum ad ſubditorum animas ingentia damna manare: hæc & ſimilia nunquam & nuſquam non eſſe poſſunt obuia. Nunquam igitur & nuſquam vllum interdictum obſeruabitur. Hæc itaque nil aliud ſunt, quàm inanes excuſationes vaniq́; & *Huſſitici* prætextus. Nam qui excommunicationem vel interdictum in locum vel perſonas aliquas vibrat; non intendit hæc, quæ iſte vrget & iactat incommoda; ſed ſolam diuini cultus & nominis amplificationem & gloriam, quæ tum maximè procuratur, cum delinquentes; & in delicto contumaciter perſiſtentes pœnis propoſitis & inflictis ad ſaniorem mentem reducuntur. Ergo, quod alibi dictum; minuitur cultus diuinus; non vt minuatur, ſed vt conuerſis ad pœnitentiam peccatoribus, augeſcat. Nec dubito clericis iſtis contra Summi Pontificis mandatum interdicta in regione publicè diuina

Iſa. 58. peragentibus; accini è cœlo illud: *Me etenim die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens, quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me iudicia iuſtitiæ; appropinquare Deo volunt*, &c.

Quare ieiunauimus; (& cultui diuino impigrè, vt antea, operam dedimus) *& non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras & neſciſti? Ecce in die ieiunij* (& cultus diuini) *veſtri, inuenitur voluntas* (& inobedientia) *veſtra. Nunquid tale eſt ieiunium* (& obſequium ſeruitiumque) *quod elegi?* &c. *Nunquid iſtud vocabis ieiunium* (& ſeruitium diuinū) *& diem acceptabilem Domino*: in quo à viris Eccleſiaſticis & religioſis inauditæ propemodum inobedientiæ ſpecimen, toto inſpectante mundo, præbetur? Et quantâ audacia affirmat F. Capellus; *non liquere, num Pontifex velit clericos ex ditione Veneta propter hoc interdictum abire.* Hoc certo certius & luce lucidius eſt; Pontificem

velle

velle; vt interdictum ſeruetur;& per cõſequens, vt ſi ſeruare nequeas manendo; ſerues abeundo. Quanquam ſi maneas, & ſeruare nolis, quis te coget, vt non ſerues? Vbi manet illud, quod clericis ima mente repoſitum eſſe debet? *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*;& ab obedientia, Vicario Chriſti debita.

Quod Huſſus & Patroni Veneti de exemplo Chriſti oggerunt, qui inſigni lenitatis & manſuetudinis ſpecie omnia peregerit; abſq; Cenſuris pœnisq; Eccleſiaſticis, non obſtat: quia Chriſtus non venerat iudicare; ſed iudicari: Et cur iſti oculos tantum ad lenitatem Redemp. noſtri conuertunt? An ſeueritatis exempla deſunt? Quid ergo ſibi volũt illa? *Inuenit in tẽplo vendentes boues & oues, & columbas, & nũmularios ſedentes; & cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis oẽs eiecit de templo, oues quoq; & boues, & nummulariorum effudit æs; & menſas ſubuertit.* An nõ ſat luculentum hic cernis ſeueritatis exemplum? Adde & hoc Apoſtoli. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens; eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradere huiuſmodi ſatanæ, in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Ad hæc & id genus alia melliflui iſti Magiſtri ſuos auditores & lectores ablegare deberent; ſic enim perſpicuè intelligerent; ita lenitate vtendum; vt ſeueritati ſuus etiam relinquatur locus; quando neceſſitas id exigit.

Ioan. 2.

1. Cor. 5.

Obiicit F. Capellus; Pontificis Pauli V. decreto morem geri non poſſe; *niſi impingatur in præceptum quoddam*

Clementis Primi; Romani itidem Epiſcopi; quod exſtet lib. 2. Conſtitut. Apoſtol. cap. 40. Et eſt iſtud: *Cæterum Epiſcope, ne eum, qui ſemel, & iterum lapſus ſit, auerſeris, neque audire verbum Domini vetes, neque communitate vitæ priues. neque enim Dominus recuſabat, quin cum publicanis, & peccatoribus comprandeneret: &, cùm à Phariſæis de hoc argueretur, aiebat, non opus habent medico, qui benè habent, ſed qui malè. Cum iis igitur, quos propter peccatum excommunicaſtis, habete & congreſſus, & conuictum: curantes, conſolantes, fulcientes, illudq́; dicentes, inualeſcite remiſſa manus, & ſoluta genua. conſolari enim oportet lugentes, &c.*

Circa hæc nota modeſtiam F. Capelli; qui perſtringere audet ſummum Pontificem, quaſi decretum ediderit doctrinæ S. Clementis contrarium; & quaſi hoc, illæſo illo, obſeruari nequeat. Inſigne prorſus commentum; cum Paulus V. minimè iuſſerit, vt ex ditione Veneta Clerici diſcedant; ſed vt diuina non celebrent: neque interdixerit, vt Eccleſiaſtici, Venetis, præſertim ſereniſſimo Principi & illuſtriſſimo ſenatui, inſtillent crebro illud: *inualeſcite remiſſa manus, & ſoluta genua. Redite ad Petram vnde excidiſtis & exciſi eſtis. Redite ad cor;* Hæc & his ſimilia tantùm abeſt, vt prohibuerit; vt nihil magis optet; quàm vt huiuſcemodi hortamentis omnes anguli ditionis Venetæ perſtrepant.

Dices. *Venetos voluiſſe vt interdictum non obſeruaretur: hinc ſi clerus reſtitiſſet; omnibus abeundum fuiſſet; & ſic populus ſolatoribus, hortatoribus, & ad meliora impulſoribus caruiſſet; contra Præceptum Clementis.* Caruiſſet; ſed cuius culpa? An non principis & ſenatus? Ergo non culpa cleri. Ergo nihil clerus in præceptum Clementis deliquiſſet: neque enim penes ipſos ſtetiſſet, quo minus cenſura Eccleſiaſtica mulctatos curarent, conſolarentur, fulcirent; & ad meliora

meliora excitarent. Quanquam quid tandem proſunt iſti, qui remãſerunt *conſolatores & hortatores* Venetis? Ad quid hortantur & excitant, tot ſeditioſis, *ſcandaloſis*, & propè dixeram, *hæreticis* libellis Venetos? Nonne ad inobedientiã? Nonne ad contumaciam? Nonne ad hoc, vt ſummi Paſtoris ſaluberrimis monitis aures occludant? Nonne ad hoc, vt ſummi præſulis & iudicis vocem ac ſententiam dicant eſſe *præcipitem*; *ex mala informatione natam; corrigendam, caſtigandam, retractandam*? Num tales curatores, & conſolatores deſiderauit ſanctus Clemens, qui Petro, hoc eſt, Petri & ipſius Clementis ſucceſſori in faciem audacter ſeſe opponerent, & oppoſitionem tamen ſuam miris ſtrophis & tergiuerſationibus obuelarent; eo prorſus modo, quo Lutherus initiò nequitiam ſuam velabat & celabat? Non ambigo, quin S. Clemens, ſi reuiuiſceret, mallet, & nunc etiam ex ſummo cælo malit hos procuratores & conſolatores eſſe, vbi nullus mortalium verſatur, quàm apud Venetos, vbi à ſedis Apoſtolicæ obedientia tot nobiliſſimos, clariſſimos, ampliſſimos & eruditiſſimos homines auertunt & abducunt.

Quales animorum rebus in arctis poſitorum conſolatores & Paracleti ſeptem illi Theologi, inter quos & iſte Frater Capellus; qui iſtam propoſitionem eructare auſi. *Chriſtianus non debet præſtare obedientiam præcepto, à quocunque ſit factum, etiamſi ſit ſummi Pontificis, niſi prius examinauerit, quali materia conſtet; nũ conueniente, legitima, & obligatoria, & quicunq; ſine examine aliquo tale præceptum exequitur, obedit vt cæcus, & peccat.* Qualis item ꝓpoſitio decimatertia. *Nõ ſatis eſt, ſi Pontif. ſanctè aſſeueret, mandatũ ſuũ eſſe iuſtũ; ſed oportet illud examinare & ad trutinã reuocare.*

Quales ad pacem & concordiam hortatores? Quales publicæ tranquillitatis proxenetæ? Profectò hæc non in Catholicorum; ſed in Huſſi & Lutheri ſchola didicerunt. *Sic ſcripſi,* inquit Huſſus, *in libro meo. Penſare debet fidelis Chriſti diſcipulus, vtrum mandatum Papæ expreſſè ſit mandatum Chriſti, vel alicuius Apoſtoli; vel habeat fundamentum in illorum doctrina; & illo cognito, debet reuerenter, & humiliter obedire. ſin cognoſcit verè, quòd mandatum Papæ ſit contrarium ſcripturæ ſanctæ, vel nociuum Eccleſiæ, tunc debet audacter reſiſtere, ne ſit particeps criminis ex conſenſu.* Hæc Huſſus.

Eadem, ſi non deteriora, ſeptem Doctores: quibus verbum non addo; quia *Illuſtriſſimus Card.* Bellarminus, illum ſeptem Doctorum Tractatum, Huſſiticaſque & Lutheranas eius propoſitiones; egregiè, vt ſolet; profligauit; & quales iſti ſint lugentium *ſolatores* doctiſſimè demonſtrauit; vt & poſt illum Comitolus noſter & Hugolinus Iureconſultus. Plaude & gaude tibi Huſſe, & tu Luthere. Septenarius iſte non à ſeptiformi ſpiritu: ſed à vobis inſtinctus vobis ſuccinit; & ſuis eadem obedientiæ, quæ vos veſtris, præcepta præſcribit; quæ non modò ad debitum obſequium Eccleſiaſticis, ſed & politicis magiſtratibus negandum ſeruiunt; Nam ſi ſummi Pontificis præceptum diligenter examinãdum eſt à ſubditis; cur nõ etiam mandatũ principis & magiſtratus politici? Cur non quoque Principis & ſenatus Veneti? Num hoc ferrent à ſubditis? Item ſi ſatis non eſt, vt Pontifex dicat; præceptum quod edit eſſe iuſtum; ſed inſuper requiritur, vt ſubditus ad examen deſcendat, certè ſatis non erit, vt magiſtratus vel princeps politicus aſſeueret, legem ſuam eſſe iuſtitiæ & æquitati conſentaneam; ſed neceſſe erit, vt ad examen veniatur & ad libram. At quis vnquam

magiſtra-

magiſtratus politicus hæc paſſus eſt? Et tamen iſti ſupremi præſulis & paſtoris mandatis imponere non verentur, quæ ne minimus quidem princeps ſua in ditione, quando legem condit, tolerat? Iſti non tantùm nouos religioſos & pontificis ſubditos; ſed & nouos vrbium ciues formant, quales hactenus nulla vidit bene inſtituta Reſpublica.

Multas adferunt cum F. Capellus, tum Collegæ eius cauſſas, cur Interdictum à clericis nec potuerit, nec debuerit obſeruari; ſed omnes vanæ ſunt & friuolæ; vt fusè oſtendunt Illuſtriſſimus Card. Bellarminus; Comitolus, Bouius & alij: idcirco non immoror.

Illud mirandum; quod F. Capellus etiam ex Ieſuitarum doctrina ſuam & ſuorum inobedientiam tueri conatur. At profectò iniquè facit; quia quid Ieſuitæ de hoc ſentiant, docuerunt exemplo ſuo; quod, vt opinor, toti Venetorum ditioni cognitiſſimum eſt. Quamobrem quòd Franciſcus Soârez Tom. 5. d. 6. Sect. 3. citatus à F. Capello dicit; legem poſitiuam, præſertim humanam, non obligare cum tanto rigore, vt cum grauiſſimo detrimento vel rigore ſeruanda ſit: id F. Capellum non iuuat; quia in primis quæri poſſet, vtrum Clericis huiuſmodi grauiſſima detrimenta impendiſſent, ſi Pontificum decretum obſeruare voluiſſent. Plerique negant: quidquid iſti verbis ſeſquipedalibus de periculo vitæ, & amiſſione omnium facultatum declamitent: imò veriſimillimum eſt; Dominos Venetos reuerenter obtemperaturos fuiſſe Pontifici; ſi vidiſſent Clerum, id, quod ſuarum erat partium, ſedulo præſtare. At poſtquam exſtiterunt F. Paulus, F. Capellus, Fratres Fulgentij Marſilius; & id genus tales, Theologorum titulis illuſtres, qui iureiurando confirmare parati eſſent Bullam Pontificiam er-

rores euidentes & intolerabiles continere; facilè fieri potuit, vt Domini Veneti ſua in perſuaſione confirmarentur & corroborarentur.

Deinde Frater Capellus attendere debuiſſet ad verba Concluſionis, quam ponit P. Soarez: dicit enim aſſertionem illam ſuam, & Theologorum communem, intelligi *per ſe loquendo, ſecluſo ſcandalo.* An verò hoc in caſu nullum ſcandalum? Imò ſummum, & prope dixerim, irreputabile; cuius magnitudo aliquando expetet in eorum capita, qui nunc illud ſeditioſis libellis fouent.

Adhæc Soarez expreſsè dicit, Cenſuram eſſe ſeruandam, cum quocunque periculo, quando metus infertur in odium vel contemptum *Eccleſiæ*. An non & hic in eundem finem illatus? Negāt iſti. Affirmat res ipſa. Denique non negat vſquam P. Soarez poſſe à ſummo præſule mandatum edi, quod cum periculo vitæ obſeruari velit. Hæc enim eſt communis Theologorum doctrina. Et vnde ſcit F. Capellus hoc interdictum S. D. N. non eſſe ex iſto genere?

Quod denique pro ſua & ſuorum obedientia citat S. Bernardum, nil à propoſito alienius committere potuiſſet. Notum enim eſt, S. Bernardum fuiſſe rigidiſſimū exactorem & cuſtodem obedientiæ ſuperioribus debitæ; potiſſimùm ſummo Pontifici; vt in refutatione duodecimæ propoſitionis oſtendit illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus.

Ego nunc hic metam figo; & ad te admodum Reuerende Pater, *Marce Antoni Capelle*, Orationem conuerto; tibique reditum à ſchiſmate ad vnitatem ſanctæ, Romanæ, Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ex animo

gratulor

gratulor. Nec dubito te, Deo laudes grateſque debitas cum ſancto illo Rege perpetim concinere; *Torrentem pertranſiuit anima noſtra; Forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem; Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorũ.* Ceperat quidẽ te & deceperat; pellacea; ſed *laqueus cõtritus eſt, & nos liberati ſumus. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium. Impulſus euerſus ſum, vt caderem.* Verè *impulſus*; ab illis præſertim Theologis, qui paupertinam eruditionis ſuæ ſupellectilem conſiderantes; & quàm onus viribus ſuis longè impar, in humeros ſuos ſuſtuliſſent, omnem operam dedère; & nullum lapidem immotum reliquêre; quò te ſuam in naſſam pertraherent; & ad malæ cauſſæ, Patrocinium ſuſcipiendum impellerent; & impellendo euerterent. *Impulſus euerſus ſum, vt caderem*; ſed, *Dominus ſuſcepit me.* quia iuſtus, *cum ceciderit non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Fortitudo & laus mea Dominus; & factus eſt mihi in ſalutem. Dextera Domini fecit virtutẽ; Dextera Domini exaltauit me, &c. Non moriar, ſed viuam.* Et quidem ibi; vbi vera vita; nempe in Eccleſia Catholica: *& narrabo opera Domini*: inter cætera etiam libertatem & immunitatem Eccleſiaſticam; quæ eſt inſigne opus Domini; contra quam vt prius ſeductus ſcripſi; ita nunc in viam ductus ad eiuſdem defenſionem omnes ingenij mei & eloquentiæ neruos conferam; & quæ in *Iudicio de controuerſia Veneta*; *& in Reſponſo ad librum M. Lalij*, *& in Epiſtola ad P. Poſſeuinum* effudi in eorum gratiam, qui ſe à ſedis APOSTOLICAE communione ſeiunxerant, damnationis ſpongia eluam: & quidquid ſchiſmaticarum chartarum chirographo meo ſubſignaui, id irritum eſſe iubebo.

Pſalm. 123.

Pſal. 36.

De Leporio Monacho, poſtea presbytero, Neſtorianiſmi & Pelagianiſmi erroribus infecto hæc Gennadius. *Leporius adhuc monachus, poſtea presbyter, præſumens de puritate vitæ, quam arbitrio tantum, & conatu proprio, non Dei ſe adiutorio obtinuiſſe credebat, Pelagianum dogma cœperat ſequi; ſed, à Gallicanis Doctoribus admonitus, & in Africa per Auguſtinum emendatus, ſcripſit emendationis ſuæ libellum, in quo & ſatisfacit de errore, & gratias agit de emendatione: ſimul, & quod de incarnatione Chriſti malè ſenſerat, corrigens, Catholicam ſententiam tulit, dicens; Manentibus in Chriſto in ſua ſubſtantia duabus naturis, vnam credendam filij Dei perſonam.*

Quàm ſerio autem Leporius conceptos prius errores deteſtatus & execratus fuerit; docet Caſſianus. *Leporius tunc Monachus, modò presbyter, qui ex Pelagij inſtitutione, vel potius prauitate deſcendens, apud Gallias aſſertor prædictæ hæreſeos, aut inter primos, aut inter maximos fuit, à nobis admonitus, adeò admonitus ita malè conceptam perſuaſionē magnificè cōdemnauit, vt nō minus penè admiranda ſit correctio illius, quàm illæſa multorum fides; quia primum eſt, errorem penitus non incurrere; ſecundum, benè repudiare. Is ergò in ſe reuerſus, non ſolùm in Africa, vbi tùm erat, atque nunc eſt, tam errorem ſuum cum dolore, quàm ſine pudore confeſſus eſt: ſed etiam ad omnes admodum Galliæ ciuitates flebiles confeſſionis, ac planctus ſui literas dedit; ſcilicet, vt vbi deuiatio eius prius cognita erat, illic etiam emendatio noſceretur; & qui teſtes erroris antea fuerant, iiſdem poſtea correctionis eſſent.*

Caſſin. lib. 1. de Incarnat. ca. 4.

Iniuriam tibi facerem, Capelle; niſi mihi pollicerer, te, eadem vehem ntia, animiq; conſtantia diſſeminatos à Theologis Venetis errores non modò viua voce; ſed & publicato libello vel abieciſſe; vel abiecturum eſſe;

rum eſſe;

rum eſſe; vt toti mundo Catholico conſtet; te ipſo iudice, damnari debere, quæ parum cautè euulgata ſunt: vtque Hæreticis gloriandi occaſionem adimas; qui ſi Fratris Pauli ſcripta in Latinum & Germanicum ſermonem conuertunt; iiſq; mirificè triumphant: quid cum tuis facient; niſi tuo calculo palam improbentur, & perpetuis tenebris addicantur, cum tantò *Paulinis* illis antiſtent; quantum vir ingenioſus, ſubtilis, acer, & eruditus, homini, quem liuor, odium & ambitio tranſuerſum agit, antiſtat.

Porrò tam *medullitus* Leporius errores ſuos abominatus eſt; vt Caſſianus ad totius poſteritatis exemplum & imitationem quædam ex confeſſione illa deſcribenda, & ſcriptis ſuis inſerenda cenſuerit. *Ex cuius confeſſione, vel potius deploratione*, inquit Caſſianus, *nonnulla inſerenda exiſtimauimus duplici ex cauſſa; vt, correctiones eorum & nobis teſtimonio, & his, qui nutant, exemplo eſſent; quorumque errorem ſequi non erubuiſſent, eorum emendationem ſequi non erubeſcerent; & , ſicuti ſimili ægritudine infirmarentur, ita ſimili remedio ſanarentur.*

Vtinam, vtinam, qui tecum errarunt, vel potius, cum quibus errasti, & quorum errore in errorem inductus es, hoc tuo exemplo meliora conſilia capeſſant; & profeſſionis ſuæ memores; tandem quem ferant habitum; & cui militent; circumſpiciant; & ſimili, quo tu, remedio ſanentur. Pergit de Leporio Caſſianus. *Is ergo agnita opinionis ſuæ peruerſitate, & inſpecta fidei luce, ſcribens ad Epiſcopos Gallicanos, ita exorſus eſt: Quid in me primùm, ô Domini mei venerandi, & beatiſſimi ſacerdotes, accuſem, neſcio; &, quid in me primum excuſem, non inuenio. Sic imperitia, & ſuperbia, ſic ſtulta ſimplicitas cum perſuaſione noxia, ſic feruor, cum intemperantia, ſic, vt verius dicam, cum ſui diminu-*

tione debilis fides, ſimul in me omnia recepta viguerunt; vt tot, & tantis ſimul ſit & obediſſe, confuſio: & hæc eadem, ab animo potuiſſe cedere, mihi ſtupenda gratulatio, &c.

Hæc ex Confeſſione Leporij Caſſianus; quæ illuſtre ſunt ſeriæ pœnitentiæ ſpeculũ; omnibus illis, qui auij ierunt, præſertim cum publica Catholicorum offenſione, attento oculo inſpiciendum. ſimulque in intimam mentem demittenda ſunt aurea illa, quæ Caſſianus ſubdit. *Sufficere ſolus nunc ad confutandam hæreſin* (& repudiandum ſchiſma) *deberet conſenſus omnium* (verè orthodoxorum) *quia indubitatæ veritatis manifeſtatio, eſt autoritas vniuerſorum, & perfecta ratio facta eſt, vbi nemo diſſenſit. Ita, vt qui contra hoc ſentire nitatur, huius prima ſtatim fronte non tam ſit audienda aſſertio, quam damnanda peruerſitas: quia, præ iudicium ſecum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuerſitatis impugnat: &, audientiæ locum non habet, qui à cunctis ſtatuta conuellit. Confirmata enim ſemel ab omnibus veritate, quidquid contra id venit, hoc ipſo ſtatim falſitas eſſe noſcendum eſt, quod à veritate diſſentit.: ac per hoc ſufficere ei etiam id ſolùm conuenit ad ſententiam damnationis, quod diſcrepat à iudicio veritatis.*

Tantum autem abeſt, vt metuam, ne tui libri refutatio tibi diſpliceat; vt planè mihi perſuadeam, te quod ego egi, vltrò vel feciſſe, vel propediem facturum eſſe; ſimulque cum S. Auguſtino exclamaturum: *ô conſuetudo peccati, ô comes pœna peccati, vos me tunc à rerum tam manifeſtarum conſideratione auertiſtis; ſed non ſentienti nocebatis, nunc in familiariſſimis meis ſimiliter non ſentientibus me iam vulneratis, torquetisq; ſentientem. Attendite iſta quæſo chariſſimi, veſtra ingenia bene noui, ſi mihi nunc vos qualiſcunq; hominis mentem, rationemque conceditis, multò certiora ſunt, quàm quæ ibi vel videbamur diſcere, vel magis credere cogebamur.*

S. Auguſt. lib. contra Manichæos in fine.

mur. Deus magne, Deus omnipotens, Deus ſumma bonitatis, quam inuiolabilem, atque incommutabilem credi, atque intelligi fas eſt, trina vnitas, quam Catholica Eccleſia colit, ſupplex oro expertus in me miſericordiam tuam, ne homines cum quibus mihi à pueritia in hominum victu fuit ſumma conſenſio, in tuo cultu à me diſſentire permittas.

Fieri enim non poteſt; vt ſingulari Dei beneficio ex tanto diſcrimine liberatus; non optet pari felicitate ex iiſdem periculis ſibi charos exire; præſertim ſi animaduertat; quod his libris copioſè oſtenſum; omnia propemodum, quæ docent, agunt, ſcribunt, defendunt, propugnant, petita eſſe ex hæreticorum & ſchiſmaticorum, quos iam olim Eccleſiæ ſententia & cenſura percuſſit lacunis, nec lac lacti tam eſſe ſimile; quàm modum agendi recentium modo agendi vetuſtiorum Hæreſeos & ſchiſmatis architectorum. Quæ animaduerſio tanti ponderis eſt, vt Caſſianus ad refutationem poſteriorum Hæreſeon ſufficere exiſtimauit; ſi ad antegreſſas reuocari, & inde originem ſuam ducere, monſtrari poſſent, cum ait: *ſufficere ei ad excipiendum iuſta damnationis ſententiã debet priorum hæreticorum (*& ſchiſmaticorum*) ſententia: quia cum eaſdem radices habeat, atq; iiſdem erroribus emergat, ſatis iam in autoribus ſuis ipſe damnatus eſt, maximè cùm id ipſum, quod ipſi aſſerunt, etiam hi, qui proximè ante hos malè ſecuti ſunt, benè condemnarint, vt ſufficere his abundè iam in alterutrum ſuorum exẽpla debeant, vel horum ſcilicet, qui emendati, vel eorum, qui condemnati ſunt. Si enim corrigi queunt, habent in ſuorum correctionibus medelam; ſi corrigi non queunt, habent in ſuorum damnatione ſententiam.*

Finis libri Tertij.

Dum hoc Conſiderationũ opus excuditur, venerunt ad manus meas plures libri partim contra Venetos, partim pro Venetis; quorum hic catalogum attexere viſum, vt lector intelligat quàm variæ lucubrationes intra vnius anni ſpatiũ de graui hac controuerſia in lucẽ exierint.

Pro Summo Pontifice.

SententiaCardinalis Aſcanĳ Columnæ in Conſiſtorio dicta, Latinè. Eadem Italicè reddita.

Pauli Comitoli Societ. Ieſu Confutatio, Tractatus ſeptem Theologorum contra Interdictum Apoſtolicum.

Admonitio ad ſubditos Venetos per Matthæum Fortem ſacerdotem & Theologum Ticinenſem.

GerardiLoperſĳ defenſio ſentẽtiæBaronianæ dictæ in Conſiſtorio Cardinalium contra Ioan. Marſilium. Lat.

Admonitio ad Rempublicam Venetam eiuſq; ſubditos. Auctore Nicomacho Philaletheo Romano.

Tractatus de Iure Principum Auctore F. Paulo Cicra Veneto Ord. S. Auguſtini Bononiæ Lat.

Cõfutatio duorum Tractatuum, quorum alter Anonymi cuiuſdam ad ſuum amicum de Interdicto Veneto: alter, Gerſonis de valore excommunicationis ex latino in Italicum ſermonem translatus: Auctore F. Angelomaria Sermarino de Arimino Ordinis Seruorum. Lat.

In F. Paulum Venetorũ Pſeudotheologum Epigrammata Bartholomæi Caſparini.

Apologia Balthaſſaris Nardi Aretini contra inanes & friuolas rationes, quibus libelli quidam Venetiis excuſi & extruſi impugnant Cenſuram Papæ, cum duobus politicis diſcurſibus de Præſenti Venetorum ſtatu.

Auiſo Sicuro contro il Mal fondato Auiſo Del ſignor Antonio Quirino, ſenator Veneto Di Ageſilao Mariſchotti Nobile Bologneſe.

Sacri

Sacri ac venerandi iuris vtriuſq; collegij Bononienſis Reſponſum pro libertate Eccleſiaſtica. Lat.

Speculum clariſſimum, in quo ſummi Pontificis Romani imago, expreſſaq; ſedes vtriuſq; gladij, per M. Chriſtophorum Syluestranum Brenzonem Carmelitam Doctorem Patauinum. Lat.

F. Auguſtini Vigianij Florentini Ordinis Seruorum Diſputationes ſex de Eccleſiaſtica immunitate. Lat.

Pro Venetis.

Examen omnium ſcriptorum, quæ hactenus contra cauſſam Venetam prodierunt Auctore Ioanne Marſilio.

Confutatio fictitij Ioannis Philothei per Fulgentium Thomaſellum Philoſophum Albanenſem.

Chriſtianorum Reipublicæ Venetæ ciuium & amicorum ad Antichriſtianam Cardinalis Baronij Parænesin Reſponſio cuiuſdam Anonymi Caluiniſtæ. Lat.

Sententia Annibalis Crancij Dalmatæ Philoſophi, ſuper Quæſtione, an iniurias à Paulo V. ſummo Pontifice Venetæ Reipublicæ illatas liceat bello & armis propulſare.

Liber Gallicus & Italicus, cuius titulus: Eſtratto Dalli Regiſtri Delli ſtati ſopra l'accettare il Concilio di Trento nel regno di Francia. Qui quidem dicitur impreſſus Pariſiis 1594. Sed videtur nunc recuſus in Gratiam Venetorum, vt & ipſi Tridentinam ſynodum in nullo vel paruo pretio habeant.

Secunda pars examinis omnium ſcriptorum, quæ hactenus edita de controuerſia Veneta. Auctore Ioanne Marſilio.

Reſponſum F. M. Antonij Capelli ad Diſcurſum Lælij Placentini.

INDEX CONSIDERATIONVM

Libri Primi.

CAP. I. *Quoſdam Venetorum defenſores Romam, cauſæ dicendæ gratia, ab Inquiſitione generali vocatos, forum illud eôdem modo, & ſpiritu declinaſſe, & eluſiſſe, quo olim id declinarunt, & elüſerunt damnatiſſimæ memoriæ hæretici, Huſſus, & Lutherus.*
II. *Eiuſdem argumenti, cum priore.*
III. *Rurſus de Huſſi, Lutheriq́ue notis, & inſignibus in Venetæ cauſæ patronis reſplendeſcentibus.*
IV. *Plures expenduntur ſimilitudines, in quibus cum Huſſo, & Luthero Venetiani Theologi conformantur,*
V. *Proponuntur Theologis Venetis varia capita conſideratione digniſſima.*
VI. *De exemptione Clericorum, & bonis Eccleſiaſticis.*
VII. *In qua expenditur lex, ne bona immobilia Laicorum, quocunque titulo ad Eccleſias, & pia Loca deuenire poſſint.*

Lib. II.

I. *Argumentum ab exemplo Moyſis, quo iſti vtuntur, eſt hæreticorum huius temporis.*
II. *Argumenta, quæ F. Capellus adſert cap. XI. eſſe friuola.*
III. *Expenditur argumentum de Abiathar ſummo ſacerdote.*
IV. *Circa illud teſtimonium S. Pauli Rom. 13.* Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. *Et aliud ſimile. 1. Pet. 2.* ſubiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter *Deum.*
V. *Quæcunque F. Capellus à cap. 20. vſque ad 26. diſſerit, ex hæreticorum lacunis petita eſſe.*
VI. *Argumenta, quæ præterea cauſæ Venetæ patroni ſumunt ex Apoſtolorum*

lorum dictis, & factis à Marſilio de Padua, & Nouatoribus huius æui petita eſſe.
VII. Argumenta, quæ à dictis, & factis Chriſti ducunt, eſſe à Marſilio, Huſſo, & aliis hæreticis.
VIII. Argumenta ex patribus, & hiſtoriis, quæ patroni cauſæ Venetæ afferunt, pleraq; eſſe ex Marſilio de Padua, & Huſſo.
IX. Expenduntur argumenta ex ratione ducta, quibus F. Capellus exemptionem Eccleſiaſticam oppugnat.
X. Conſiderantur reliqua F. Capelli ſophiſmata.
XI. Quantum valeant ſolutiones, quibus F. Capellus diſſoluere nititur argumenta Illuſtriſſ. Card. Bellarmini pro libertate Eccleſiaſtica.
XII. Conſiderantur reſponſa F. Capelli quæ dat ad Concilia ab Illuſtriſſ. Bellarmino producta.
XIII. Quomodo F. Capellus reliquas Cardinalis Bellarmini rationes cauilletur.

Lib. III.

I. De lege, quæ probibet, ne, ſine Veneti ſenatus ſpeciali licentia ædificentur nouæ Eccleſiæ, monaſteria, hoſpitalia, & ſimilia pia loca.
II. Examinantur ſolutiones nonnullæ: quibus F. Capellus obiectiones quaſdam diluere tentat.
III. In qua expenditur lex, quæ vetat, ne bona ſtabilia in Eccleſiaſticas perſonas transferantur, absq; conſenſu Principis.
IV. Examinantur reliqua tertiæ partis à cap. 6. vſq; ad finem.
V. Examinatur ratio quædam F. Pauli, cur non expediat, vt Eccleſiaſtici bonis immobilibus abundent.
VI. Expenduntur rationes, quibus F. Capellus demonſtrat excommunicationem in Dominos Venetos à S. D. N. PAVLO V. latam fuiſſe iniuſtam.
VII. Examinantur rationes, quibus F. Capellus probare conatur, Clerum ditionis Venetæ non eſſe obligatum ad obſeruationem Interdicti Pontificij.

FINIS.

Errata Typi.

Præfatione fol.8.v.8.à fine,lege,qui.Plag.23.v.1.veluti.25.1.qui bis.53.16.fideles.
64.v.vlt. cuſtos vitiatus: reponendum; & ſummo.96.v.penult. Reb.dele.102.
18. ἐπανόρθωσιν. 104. in cuſtode, me &, tolle copulam. 117. v. vlt. ſingularum.
118. 13. videris. 119. 22. iudicandi. 126. 1. datam. Ibid v. penult, TERTIA. 128.
4.à fin. à Salomone 129. 3.à fin. Verba facit.148.7.ſciuiſſent.156.15.ablegent.157.
1. vel in.171. 13.re fuſius.174.6.vetus 211.9.Fratris. 220 8.à fin ſententiam.223.16.
Clericorum. 224. 11. vltrò. 338.7.anathematizamus.245.13. ſiniſtri.246.6.fit.250.
12. hiſtoricæ peritiæ. 262. 12. præmiſſa. 275.8 Mauritius. 278. 7. tenentur. 280.
12. vnumquodque, adde, tale. 308. 16. omnes. 325. 1. qui. 340. 5. à fin. Eccleſiæ.
351. 10. curioſa. Ib 5. è veſtigio. 352. 1. qui. 362. 4. fidem. 365. 7. vobis. 368. 17. de
die.373. 9. à fin. Pontificium. 374. 9. irreparabile. 375. 6. pellacia. Minuta, vt interrogationis notæ, præſertim 295. omiſſæ, acuto, & accurato lectori ſua ſponte pateſcent.